COMPENDIUM
PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

VOL. I

LOGICA ET ONTOLOGIA.

St. Albert's College Library

Florentiae, 1910 — Ex Officina Typographica Dominiciana.

COMPENDIUM
PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ
AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS

a Fr. JOANNE LOTTINI
ORDINIS PRÆDICATORUM

EDITUM

EDITIO III

AB AUCTORE DILIGENTER REVISA ET NOTABILITER AUCTA
IN TRIA VOLUMINA DISTRIBUTA
AD BIENNIUM ET AD TRIENNIUM ACCOMMODATA

VOLUMEN I

LOGICA ET ONTOLOGIA

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

FRIDERICUS PUSTET
Pontificalis Bibliopola
RATISBONÆ — ROMÆ — NEO-EBORACI
1911

102
L57
v.1

APPROBATIONES

Nihil obstat

Florentiæ die 1 Octobris 1910.

Fr. Ludovicus Ferretti
S. Theologiæ Lector et Univers. Florentinæ Doctor
Censor deputatus.

Fr. Constantius Simonetti
S. Theologiæ Lector, Censor deputatus.

Imprimatur

Romæ die 2 Octobris.

Fr. Hyacinthus M. Cormier
Magister Generalis Ord. Præd.

Imprimatur

Fr. Albertus Lepidi
O. P. S. P. Ap. Magister.

Josephus Ceppetelli
Patr. Constant.

Editionis jura Auctori reservantur.

DIVO THOMÆ AQUINATI

ANGELICO DOCTORI

CATHOLICARUM SCHOLARUM

CŒLESTI PATRONO

ERRATA-CORRIGE

				Errata	Corrige
Pag.	9	verso	29	nationis	rationis
»	45	»	42	ideo quae	quae ideo
»	60	»	17	sablato	sublato
»	148	»	15	agitur	igitur
»	148	»	24	non potest esse	non potest non esse
»	238	»	28	ei	eis
»	259	»	18	ad inveniendo	ad inveniendam
»	260	»	5	communitur	communiter
»	307	»	19	obiectivitatem principium	obiectivitatem principiorum.
»	329	»	20	(Cf. supra in nota n.)	(Cf. supra in nota pag. 311)
»	349	»	21	mentis	entis
»	449	»	30	ab aliud	ad aliud
»	450	»	20	et	—
»	451	»	20	(cf. n.)	(cf. n. 124)
»	»	»	27	nullo	et nullo
»	535	»	35	si juvet	si lubet
»	536	»	28	qua	quare
»	538	»	28	in ut	in
»	567	»	20	in sui causalitate	in sua causalitate
»	»	»	34	objectivum	objectivus
»	572	»	28	casus a	casus

DE PHILOSOPHIA

(Goudin, Philos. Diss. I prael. et disp. praeamb. qu. I et II; Zigliara, vol. I, *De Phil.* Lepidi, Liberatore, Schiffini, Lorenzelli, Mancini; Hugon Cursus phil. loc. a. I.; P. Germano Praelectiones phil. proleg.)

---

1. Quid philosophiae nomine intelligatur. — *Philosophiae* nomen, si origo ethymologica spectetur, idem est ac *amor sapientiae;* si vero ipsa nominis significatio, idem sonat ac *sapientia.* — Definiri autem potest: *Scientia rerum per earum ultimas rationes (seu causas) naturali rationis lumine comparata:* vel etiam brevius: *Scientia rerum per altiores causas.*

Dicitur *scientia rerum,* quia philosophia importat cognitionem certam et evidentem non solum rerum quae sunt in aliquo determinato genere, e. g. non solum de animalibus, quod ad zoologiam pertinet, aut de rebus experimentalibus, quod pertinet ad physicam, sed rerum universim, saltem sub generali quadam ratione, agit enim de omnibus, non tantum de humanis et creatis, verum etiam de divinis atque increatis. Hinc Tulliana philosophiae definitio: *Rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus hae res continentur scientia.* (De Officiis

p. II c. II.) Additur *per earum ultimas rationes, seu causas,* quia philosophia quaerit causas rerum, sive rationes quare res sint, vel tali modo sint, et quidem ultimas causas, quantum fieri potest, quaerit, et investigat. Unde dupliciter philosophia ab aliis disciplinis seu scientiis distinguitur 1.° quod hae de determinatis objectis agunt, illa vero de omnibus, 2.° quod hae rationes proximas investigant, illa vero ad altiores et ad supremas rerum causas seu rationes adsurgit. Per hoc autem quod dicitur *naturali rationis lumine comparata,* a theologia distinguitur; quae, licet possit se extendere ad omnia, tamen ipsa ex veritatibus divinitus revelatis procedit, non ex solis veritatibus cognitis per lumen naturale intellectus; unde non potest dici comparata ex solo naturali lumine, sicut philosophia.

2. **Objectum philosophiae.** — Quia philosophia directe et per se investigat et attingit rationes supremas seu ultimas rerum, ideo hae rationes seu causae dicuntur et sunt *obiectum formale quod* philosophiae; quaelibet autem res de qua investigantur rationes seu causae ultimae dicitur *objectum materiale;* prima principia vero seu primae veritates universales abstractae intellectui naturaliter notae quibus philosophus utitur et ex quibus procedit ad investigandas praedictas rationes est objectum *formale quo* seu *sub quo* philosophiae. — Objectum enim scientiae est id quod ipsi objicitur considerandum: philosophiae autem objiciuntur considerandae ultimae rationes omnium rerum per veritates universales abstractas; hinc triplex objectum recensitum; idest: objectum *formale quod,* (ultimae rationes rerum) objectum *materiale* (omne ens) et objectum *formale quo* (Prima principia) philosophiae.

3. **Philosophiae divisio, excellentia, utilitas et necessitas.** — Philosophia dividitur in tres partes: in *logicam,* in *metaphysicam,* in *ethicam* (1). Nam philosophiam esse *scientiam rerum* supra memoravimus; res autem de quibus est scientia, aut existunt solummodo in mente, sicut e. g. conceptus mentis, judicium, ratiocinium et praecipue horum elementa, sicut sunt subjectum, praedicatum etc.; et philosophia qua parte occupatur de his, vocatur *logica:* aut existunt in natura independenter a mente in proprio esse, ut Deus, mundus, homo etc.; et pars quae de his agit dicitur *metaphysica:* aut sunt in natura rationali taliter ut ipsam in finem ultimum recte ordinent aut ab eo avertant, et philosophiae pars quae de his occupatur dicitur *ethica.* — Metaphysica vero dicitur *generalis* si agit de suo objecto abstractissime et generalissime accepto cum suis proprietatibus ut est entitas, unitas, veritas, bonitas, atque de ejus praecipuis divisionibus uti sunt actus, potentia, substantia, accidens, necessitas, contingentia etc.; dicitur specialis si agit de aliquo ente concreto et determinato rationes ejus etiam altiores et ultimas investigando. Unde etiam metaphysica specialis divisiones subit iuxta multiplicitatem objecti de quo agit, et multipliciter denominatur; sicut metaphysica quae agit de mundo dicitur *Cosmologia,* quae de anima *psychologia,* quae de Deo *Theologia.*

Ex definitione et ex divisione tradita palam fit:

I. *Excellentia* philosophiae. Nam per philosophiam homo perficit nobilissimam partem sui, idest partem rationalem sive intellectum, vi cuius omnibus supereminet, et quidem attingendo ipsum Deum qui est

(1) Cf. S. August., *De Civ. Dei,* l. XI, c. XXV; et S. Th. in I Ethic. lect. I, et I phys. lect. I.

nobilissimus omnium, et cognoscendo quid et unde anima sua sit, et ad quem finem tendat.

II. *Utilitas et necessitas.* Etenim valde utile est homini per rationem cognoscere Deum et scire ipsum esse ultimum finem humanae naturae, cognoscere animam, ejus originem, media quibus ad Deum ut finem perveniat, quod per philosophiam licet non plene praestatur; imo philosophiae necessitas sequitur etiam praecipue pro vita christiana, quia per philosophiam sophismata contra fidem a theologo catholico diluuntur et propulsantur (1).

4. **Causa philosophiae.** — Causa philosophiae est imperfecta cognitio veritatis ex qua consequitur admiratio, quae exurgit ex apprehensione alicujus excellentis veritatis cujus causa ignoratur; et ex admiratione consequitur appetitus cognoscendi perfectius veritatem: e. g. cognoscendi causam alicujus effectus; ex appetitu consequitur investigatio, et sic habetur philosophia. Tamen imperfecta cognitio est causa non finalis, sed materialis et aliquo modo efficiens philosophiae, inquatum scilicet ipsa cognitio imperfecta evolvitur et perficitur eo ferme modo quo semen est causa arboris. — Si autem omnes species causarum philosophiae determinare velimus dicendum quod Deus est prima causa efficiens et ultima causa finalis; causa efficiens proxima est lumen naturale intellectus, causa proxima finalis est veritas, causa formalis est ipsa cognitio per causas ultimas, causa vero materialis est ipse intellectus qui ex imperfecta cognitione evolvitur et in quo ipsa philosophia tanquam in subjecto recipitur. Admiratio

---

(1) Cf. Tullium ad Q. Fratrem l. I, Ep. I. n. 10; et l. V Tusculanor. disp.

vero est causa occasionalis et quodammodo causa efficiens inquantum ex ea exurgit cognoscendi veritatem appetitus qui excitat et movet mentem ad inquirendum. — Sed etiam rectae dispositiones animi maxime conferunt ad philosophiam, seu ipsae virtutes morales per quas homo a sensibilibus et materialibus retrahitur, et ad Deum, qui est ipsa veritas, inclinatur (1).

---

(1) Cf. S. Th. in I Metaphysic. lect. III, et c. g. lib. III, c. XXV.

LOGICA MINOR

Caput I.

De logica in genere

(Cf. Zigliara, Logica prolegomena et praecitatos auctores in proleg.)

5. **Definitio logicae.** — *Logica* definitur: *Ars seu scientia directiva rationis humanae in cognoscenda veritate;* seu: *Scientia vel ars directiva ipsius actus rationis per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate, faciliter et sine errore procedat.*

Explicatur definitio. — Dicitur *ars,* quia sicut mens humana adinvenit artes diversas quibus actus humani exteriores debitum finem consequantur, ita adinvenit artem qua ipsa mens dirigatur in suis actionibus quibus veritatem consequitur, et haec est ars logica. — Unde, sicut et aliae artes circa propriam materiam, ita *logica* tradit leges et praecepta, quibus mens dirigatur cum ex una ad aliam veritatem elucidandam et probandam procedit. — Dicitur *scientia,* quia non solum leges et praecepta tradit, sed et tales leges ac praecepta esse necessaria ad evitandos errores et ad veritatem inveniendam demonstrat.

Additur *directiva ipsius actus rationis,* vel simpliciter *rationis humanae,* quia logica ex una veritate

cognita mentem dirigit ad aliam cognoscendam ordinate; et sic mens per logicam faciliter devitat errorem. Sed non posset recte mentem dirigere, nisi ea ex quibus mens procedit essent firma et inconcussa; et ideo ad logicam pertinet talia, idest principia, ex quibus mens incipit ratiocinari, examinare et expendere: unde sicut aliae artes non solum legibus et praeceptis actus exteriores dirigunt uti debitum finem consequantur, sed judicant etiam an materia si apta ut ex ea artefacta produci possint (sic faber lignarius judicat e. g. an hoc lignum sit aptum ut ex eo statua, aut aliud opus, fieri possit); ita etiam logica expendit, examinat quaenam principia sint apta ad inveniendam veritatem; proinde ad ipsam pertinet expendere quaenam sint primae veritates universalissimae vi quarum omnia cognoscuntur, insuper an ex sensibus, vel ex fide aliorum, vel ex ipsa ratione etc. possit veritas haberi.

Adverte logicam, quam definivimus, supponere *logicam naturalem*, quae inest omnibus hominibus etiam rudibus, et est *quaedam naturalis aptitudo menti insita ad ratiocinandum de rebus obviis*. Haec logica suum habet complementum et perfectionem a logica artificiali quae studio acquiritur et quam ab huius capitis initio definivimus.

Hinc logica in duas partes dividitur, quarum prima dicitur *dialectica*, sive *logica minor*, aut *formalis*, altera *critica*, vel etiam *logica major* et *materialis*; secundum quod vel in tradendis explicandisque legibus et praeceptis sistit, aut in examinandis principiis ex quibus veritas scientifica habetur.

6. **Actus mentis triplex.** — Diximus logicam circa mentis actum versari; sed actus mentis triplex invenitur, videlicet: *simplex apprehensio, judicium, ratiocinium*. Qui e. g. fumum percipit dicitur sim-

pliciter apprehendere; qui autem affirmat fumum excaecare, judicare dicitur; qui autem ex eo quod fumus excaecans existit, deducit subesse ignem, ratiocinatur. Unde *simplex* mentis *apprehensio definiri* potest: *Actus mentis quo quid sit res aliqua scimus nihil de ea affirmantes vel negantes, — Iudicium* est: *Actus mentis quo aliquid de altero affirmamus vel negamus. — Ratiocinium* est: *Actus mentis quo ex una veritate cognita aliam veritatem deducimus.*

7. **Subiectum et praedicatum quid sint.** — Quod a mente apprehenditur et affirmatur de alio in judicio sicut e. g. in hoc: *Homo est animal,* dicitur *praedicatum (animal)*, illud vero *(homo)* de quo affirmatur *praedicatum*, dicitur *subjectum.* Tamen *homo* non dicitur et non est *subjectum* nisi quatenus a mente per judicium ei conjungitur praedicatum (in casu animal), et similiter *animal* non dicitur *praedicatum* nisi quatenus conjungitur homini (in casu) per actum mentis. Unde a conjunctione illorum duorum tali modo facta ab actu mentis sen rationis habetur quod *homo* est *subiectum*, et *animal praedicatum.* Dicendo: Aliquod *animal* est *homo*, homo esset *praedicatur* et animal *subjectum.* — Ex quo patet *esse subjecti* et *praedicati* a ratione seu a mente derivari alio et alio modo ipsas res conceptas disponente in suis actibus — et propterea *subjectum* et *praedicatum* non habent esse reale extra mentem sed in mente et a mente seu a ratione, et ideo dicuntur *entia nationis.* — Dicuntur autem materia judicii quia ex illis judicia efformantur, et quia ex judiciis efformantur ratiocinia, ideo sunt etiam materia ratiocinii licet remota.

8. **Objectum logicae.** — Logica idem est ac rationalis scientia; est autem rationalis quia ipsa ad discursum essentialiter ordinatur, unde quidquid est

materia discursus dici potest materia seu objectum *materiale logicae;* et quia materia discursus et sunt objecta exteriora de quibus quaeritur veritas, et praecipue mens, quae hoc speciale habet ut sit in suis actibus a logica dirigibilis circa ipsa objecta, ideo *mens* seu *ratio* in *suis actibus* adsignatur tanquam objectum *materiale logicae.* Obiectum vero *formale logicae* est ipsum subjectum et praedicatum in judiciis et ratiociniis variis modis dispositum aptis ad veritatem inveniendam. — Et quia subjectum et praedicatum est ens rationis et in judiciis et ratiociniis diversis modis per ratiocinationem disponitur et consideratur, ideo recte dicitur a scholasticis quod obiectum logicae *formale* est *ens rationis ratiocinatum* — veritates autem abstractae seu principia quibus subjectum et praedicatum per ratiocinationem diversis modis aptis ad veritatem inveniendam in judiciis et ratiociniis disponuntur sunt ipsum obiectum *formale quo* logicae.

Caput II.

Conceptuum objectivorum coordinatio

(Goudin Logica minor, I pars qu. I, a. 5 ; et Zigliara dial. l. I, c. I, a. 5).

9. **Ratio capitis.** — De simplicis apprehensionis natura, deque iis quae hujusmodi actum comitantur, in praesenti non loquimur ob materiae difficultatem. Nam cum haec sint valde subtilia et objectum cognitionis reflexae, requirunt mentem rite dispositam atque per adsuetudinem praeparatam. Hoc tamen non officit intentui nostro; nam leges praeceptaque quibus explicandis ac demonstrandis incumbimus optime explanare possumus instituendo tractatum de terminis,

qui sunt signa conceptuum et objectorum; intelligibilia enim per sensibilia signa a nobis naturaliter cognoscuntur. Propter eamdem rationem plura de judicio, agentes de propositione, et de ratiocinio, agentes de argumentatione exsplanabimus. Nunc ergo, tradita definitione *simplicis apprehensionis* (n. 6), dicam quid et quotuplex sit mentis *conceptus.*

10. Quid sit et quotuplex mentis conceptus. — *Conceptus* sive *conceptio,* nihil est aliud quam *similitudo objecti cogniti existens in mente, et a mente expressa per actualem considerationem ejusdem objecti.* Haec similitudo dicitur etiam *idea expressa, verbum mentis* seu *verbum cordis,* et distinguitur omnino a phantasmatibus, sive ab idolis imaginationis; nam conceptus est in mente dumtaxat et est proprius intellectualis vel rationalis naturae; phantasma autem est in imaginatione et est commune brutis animantibus.

Conceptus, sive similitudo objecti expressa a mente, dupliciter potest considerari: 1° prout est quaedam affectio mentis, sive quatenus est accidens in mente residens, mentem actuans ipsamque perficiens; sicut imago quae est in pariete potest considerari ut est quoddam ornamentum parietis ipsumque parietem varium et pulchrum reddens: et hoc modo consideratus dicitur *conceptus formalis;* 2° potest considerari prout refert objectum, seu prout est similitudo expressiva objecti; eo modo quo imago in pariete existens potest considerari non quatenus parietem pulchrum reddit et varium, sed exclusive prout est Petri expressiva (et sic in ipsa intelligitur Petrus): et hoc modo consideratus dicitur *conceptus objectivus;* non enim potest sub hoc respectu intelligi, nisi intelligatur ipsum obiectum quod per conceptum exprimitur. — Communiter tamen per *conceptum formalem* intelligitur similitudo objecti existens in mente, et per *con-*

ceptum objectivum intelligitur ipsum *objectum quod,* seu *ratio quae* a mente percipitur; e. g. homo, lapis, substantia.

11. **Coordinatio conceptuum objectivorum sive objectorum.** — Conceptus mentis nostrae qui per simplicem apprehensionem habentur, possunt esse pene infiniti: et ideo non possunt omnes enumerari et expendi; tamen possunt ordinari. Omnia quae sunt possunt exprimi per conceptum *entis:* quiquid enim concipitur, aut concipi potest, est *ens.* — Omnia subsistentia in se et non in alio tamquam in subjecto, ut homo, lapis, continentur sub conceptu *substantiae,* et unumquodque ipsorum potest dici *substantia.* — Omnia vero quae concipiuntur existentia non in se, sed in alio sicut in subjecto, ut quantitas, albedo, actio etc. continentur sub conceptu *accidentis.* Quod generatim et metaphysice loquendo dici potest: *Ens cui non convenit esse in se et per se, sed in alio sicut in subjecto.* Unde quidquid non est substantia vel pars substantiae, dici potest accidens. — Et quia quidquid est, aut ita existit ut non sit in alio tamquam in subjecto, aut ita est ut sit in alio tamquam in subjecto, ideo quidquid existit et concipitur, aut sub *substantia,* aut sub *accidente* comprehenditur; ideoque aut est *substantia,* aut est *accidens. Substantia* ergo et *accidens* sunt duo suprema rerum genera ad quae reducuntur, vel sub quibus continentur omnia objecta quae per simplicem apprehensionem percipiuntur.

12. **Divisio accidentis.** — *Accidens* autem in novem *categorias* vel genera subdividitur; quae sunt: *Quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, ubi, quando, situs, habitus;* quibus si addatur *substantia,* habentur decem *praedicamenta* (vel *categoriae* Aristotelis) ad quae reducuntur omnia objecta mentis sive omnes

nostri conceptus: nam quidquid concipitur, aut est aliquid per se subsistens et non in alio tamquam in subjecto *(substantia)*, aut est quantum, ut bicubitum, tricubitum *(quantitas)*, aut importat ordinem seu respectum unius ad aliud *(relatio)*, aut est quale, puta album, nitidum, virtuosum *(qualitas)*, aut importat actuositatem quamdam *(actio)*, aut receptionem actionis *(passio)*, aut locum (*ubi*), aut tempus (*quando*), aut dispositionem partium in loco (*situs*), aut importat quemdam modum se habendi etiam per rem sibi unitam, ut esse vestitum, esse armatum *(habitus)*.

Praedicamenta, sive *categoriae* Aristotelis recensitae, his versiculis, juvandae memoriae gratia, exprimuntur:

Arbor	*sex*	*servos*	*ardore*	*refrigerat*	*ustos:*
(Substantia)	(quantitas)	(relatio)	(qualitas)	(actio)	(passio)

Ruri	*cras*	*stabo,*	*sed tunicatus ero.*
(ubi)	(quando)	(situs)	(habitus)

Ut per se patet, categoriae Aristotelis exprimunt objecta realia quae rebus existentibus realiter conveniunt; et haec per simplicem apprehensionem percipiuntur. Imo omnes praedictae categoriae, praeter *substantiam*, important aliquid cui convenit esse in aliquo sicut in subjecto; ut *quantitati* convenit esse in re quanta, *actioni* in agente etc.

13. **Categoriarum definitiones et divisiones.** — *Substantia* definiri potest: *Ens cui convenit per se existere independenter a subjecto aliquo cui inhaereat.* — Varias divisiones subit, quas videre licet in sequenti schemate, quod *arbor Porphyriana* nuncupatur.

	Substantia	
Corporea		Incorporea
	Corpus	
Animata		Inanimata
	Vivens	
Sensitiva		Insensitiva
	Animal	
Rationalis		Irrationalis
	Homo	

Petrus, Paulus, Franciscus, individua umana.

Individua dicuntur substantiae *primae* vel simpliciter inferiora; alia vero indicantia ipsam naturam non in singulari seu in individuo existentem, ut homo animal, vivens, etc. dicuntur substantiae *secundae.*

Ea quae in praesenti schemate supra ponuntur, respectu eorum quae infra ponuntur, dicuntur *simpliciter superiora,* sicut ea quae infra sunt posita dicuntur *inferiora;* e. g. *substantia* respectu *corporis, viventis,* etc. et *corporea* respectu *animatae, sensitivae,* etc., dicuntur *superiora:* et vice versa alia respectu horum *inferiora* dicuntur. Substantiae secundae praedicantur de primis; unde dicitur: *Petrus est homo, est animal* etc.; imo superiora praedicantur de inferioribus, ut: *corpus est substantia.*

Adverte 1.°: illud quod de alio praedicatur proprie loquendo non dicitur esse in illo, si praedicatio est in recto, idest in casu nominativo; non enim proprie dicitur e. g. quod homo est in Petro tamquam in subjecto; sed neque ut pars; nam homo non est pars Petri; humanitas autem dicitur esse in Petro, vel etiam in homine, ut pars in toto, non sicut in subjecto (1).

---

(1) Cf. GOUDIN, *Log. Maj,* q. III, a. 2.

Adverte 2.° quod substantiae aliae sunt *completae*, ut homo, corpus etc. aliae *incompletae*, ut anima; primae directe continentur sub praedicamento vel categoria substantiae, secundae vero indirecte, idest ratione totius; et dicuntur *reductive* pertinere ad praedicamentum substantiae.

Quantitas est *accidens extensivum substantiae in partes.* Si partes sint unitae et continuae, quantitas dicitur *continua;* si vero partes unione carent, dicitur *discreta.* Exemplum 1.ae lapis, 2.ae acervus lapidum. Si vero partes existant simul, dicitur *permanens,* ut partes ligni; si autem successive, ut partes temporis, dicitur fluens.

Relatio est *ordo sive respectus vel habitudo unius ad alterum;* ut paternitas, filiatio etc.

Qualitas est *accidens modificativum seu dispositivum subjecti in seipso.* Unde confert substantiae in sua specie constitutae determinatum modum essendi: homo e. g. per qualitatem superadditam potest esse bonus vel malus. Sunt autem quatuor species qualitatis idest: 1.° *Habitus* et *dispositio* — 2.° *Potentia* et *impotentia* — 3.° *Passio* et *patibilis qualitas* — 4.° *Forma* et *figura.* — *Habitus* (1) est *qualitas difficile mobilis disponens subjectum ad prompte, faciliter, delectabiter et perfecte agendum;* — Dispositio autem est *qualitas disponens subjectum ad prompte faciliter, delectabiliter agendum;* — *Potentia* est *aptitudo ad aliquid fortiter agendum;* deficentia talis aptitudinis dicitur *impotentia* — *Passio* est *qualitas qua sensus nostri afficiuntur,* ut frigus; et haec, si causetur et existat modo transitorio, ut in aliquo periculo, ita ut sit languida affectio, dicitur simpliciter *passio;* si vero affectio illa permanenter vel quasi permanenter insit, ut pallor ex

(1) Cf. S. Th. I-II. qu. XLIX a. 1. c. ad 3.m

melancholica complexione, dicitur *patibilis qualitas.* — *Forma* est *qualitas resultans in corpore ex terminatione quantitatis,* et dicitur etiam *figura.* Proprie tamen, *forma* dicitur de rebus artificialibus, *figura* de naturalibus.

Actio est *accidens quo causa constituitur actualiter operans* vel *causans.* Est *transiens,* si terminatur in exteriorem materiam; ut scribere, arare; est *immanens,* si in agente compleatur vel terminetur; ut intelligere, velle, sentire.

Passio ad *actionem* contradistincta est *accidens per quod subjectum constituitur actualiter recipiens effectum vel actionem agentis,* vel est ipsa *actio passive accepta* ut *uri, secari* etc. Haec *passio* non est confundenda cum tertia specie qualitatis.

Ubi designat *locum;* ut supra, infra, domi, etc.

Situs est *dispositio partium corporis resultans ex earum positione,* ut stare, sedere, cubare.

Habitus est *modus se habendi, vel essendi resultans ex iis quae alicui rei superadjunguntur vel ad utilitatem vel ad ornamentum* etc., ut esse vestitum, esse armatum etc.

Caput III.

De praedicabilibus

(Goudin, l. c. a. 4; et Zigliara, l. c. a. 4).

14. Praedicabilia. — *Praedicamenta* hucusque relata vel *categoriae* dupliciter considerari possunt: 1.° in se, quatenus sunt aliquod objectum quod mens nostra apprehendit; e. g. substantia, vel substantia corporea, potest considerari in se exclusive ut est objectum cognitionis; et sic procul dubio est aliquid reale (idem dicito de aliis praedicamentis, puta de quantitate, qua-

litate etc.); 2.° considerari possunt sine singularitate vel sine individuatione quam habent in hoc vel illo, vel in quocumque individuo; potest enim intellectus cum occurrit Petrus, considerare substantiam quin consideret animal, et animal quin consideret hominem, et hominem quin consideret Petrum; et tamen semper aliquid reale considerat intellectus; sed substantia quam intellectus considerat in Petro sine animalitate, non est in Petro sine animalitate, et animal quod considerat in Petro sine homine, non est in Petro sine homine, et homo quem considerat sine consideratione Petri non est sine Petro. Unde substantiae secundum se non convenit esse sine singularitate, sed contingit ei per hoc quod ipsa sola sine singularitate percipitur ab intellectu. Et ideo ipsa substantia abstracta a singularitate, quam habet in individuo hoc, vel illo, vel quolibet, non est realiter abstracta, licet sit aliquid reale in ipsis individuis, sed hoc idest esse abstractam convenit ei per operationem intellectus, idest per *abstractionem,* quatenus, scilicet, cum ipsa in se sit aliquid reale individuatum in aliquo singulari, non considerantur notae individuates ipsam, neque singularitas quae conjungitur ei in individuis.

Et quia substantia, vel animal, vel homo, posita sub hac consideratione, idest sine singularitate cujuscumque individui sub ipsa contenta, indifferenter et eodem modo respicit omnia individua, ideo potest ad quodlibet individuum comparari et de ipso affirmari vel praedicari; sed, quia talem statum indifferentiae et se habendi eodem modo non habet nisi vi illius operationis intellectus, quae dicitur *abstractio,* ideo affirmari vel praedicari de pluribus convenit ei vi operationis intellectus; unde quod sit aliquid abstractum, unum, pluribus commune vel de pluribus praedicabile non est aliquod attributum reale vel aliqua realitas ipsi

rei conveniens; sed est aliquid logicum, seu, ut dicitur, est *ens rationis*. Hujusmodi autem unum importans respectum vel communicabilitatem ad multa vocatur *universale*, utpote multis conveniens, vel *praedicabile*, utpote aptum ut de multis praedicetur, et est *univocum*, quia eadem ratione multis convenit. (1)

15. **Quinque praedicabilia recensentur.** — Eorum autem quae eadem ratione de multis praedicantur quinque modi recensentur; vel enim quod de aliquo subjecto dicitur ipsam naturam vel essentiam subjecti constituit; vel ipsi naturae seu essentiae est

---

(1) *Alia explicatio Praedicabilium.* Categoriae seu praedicamenta ut e. g. substantia sicut et ea quae sub iis continentur ut vivens, animal, homo ecc. aliquid reale important, sunt enim in individuis realibus et ea constituunt, sicut substantia, animal ecc. ad essentiam individui puta Petri pertinent et eam constituunt, unde Petrus non esset hoc individuum reale quod est, si non esset substantia, animal, homo. — Sed separata ab individuis non existunt; nihilominus intellectus ea percipit separatim ab individuis, non tamen percipit ea esse separata quasi sint separata secundum se, secus erraret intellectus; videlicet intellectus percipit illa objecta quae sunt in individuis, per conceptum distinctum a conceptu quo percipit notas individuantes et distinguentes. Et ideo intellectus concipit ea ut unitatem et inde ut communicabilitatem ad plura habentia. Sed primus status in quo intellectus ea concipit, est status abstractionis, indeterminationis et inde communicabilitatis quem habent a modo concipiendi seu a conceptione et comparatione intellectus; secundus status est status determinationis, individuationis et singularitatis. Considerata in primo statu quem habent a conceptione intellectus abstrahentis et comparantis ea ad singularia dicuntur praedicabilia, quia possunt de pluribus affirmari seu praedicari. Et quia omnino eodem modo seu secundum omnino eamdem rationem in illo statu concipiantur ab intellectu et sic de pluribus praedicantur sicut animal, homo etc., ideo dicuntur *univoca* vel *universalia*.

superadditum. Et cum naturam subjecti constituit, aut 1° incomplete ipsam exprimit et quantum ad id solum in quo cum aliis naturis convenit, uti e. g. si *substantia*, aut *vivens* aut *animal* praedicetur de homine, et habetur *genus ;* aut 2° exprimit naturam plene et quantum ad id in quo cum aliis naturis convenit et quantum ad id quo ab aliis naturis vel essentiis differt, ut si *animal rationale* praedicetur de homine, et habetur *species ;* aut 3° exprimit id solum in quo ab aliis subjectis differt, ut si *rationale* praedicetur de homine, et habetur *differentia.*

Quod vero id quod de aliquo subjecto dicitur non constituat naturam subjecti, potest contingere dupliciter: vel enim taliter inest naturae ut necessario et semper ipsam consequatur ab ea emanans et non possit ab ipsa separari, et habetur *proprium* sive *attributum;* vel ita inest naturae subjecti vel subjecto ut ei quandoque insit, quandoque non insit, et possit ab ea separari, et habetur *accidens.* His positis, sic breviter definiuntur *praedicabilia* vel *universalia univoca.*

GENUS est *quod habet aptitudinem ut praedicetur de pluribus specie differentibus,* IN QUID, *sive essentialiter,* ut e. g. *substantia, vivens, animal ;* haec enim dicuntur de naturis sive essentiis specie diversis. — Dividitur autem genus in *supremum, subalternum* et *infimum. Supremum* genus est illud quod supra se non habet aliud genus, ut *substantia* vel *accidens*, imo suprema genera sunt haec duo tantum. *Infimum* est illud quod aliud genus sub se non habet, sed solum species, ut e. g. *animal ;* nam sub animali ponitur statim *homo* vel *brutum*, quae sunt duae species ultimae. *Subalternum* autem genus est illud quod tam supra se quam sub se habet aliud genus, ut e. g. *vivens* quod supra se habet *substantiam*, sub se autem habet *animal.*

SPECIES est *quod habet aptitudinem ut de pluribus solo numero differentibus praedicetur* IN QUID, *seu essentialiter naturam complete explicans ;* ut *homo* praedicatur solum de individuis humanis. Dicuntur solum numero differre quae sunt individua omnino eamdem naturam habentia, vel eadem omnia praedicata essentialia. — Species sub qua nonnisi individua habentur, ut *homo*, dicitur *species specialissima* vel *ultima;* species quae immediate dividit genus supremum dicitur *species suprema*, ut e. g. *substantia corporea.* Species vero quae inter supremam et ultimam continetur dicitur *subalterna*, vel *intermedia.* Haec tamen, quatenus respicit species inferiores, est genus.

DIFFERENTIA est *quod habet aptitudinem ut de pluribus praedicetur* IN QUALE QUID, *seu essentialiter per modum determinantis genus ad speciem ;* ut *rationale* praedicatur de *homine ;* homo enim dicitur *animal rationale.* — Et dicitur *suprema*, si determinat genus supremum ; e. g. *substantiam* ad *corpus ;* dicitur *infima* si determinat genus infimum ad speciem infimam seu specialissimam, ut *animal* ad *hominem ;* est autem *subalterna*, si genus sulbaternum determinat ad speciem subalternam.

PROPRIUM est *quod habet aptitudinem ut de pluribus* praedicetur IN QUALE *non essentiale sed* NECESSARIO. Nam *proprium* immediate et directe procedit ex principiis essentialibus genericis vel specificis ; ut *mortale* praedicatur necessario de *vegetabili*, et *risibile* de *homine.*

ACCIDENS *est quod habet aptitudinem ut de pluribus praedicetur* IN QUALE CONTINGENTER ; e. g. *virtuosus* praedicatur de *Petro* vel de *Francisco* etc. ita ut non sit de essentia ejus, sed exprimit *qualitatem* ei contingenter adhaerentem, potest enim etiam ab eo separari.

16. Distinctio praedicamentorum a praedicabilibus. — Ex dictis patet distinctio *praedicamentorum* a *praedicabilibus ;* nam *praedicamenta* exprimunt modum essendi ; ut *esse subsistens, esse quantum* etc. ; *praedicabilia* vero exprimunt modum praedicandi vel dicendi, idest modum quo praedicatum convenire dicitur subjecto, sive essentialiter, sive necessario, sive contingenter. Adverte illud quod in decem praedicamenta dividitur non esse ens communissimum quod convenit Deo et creaturis, sed esse ens finitum quod solis creaturis convenit. Nam Deus, cum in se omnes perfectiones possibiles contineat, non potest ad aliquam categoriam entis limitari vel coarctari : categoria enim aliquem modum essendi tantum continet, ut esse *subsistens*, esse *quale* etc. ; e contra Deus omnes modos vel plenitudinem essendi continet.

17. De postpraedicamentis antiquorum — Si praedicamenta ad invicem comparentur, habentur quaedam quae dicuntur *postpraedicamenta ;* quae quinque numerantur, scilicet *oppositio, prioritas, simultas, motus* et *modus habendi.* De *oppositione* sermo erit infra, n. 30.

Prioritas generatim sumpta est *praecessio unius ad alterum ;* sicut arbor prior est fructibus ab ipsa productis. — Et quia quinque modis aliud ab alio praecedi potest, quintuplex est prioritas : *durationis, naturae, consequentiae, ordinis* et *dignitatis :* quibus ex opposito correspondet quintuplex gradus *posterioritatis.* — *Prioritas durationis* est *praecessio existentiae unius ad existentiam alterius ;* ita senex praecedit puerum, et unus pontifex praecedit alium. Prioritas *durationis* autem est duplex 1° *Prioritas durationis* quae importat successionem quatenus una res cessat esse et altera ei subintrat et eam praesupponit ut Pontifex vel rex alteri subintrat, 2° *Prioritas durationis* quae successionem non importat, sed simplicem

praesuppositionem, sicut existentia senis praecedit existentiam juvenis. — *Prioritas naturae* est *coexistentia duarum rerum, ita tamen ut una esse accipiat ab altera ;* ita sol est simul cum sua luce, sed lux est a sole. *Prioritas consequentiae* est *praecessio unius ad alterum, quatenus hoc secundum subaudit et includit primum ;* ita animal praecedit hominem, et genus speciem, quia non esset homo, si non esset animal. — *Prioritas ordinis* est *praecessio unius ad alterum in rerum dispositione ;* ita in materiis philosophicis Logica praecedit alias philosophiae partes. — *Prioritas dignitatis* est *praecessio unius ad alterum in ratione officii ;* ita rex, ut rex, subditos praecedit.

Simultas opponitur prioritati, et est *negatio praecedentiae unius ad alterum.* Est vel *durationis* vel *naturae,* etc. secundum quod negatur vel praecedentia *durationis* inter unum et alterum, vel praecedentia *naturae,* vel *consequentiae*, vel *ordinis*, vel *dignitatis.*

Motus late sumptus est *transitus ab uno in alium statum.* — Sex species motus numerantur : 1ª *generatio*, quae est *transitus de non esse ad esse substantiale ;* ut cum generatur animal ; 2ª *corruptio*, quae, ex opposito ad generationem, est *transitus ab esse ad non esse ;* ut cum animal moritur ; 3ª *augmentatio*, quae est *transitus a minori ad majorem quantitatem ;* ut cum corpus nostrum adolescit ; 4ª *diminutio*, quae ex opposito ad augmentationem, dicitur *transitus a majori ad minorem quantitatem ;* ut cum corpus nostrum infirmitate consumitur ; 5ª *alteratio*, quae est *transitus subjecti ab una ad aliam qualitatem ;* ut cum homo repentino periculo pallescit ; 6ª *latio*, quae est *transitus corporis ab uno in alium locum ;* et hoc est quod vulgariter intelligimus vocabulo *motus.*

Modus habendi dici potest *determinata ratio, qua unum alteri inest, vel inhaeret ;* quod quintuplici modo

esse potest: 1° per *inhaesionem*, ut lux parieti, 2° per *continentiam*, sicut dolium habet vinum; 3° per *possessionem*, sicut homo habet agrum; 4° per *relationem* sicut pater habet filium; 5° per *juxta positionem*, sicut corpus habet vestem qua tegitur.

Caput IV.

De Terminis

(Goudin, Logica minor, I pars, qu. I, a. 1, 2: et Zigliara, l. c. cap. II, a. 1).

18. **Quid est signum.** — *Signum* dici potest: *Quidquid, occurrens sensibus, facit aliquid in cogitationem venire*, sicut vestigium animalis ipsum animal transisse facit in cogitationem venire.

19. **Quotuplex est signum.** — Signum autem aliud est *formale*, aliud *instrumentale*. Primum, idest *formale*, illud est quod *ducit in cognitionem alicujus rei vi similitudinis in ipso existentis. Instrumentale* est illud quod *ducit in cognitionem alicujus rei vi cujuslibet connexionis, quae similitudo non sit.* Exemplum primi est *imago*, exemplum secundi est *fumus* qui est signum instrumentale ignis. Instrumentale subdividitur in *naturale* et *arbitrarium*. *Naturale signum* illud est quod *importat connexionem cum re, cujus est signum, ex sua natura, independenter ab hominum institutione*, ut fumus. Signum instrumentale *arbitrarium* illud dicitur quod *habet connexionem cum re dependenter a libera voluntate*, et dicitur etiam *datum*, ut *emblemata*.

20. **Signa varia quibus conceptus exprimuntur.** — Multa sunt signa quibus mentis conceptus exprimuntur, e. g. nutus, gestus, voces, scriptura etc.

sed inter omnia, voces primatum tenent. Alia enim signa ad supplendas voces inducuntur (1).

21. **Definitio signi logici seu termini.** — Objectum quod per simplicem apprehensionem percipimus designamus per vocabulum quod a logicis *terminus* dicitur, vel *signum logicum; terminus* autem ita definitur: *Signum rei simplici apprehensione perceptae.* Ab Aristotele *terminus* definitur: *Id in quod resolvitur propositio tanquam in praedicatum aut subjectum.* Ratio hujus definitionis est quia in resolutione propositionis id quod *ultimo* remanet est praedicatum aut subjectum, idest terminus, qui praedicatum designat, aut subjectum. — Adverte denique terminum esse signum non naturale, sed arbitrarium.

22. **Termini logici significatio.** — Quia terminus institutus est ad designandum conceptum, et conceptus formalis non habet rationem suae existentiae, nisi ratione conceptus objectivi, ideo illud, quod intendimus primo et directe per terminum designare, est conceptus objectivus, et ideo ratio quae per conceptum ipsi menti obiicitur; secundario autem ipse conceptus formalis. Quia tamen terminus conceptum formalem supponit, et per ipsum est, et vi ipsius significat, ideo vere dici potest quod terminus per conceptum formalem significat conceptum objectivum.

23. **Quotuplex terminus.** — Inter terminos autem quidam sunt qui in se sumpti habent completam significationem, et tales sunt *nomina, verba* et ii qui derivantur ab eis, ut *participia, adjectiva*, et hi dicuntur *categorematici;* alii vero sunt qui singillatim sumpti nullam habent significationem, sed conjunguntur

---

(1) Cf. Rossignoli, *Principi di Filosofia*, vol. I, p. I, c. I, § 2 *Della parola.*

terminis significantibus; e.g. omnis, nullus, aliquis, etc. et hi dicuntur *syncategorematici.*

24. **Termini singulares, universales, particulares, trascendentales.** — Quidam termini dicuntur *singulares*, alii *universales*, alii *particulares*, alii *transcendentales.* Terminus *singularis* ille est qui rem aliquam singularem, idest pluribus non communem, designat, ut e. g. Petrus, Florentia. Dicitur autem *universalis* si designet aliquid quod possit de omnibus habentibus eamdem naturam aut specificam aut genericam affirmari; ut homo, animal, lapis, substantia etc. Si autem est communis pluribus, non autem *omnibus eamdem naturam habentibus,* dicitur *particularis;* ut e. g. doctus, virtuosus etc. Termini *transcendentales* illi dicuntur qui aliquid quod est in omnibus rebus imbibitum, et quod proinde de omnibus rebus potest praedicari vel affirmari, designant. Enumerantur autem quinque termini transcendentales, videlicet: *Ens, aliquid, verum, bonum* et *unum,* Quidquid enim est aut in se potest concipi, *ens, aliquid, verum, bonum, unum* potest dici. — Praeter nomina substantiva dantur etiam nomina adiectiva transcendentia, e. g. *Appetibile, intelligibile, cognoscibile;* imo haec duo ultima a quibusdam vocantur termini *supertranscendentes* quia, non solum de entibus, sed etiam de privatione et negatione entis praedicantur. — Haec proprie; sed quandoque termini *transcendentales* dicuntur etiam *universale.*

25. **Termini univoci, aequivoci, analogi.** — Terminus *univocus* dicitur qui designat rem pluribus communem *secundum eamdem omnino rationem;* e. g. *homo, lapis, animal, arbor* etc. Terminus qui pluribus tribuitur, non significans vel non designans aliquid secundum eamdem rationem, vocatur *aequivocus:* sic terminus *gallus* tribuitur homini Galliae et cuidam volatili;

et *canis* tribuitur cuidam animali et cuidam syderi, et *homo* dicitur de individuo humano et de imagine ejus.

Terminus autem *aequivocus*, vel 1.° tribuitur diversis, nullo habito respectu ad proportionem, licet remotam, fortasse in eis existentem, et dicitur *pure* aequivocus; ut est terminus *gallus;* non enim *gallus* tribuitur homini Galliae et avi domesticae ob aliquam similitudinem aut proportionem in eis existentem; vel 2.° tribuitur diversis ob aliquam proportionem vel similitudinem vel relationem in ipsis existentem, licet remotam, et dicitur *analogus*. Sic e. g. *Sol* dicitur de Christo Domino et de quodam astro, licet diversa ratione; et *Leo* de eodem Christo Domino, et de quodam animali.

26. **Terminus analogus analogia proportionis, et analogus analogia proportionalitatis.** — Terminus dicitur analogus *analogia proportionis*, cum significat eamdem perfectionem sive formam in diversis quibus tribuitur, non tamen eodem modo sed diversimode, sic e. g. illuminatio diverso modo significat si dicatur de Christo, qui est Sol justitiae, et si dicatur de Sole astro: et *ens* diversimode significat, si dicatur de substantia et accidente, de Deo et de creatura (ut suo loco dicemus). Terminus analogus *analogia proportionalitatis* dicitur qui diversa significat, quae, licet per se proportionem non habeant, habent tamen per comparationem ad alia ad quae pertinent. Sic *pes* dicitur de parte hominis et de quadam parte montis; sed pes hominis et pes montis in se accepti nullam habent proportionem ad invicem; tamen habent proportionem quatenus *pes* hominis est *infima* pars hominis, et *pes* montis est *infima* pars montis. Unde habent proportionem per comparationem ad totum cujus partes sunt.

27. **Analogus analogia attributionis.** — Etiam *sanus* dicitur de aëre et de colore vultus per quam-

dam analogiam proportionalitatis, nempe per ordinem ad animal in quo sanitas vere et proprie reperitur, non tamen haec proportionalitas est omnino sicut antecedens nam 1' in proportionalitate antecedente terminus de uno puta de pede hominis proprie dicitur, de altero metaphorice; sed in praesenti de utroque idest de aere et de colore dicitur metaphorice, dicitur autem de ipsis per ordinem ad animal de quo sanus proprie dicitur; et haec *analogia* appellatur attributionis. Proprius ergo quando terminus dicitur de diversis per ordinem ad aliquod tertium, in quo ratio significata per terminum vere et proprie reperitur, dicitur analogus *analogia attributionis;* ut e. g. *sanus* dicitur de cibo, de aëre, de vultus colore, de medicina etc. sed per ordinem ad sanitatem vere et proprie existentem in animali, quod propriissime dicitur *sanum.* Illud autem in quo ratio expressa per terminum vere et proprie invenitur, dicitur a scholasticis *summum analogatum.* — Dicitur analogus analogia attributionis terminus etiam quando dicitur de duobus secundum quod attenditur ordo vel respectus non ad aliquid alterum, sed ad unum ipsorum, sicut ens de substantia et accidente dicitur secundum quod accidens ad substantiam respectum habet, non secundum quod substantia et accidens ad aliquod tertium referantur (cf. S. Th. c. g. l. 1, c. XXXIV, et de verit. qu. 2^a, a. 11, c. cf. Billot. *de Deo* p. 164).

28. **Terminus concretus et abstractus.** — Terminus *concretus* dicitur qui designat perfectionem aut carentiam perfectionis et simul illud in quo est talis perfectio vel imperfectio; ut e. g. *virtuosus,* qui designat virtutem et illud in quo virtus est, seu designat *habentem virtutem;* item *homo* designat humanitatem et illud in quo est humanitas, idest *habentem humanitatem,* et *coecus* designat *habentem coecitatem*

seu carentiam visionis. Habens dicitur *subiectum*, perfectio habita dicitur *forma*, et carentia perfectionis debitae dicitur *privatio*. Unde virtus, humanitas, dicuntur formae; virtuosus, homo, dicuntur subiecta, quae tamen formam includunt; sicut coecitas dicitur privatio cujus subjectum est coecus — Terminus *abstractus* designat perfectionem solam sine subjecto, sive formam. Breviter dicam: Terminus concretus designat subjectum cum forma, vel privatione, terminus abstractus designat formam aut privationem.

Uterque terminus subdividitur in *positivum* et *negativum*. Et positivus potest esse tum positivus *voce*, tum *sensu*; sicut Deus, homo, etc.; potest esse positivus *sensu*, non autem *voce*, ut *immortalis*; aut positivus voce, non autem sensu, ut *mors*, *coecitas* etc. aut potest esse negativus tum voce, tum sensu, ut *immemor*. Haec facilia sunt neque longiori explicatione indigent.

29. **Terminus primae et secundae intentionis.** — Terminus *primae intentionis* dicitur qui designat aliquid reale, idest aliquid quod rei convenit independenter a mentis consideratione, e. g. homo ambulat, animal vivit. Tam homo quam animal designat aliquid reale. Si autem terminus designet aliquid quod alicui convenit vi operationis mentis dicitur *secundae intentionis*; e. g. homo est species, vel homo est subjectum propositionis etc.; nam esse speciem convenit homini per operationem mentis, sicut et esse subjectum aut praedicatum propositionis. Dicitur autem primae intentionis quia illud quod prius a nobis concipitur et intenditur significari per terminum talem, est aliquid reale; et nonnisi secundario et per quamdam reflexionem cognoscitur et intenditur significari per terminum, illud quod convenit rei per operationem mentis.

30. **Comparatio terminorum ad invicem.** — Si termini comparentur ad invicem, inveniemus eos habere vel non habere *connexionem ;* et similiter habere vel non habere *oppositionem.* Termini connexionem habentes dicuntur *connexi*, vel *pertinentes ;* et illi sunt quorum unus alium infert, seu includit, ut e. g. *animal* et *sensitivum, homo* et *rationalis, angelus* et *intellectivus.*

Termini quorum unus excludit alium generatim dicuntur *oppositi* vel *repugnantes.* Termini autem oppositi quidam sunt *contradictorii*, alii *privativi*, alii *contrarii*, alii *relativi.*

Termini *contradictorii* dicuntur ii quorum unus *simpliciter* removet id quod per alium ponitur, sicut: *arbor* et *non arbor*, *ens* et *non ens*, etc.

Termini *privativi*, vel *oppositi privative*, illi dicuntur quorum unus significat formam, alius vero negationem huius formae, in subjecto tamen capaci talis formae : ut e. g. *vivus* et *mortuus, videns* et *caecus* etc.

Termini *contrarii* ii dicuntur qui significant res positivas sub eodem genere contentas, quarum tamen una aliam ab eodem subjecto excludit, ut *virtus* et *vitium.*

Termini *relativi*, vel *oppositi relative*, ii dicuntur quorum unus significat respectum sive ordinem ad alium, et vice versa ; ut *pater* et *filius.*

Si autem unus terminus alium excludat quatenus implicite significat aliquid quod ab alio excludatur, tunc dicuntur *disparati*, ut e. g. *homo* importat *rationale*, quod ab *arbore* aut a *bruto* implicite excluditur.

Caput V.

De Proprietatibus terminorum

(Goudin, l. c. a. 3; et Zigliara, l. c. a. 2, 3).

31. **Proprietates terminorum.** — Proprietates terminorum quinque recensentur, videlicet: *Suppositio, appellatio, ampliatio, restrictio, alienatio.* Primae duae, videlicet *suppositio* et *appellatio*, principaliores sunt, et ideo de ipsis diffusius quam de aliis est dicendum.

32. **Quid sit terminorum suppositio.** — *Suppositionis* nomine intelligitur *acceptio, sive usus termini pro aliqua re determinata, seu ad significandam rem aliquam determinatam.* Nam terminus plura potest significare; cum enim ea quae sunt, pene infinita sint, et tot correspondentes termini haberi non possint, necesse est ut per unum terminum plura possint significari; et tamen oportet ut, cum loquimur, termini significatio ad unam rem determinatam significandam adsumatur.

33. **Species suppositionis.** — Suppositio primo dividitur in *materialem* et *formalem.* — *Suppositio materialis* habetur cum terminus accipitur non pro re significata per terminum, sed pro ipsa voce, sive pro ipso termino; ut si dicam: Hic terminus *homo* est *vox* quaedam, est *nomen* in vocabulario relatum. — Habetur *suppositio formalis* cum terminus adsumitur ad aliquid significandum ab ipso termino distinctum; ut si dicam: *Homo* est *animal.*

34. **Suppositio realis et logica.** — Suppositio *formalis* subdividitur in *realem* et *logicam.* — Dicitur *realis*, si terminus adsumatur ad aliquid, quod est in

natura, independenter a mentis consideratione, significandum ; ut si dicam : *Homo* est *substantia quaedam existens in natura.* — Habetur *logica* suppositio, cum terminus adsumitur ad significandum aliquem modum qui rei competit non in se spectatae, sed secundum quod est in mente; e. g. si dicam : *Homo est subjectum hujus judicii, aut praedicatum ;* nam esse subjectum vel praedicatum judicii non convenit homini nisi quatenus a mente aliquod judicium efficitur.

35. **Suppositio absoluta et personalis.** — Suppositio *absoluta* habetur cum terminus adsumitur ad significandum aliquid quod convenit naturae secundum se acceptae, idest secundum quod exprimitur per definitionem, e. g. *homo est rationalis.* Si autem terminus adsumatur ad significandum id quod convenit individuo aut ratione principii individuationis, aut ob peculiares conditiones et circumstantias ejus, suppositio dicitur *personalis :* ut si dicam : *Homo est doctus,* vel *homo moritur.*

36. **Suppositio communis et singularis.** — Suppositio *communis* habetur cum terminus significat aliquid quod pluribus convenit. Ita *homo, animal, medicus* etc. Dicitur *singularis,* cum terminus significat aliquid quod uni soli convenit individuo. — Communis autem est triplex : *universalis, particularis* et *collectiva.* Si illud quod terminus significat, convenit omnibus quae habent eamdem naturam specificam aut genericam, suppositio termini est *universalis ;* e. g. *homo, animal, substantia ;* nam et Petrus est homo, et Paulus est homo, et quodlibet individuum humanae naturae est homo, etc. Suppositio universalis dicitur etiam *distributiva* propter hoc, quod singulis distribui vel applicari potest ; quandoque tamen exceptiones patitur, ut si dicam : *Omnis homo in Adam peccavit,*

hoc modo distribuitur ; et Cain et Abel, et Abraham, et Moyses, et quodlibet individuum humanae naturae (excepta Beata Virgine Maria) in Adam peccavit. Quandoque verificatur solummodo de speciebus alicuius generis ; ut si dicam : *Omnia animantia ingressa sunt arcam Noë ;* non enim omnia individua ingressa sunt; et in hoc casu terminus dicitur supponere *pro generibus singulorum.* Si autem verificatur de omnibus individuis, dicitur supponere *pro singulis generum.* Si illud quod terminus significat, diversis quidem conveniat, non omnibus eamdem naturam habentibus, sed quibusdam tantum, suppositio dicitur *particularis*, e. g. *homo est medicus ; homo* enim supponit non pro omnibus individuis humanae naturae in hac propositione, sed pro quibusdam tantum. Si vero terminus designat collectionem individuorum quibus simul sumptis tantum conveniat aliquod praedicatum, suppositio *collectiva* dicitur ; ut si dicam : *Omnes Evangelistae sunt quatuor.*

37. **Suppositio particularis determinata et indeterminata.** — Suppositio particularis potest esse *determinata* et *indeterminata ;* est *determinata* quando terminus ex adiunctis ita designat aliquod individuum determinate ut aliud designare non possit, ut si dicam : *Aliquis apostolus tradidit Christum ;* nam *aliquis apostolus,* in hac propositione, nonnisi de Juda verificatur ; habetur autem suppositio *indeterminata* quando terminus etiam attentis adiunctis, indifferenter hoc vel illud individuum designat ; ut si dicam : *Aliquis oculus* est necessarius ad videndum, videlicet aut dexter aut sinixter.

38. **Quid et quotuplex appellatio.** — *Appellationis* nomine intelligitur : *Applicatio significationis unius termini ad rem significatam per alium.* E. g. *Deus est justus.* Habetur ergo appellatio per hoc quod

aliquod praedicatum alicui subjecto tribuitur. Praedicatum dicitur *terminus appellans*, subjectum vero *terminus appellatus*. Si praedicatum attribuitur subjecto ratione formae ipsius subjecti, appellatio dicitur *formalis ;* sicut cum dicimus : *Medicus sanat*, appellatio est formalis : nam medico convenit sanare ex ea proprietate vel forma qua est *medicus ;* sicut etiam cum dico : *Album albescit, lux lucet, virtuosus virtuose agit*, appellatio est formalis. E contra, si dicam : *Medicus cantat*, appellatio *materialis* est ; non enim medicus cantat quia est medicus, sed aliunde, puta quia est musicus ; nam, cum sit homo, in eo potest esse forma vel perfectio qua cantare possit. Item appellatio materialis est cum dico : *Album est frigidum*, vel *album est durum, aut molle* etc. — Adverte quod terminus appellans semper sumitur secundum suum formale, ut cum dico : *Homo est doctus, doctus* sumitur pro *habente doctrinam,* unde propositio idem sonat, ac : *Homo est habens doctrinam ;* secus nihil significaret terminus appellans ; vel, ut dicitur, haberetur *tautologia*.

39. **Reliquae terminorum proprietates.** — *Alienatio* est acceptio termini non in sensu proprio, sed metaphorico. Si autem terminus non adsumatur in tota extensione suae significationis, habetur *restrictio ;* ut si dicam : *Heva est mater cunctorum viventium ;* terminus *cunctorum viventium* restringitur ad homines significandos. Habetur *ampliatio* quum terminus ad alia significanda extenditur praeter ea quae primo aspectu de se significare videtur, ut cum dicitur ; *Mansueti haereditabunt terram ; haereditabunt* in se spectatum, solum futurum designat, sed in subjecta materia ad praeteritum et ad praesens se extendit.

40. **Regulae pro recto terminorum usu.** — Pro recto terminorum usu quinque regulae traduntur : 1ª est quod non adhibeantur vocabula aequivocae,

obscurae, aut vagae significationis absque necessitate; et si necessitas cogat, rite explicentur; 2ª cavendum est a verbis inutilibus et inanibus; 3ª in designandis rebus determinatis et specificis, termini correspondentes adhibeantur, et abstinendum est a terminis nimis genericis et maxime a transcendentibus quantum fieri potest; sicut etiam metaphoricae locutiones in scientiis vitentur quando propriae adhiberi possunt; 4ª verba usurpentur semper secundum significationem quae iis communitur tribui solet; si autem nova res novum vocabulum exigat, explicetur; 5ª attendatur, in adhibendis terminis, ad conditionem audientium; nam si cum doctis, scientificis terminis uti possumus, cum rudibus, quantum fieri potest, vulgaris sermo adhibendus, secus nihil intelligent, et locutio ridicula et illusoria erit.

Caput VI.

De definitione et divisione

(S. Th. in II Posteri lect. XVI; Goudin, l. c. qu. II, a. 2; Zigliara, dial. l. I, c. III. Lepidi, *Elem. Phil. Christ.*)

41. **Ratio capitis.** — Dictum est supra (n. 21) per terminos designari objecta a nobis cognita; sed objecta multa a nobis cognoscuntur modo confuso et imperfecto. In praesenti non quaerimus rationem hujus defectus, sed hujusmodi defectui occurrere, quantum fas erit, intendimus, quod quidem officium est logici. Plura autem media a logica adsignantur, et sunt: *Attentio, abstractio, comparatio, reflexio, definitio, divisio.* De primis quatuor breviter, de duobus ultimis paulo diffusius dicendum est.

42. **Objectum actuum mentis duplex, simplex et compositum.** Ut plenius intelligatur natura actuum mentis de quibus agimus considerandum est duplex esse objectum circa quod versantur, simplex et com positum. Porro illud quod constat ex partibus compositum dicitur, sicut homo qui constat ex anima et corpore, vel ex animalitate et rationalitate. Objectum vero illud quod partibus expers est *simplex* nuncupatur.

43. **Quid est attentio, abstractio, comparatio, reflexio.** — *Attentio* est vivida et firma applicatio mentis unico objecto, ne a consideratione plurium obiectorum distrahatur, et eius efficacia impediatur circa obiectum quod quis intelligere cupit; nam *pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

Abstractio est actus mentis quo quis unam dumtaxat proprietatem sive notam inter plures, quae alicui objecto conveniunt, considerat separatim ab aliis; qua plene et distincte percepta, potest aliam proprietatem separatim ab aliis considerare, et postea aliam usque ad ultimam; et sic ipsum objectum, cui tales proprietates insunt, perfecte intelligere. — Tamen philosophice sic melius definitur *abstractio: Actus mentis quo percipitur natura vel proprietas alicujus objecti sine notis individuantibus aut determinantibus ipsam, et quo fit apta ut possit ad alia objecta comparari et affirmari vel negari de ipsis.*

Comparatio est actus mentis quo quis confert diversa ad invicem, ut unum alteri convenire aut non convenire, percipiat, vel ut per unum illustretur aliud; idest ut objectum per aliud quod clarius est cognoscatur.

Reflexio est actus quo mens iterum idem objectum considerat, ut quod primo obtutu non vidit, videat replicata atque intensiori meditatione. Tamen philosophice loquendo sic melius definitur: *Reditio seu*

replicatio mentis super seipsam vel super idem objectum jam cogitatum.

44. **Definitio.** — Nomine *definitionis* intelligitur; *Oratio* (idest *complexus verborum*) *qua respondetur interroganti quid sit res;* sicut interroganti, *quid sit anima,* respondemus per definitionem dicendo: *Anima est primum principium vitae in his quae apud nos vivunt.* Dici etiam potest: *Oratio quae explicat quid sit res aliqua.*

45. **Definitio nominalis et definitio realis.** — Definitio *nominalis* habetur cum oratio explicat quid aliquod nomen significat. Definitione nominali explicamus non solum objecta realia, sed etiam negationes, contradictiones, et quidquid cadere potest, sive per se sive per aliud, sub mentis consideratione. Haec definitio praescindit ab existentia et realitate rei. Definitio *realis* est ea quae explicat aliquid reale quod per terminum sive per vocem significatur. — Definitio nominalis distinguitur ab *etymologia* in hoc, quod haec designat originem nominis, illa vero quid nomen significet.

46. **Definitio intrinseca et extrinseca.** — Definitio alia est *intrinseca,* alia *extrinseca; intrinseca* dicitur si est per principia quae in ipsa re quae definitur continentur et ipsam constituunt vel aliquo modo complent, ut ejus perfectiones. Definitio *extrinseca* ea est quae explicat rem per principia quae non sunt in ipsa re, sed ad quae res explicata ordinem dicit; ut si definirem animam humanam esse *substantiam a Deo creatam ad imaginem suam propter beatitudinem.* Haec enim, Deus scilicet et beatitudo, sunt quid extrinsecum animae humanae. Si autem modum adsignet quo res procedit a causa efficiente, dicitur *genetica.*

47. **Definitio essentialis et descriptiva.** — Definitio *intrinseca* dicitur *essentialis,* si explicet rem per

ea quae ipsam naturam vel essentiam constituunt et distinguunt a caeteris aliis, ut sunt *ratio generis,* et *differentiae.* Et est duplex : *physica* et *metaphysica ; physica* est quum principia per quae res explicatur sunt ad invicem realiter distincta ; ut cum definitur homo : *Compositum ex corpore organico et ex anima rationali.* Quando autem principia per quae res explicatur non distinguuntur in re, sed ex modo quem habent in mente, definitio dicitur *metaphysica ;* ut si definiam hominem : *Animal rationale.* Nam *homo* a parte rei est *animal* et est *rationale ;* et ideo *animal* et *rationale* in *homine* sunt ipse homo, idest unum et idem a parte rei.

Definitio descriptiva ea est quae aliunde quam per principia essentialia rem explicat, idest aut per proprietates vel per accidentia. Prima dicitur *propria,* altera *accidentalis.* Ad primam habendam sufficit una proprietas ; ad secundam autem requiritur ut tot accidentia enumerentur quae simul sumpta nonnisi rei quae definitur conveniant.

48. **Regulae pro bona definitione.** — PRIMA LEX. — *Definitio sit clarior re definita ;* vel, ut alii dicunt: *definitio sit clara.* Ratio est quia secus non explicatur res de qua quaeritur quid sit. Ex hac regula sequitur : 1.° quod *definitum excludi debeat a definitione ;* nullus enim terminus per se ipsum explicatur; 2.° *definitio constet genere proximo speciei infimae et ultima differentia ;* nam recta et clara definitio debet explicare id in quo res definita cum aliis convenit et id in quo ab aliis differt ; secus non distingueretur ab aliis, neque proinde distincte, sed confuse et obscure explicaretur ; unde non est recta haec definitio: *Homo est substantia rationalis,* quia non designatur sufficienter id in quo cum brutis convenit; 3.° *definitio non debet esse negativa ;* unde ea quae per viam negationis expli-

cantur, non dicuntur definiri proprie loquendo; 4° sequitur *multa definiri non posse,* ut transcendentia, Deus et generatim omnia quae omnino *simplicia* sunt; tamen per hoc non impeditur quominus possint explicari vel per causam, vel per effectum, vel per alia quae habent relationem ad ipsa.

SECUNDA LEX. — *Definitio* (idest quod exprimitur per definitionem) *dicatur de definito, et definitum dicatur de definitione;* idest *definitum* et *definitio ad invicem convertantur.* Nam si unum non dicatur de altero, sequitur quod aliquid contineatur in uno quod non continetur in altero. Et si quidem in definito contineatur aliquid quod non continetur in definitione, tunc per definitionem non explicatur totaliter definitum; si autem in definitione continetur aliquid quod non contineatur in definito, tunc adsignatur aliquid convenire definito quod non convenit; et ideo definitio falsam cognitionem ingenerabit. Unde, si homo definiatur *animal mortale,* non recta erit definitio; nam, licet *omnis homo sit animal mortale,* non tamen *omne animal mortale est homo;* est autem recta definitio si dicatur: *homo est animal rationale;* quia *omnis homo est animal rationale,* et *omne animal rationale est homo.*

49. **Divisio.** — *Divisio* de qua loquimur non est divisio realis, quasi realis separatio physica; sed divisio quae fit a mente, et dicitur *divisio dialectica;* definitur autem: *Oratio distribuens totum in suas partes,* seu *distributio totius in partes.* Ex his manifestum est simplex omnino dividi non posse, utpote carens partibus; et ideo quod dividitur est aliquo modo compositum, sive secundum rem, sive secundum rationem; omne autem compositum consideratur ut quoddam totum, sicut etiam totum ut quoddam com-

positum concipitur; ideo quid est totum explicandum est, ut tradita definitio plene intelligatur.

50. **Notio et divisio totius.** — *Totum* dici potest: *Unum aliquid quod in plura* (quae *partes* dicimus) *resolvi aliquo modo potest.* Dividitur autem in *actuale* et *potentiale. Totum actuale* dicitur illud, quod partes omnes in quas dividitur et ex quibus resultat, actu includit, sive sint distinctae distinctione *reali*, sive distinctione *logica* seu *rationis;* sicut *homo* est quoddam compositum actuale, cujus partes sunt *anima rationalis et corpus organicum*, quae distinguuntur realiter; vel *animalitas* et *rationalitas*, quae non sunt duae partes distinctae realiter, sed secundum mentis considerationem. *Totum potentiale* illud dicitur, quod non includit actu suas partes in quas dividitur, sed in potentia tantum, vel est ipsum *universale*, quod, licet secundum se non importet plura actu, tamen potest se extendere ad plura; ut *animal*, e. g. secundum se inspectum non dicit vel non includit neque *rationale*, neque *irrationale*, sed tamen ad utrumque se extendit; et hoc *totum* scilicet *potentiale*, est vel *univocum* vel *analogum*, sicut *universale* ipsum.

51. **Subdivisio totius actualis.** — *Totum actuale* aut est *physicum*, aut *metaphysicum;* est *physicum*, si partes sint realiter distinctae, ut *anima et corpus* in *homine;* est *metaphysicum*, si partes sint distinctae secundum mentis considerationem, ut *animalitas et rationalitas hominis.* Si partes naturam compositi constituant, habetur *totum essentiale*, et etiam partes dicuntur *essentiales;* si vero ipsum in sua natura non constituant, sed potius ipsum supponant, licet non omnino completum, habetur *totum integrale*, sicut *manus* aut *digiti* respectu *hominis.* Denique *totum potestativum* illud dicitur cujus partes sunt potentiae vel virtutes unius substantiae, aut officia unius potentiae, vel

virtutis, ut si anima considéretur ut continet sensum et intellectum, et si dicatur ad prudentiam pertinere consilium et judicium. Quod resultat ex subjecto et accidente dicitur *totum accidentale*, ut *album* constat ex *subjecto et albedine*. Unde partes *totius accidentalis* possunt esse *subjectum* et *accidentia*, vel *accidens* et *subjecta*, vel *accidentia sola*.

52. **Variae divisiones accidentales.** — Hinc sequuntur variae divisiones accidentales. — 1ª *Divisio subjecti in sua accidentia*, idest divisio subjectorum secundum diversa accidentia, ut *homines* dividi possunt in *albos*, *nigros* etc.; 2ª *divisio accidentis in diversa accidentia*, ut *amarum* dividi potest in *salubre* et *in insalubre*, et *album* in *amarum* et *dulce*, in *durum* et *molle*, etc. — Etiam *totum potentiale* dividitur *per accidens*, si in sua accidentia distribuatur; ut si dividatur *animal* in *alatum* et *non alatum*. Haec divisio contrapponitur divisioni *per se*. Nam *per se* dividitur totum potentiale cum genus distribuitur in suas species immediatas, ut *vivens* in *animal* et *plantam*; vel in suas differentias specificas, ut *substantia* in *corpoream* et *incorpoream*.

53. **Leges divisionis.** — Leges divisionis quatuor recensentur.

1ª lex est ut *nulla pars relinquatur enumeranda*. Ratio est quia, sicut ex divisione totius habentur partes ipsius, ita ex conjunctione partium in quas ipsum dividitur habetur totum. At, si quaedam partes adsignentur, partibus aliis relictis, ex conjunctione partium divisarum non habetur totum divisum, sed pars ejus; et ideo non ipsum totum, sed pars ejus erit divisa. Unde divisio *viventis* in *hominem* et *brutum*, non est recta; quia dantur alia viventia, ut *plantae*, etc.

2ª lex est ut *nullum membrum divisionis excedat aut*

adaequet totum divisum. Haec lex patet ex sese, nam totum quod dividitur, suas partes semper excedit, iuxta illud axioma : *totum est majus qualibet sua parte.* Sed adverte : 1^0, totum quod dividitur, posse esse *actuale;* et tunc plura actu comprehendit quam quaelibet ejus pars, et sic excedit partem *comprehensione;* ut *homo* plura comprehendit quam *corpus,* vel quam *animal;* 2^0 totum quod dividitur, posse esse totum *potentiale*, ut *genus ;* et tunc divisio non attenditur secundum ea quae in se comprehendit, sed secundum ea ad quae se extendit et de quibus praedicatur; ut *animal ;* et tale totum excedit suas partes *extensione,* non *comprehensione.*

3^a lex est *ut membra dividentia, sive adsignata in divisione se invicem excludant.* Nam, si membra adsignata non se invicem excludant, adsignantur et multiplicantur partes quae revera non sunt partes distinctae, ut si, e. g. dividatur globus noster in Europam, Asiam, Africam, Americam, Oceaniam et Italiam, non est recta divisio, quia Italia includitur in Europa. Adverte tamen sufficere ut partes adsignatae verificentur et multiplicentur in rationibus objectivis et abstractis; sicut *bonum* dividitur in *utile, honestum* et *delectabile.* Nam, licet idem bonum possit esse utile, honestum et delectabile, non tamen eadem est ratio utilitatis, ratio honestatis, ratio delectabilitatis.

4^a lex est ut *in divisione primo adsignentur membra in quae immediate dividitur totum, ac postea, si occurrat necessitas, membra immediate dividentia singillatim subdividantur.* Ratio est quia divisio debet esse simplex et minus complicata quam fieri possit, secus confusio non evitatur; nam *simile confuso est quidquid usque in pulverem sectum est.* Et major confusio etiam habebitur, si, partibus principalioribus neglectis, ad subdivisiones immediate procedatur.

Caput VII.

De judicio

(Zigliara, dial., l. II. c. I ; Lepidi lib. II, Logicae Sect. II, c. I et V Hugon, Logica. Tract. II. qu. I. Germano, Logica major c. II. Prael. XXII'.

54. **Ratio capitis.** — Hucusque de prima operatione mentis, idest de simplici apprehensione, et de signis quibus objecta simplicis apprehensionis designantur, dictum est; nunc ergo dicendum est de *judicio ;* sed praecipue de ejus signo, idest de *propositione* vel *enuntiatione*, ex qua facilius ipsa natura judicii cognoscitur. De *judicio* in praesenti capite, de *propositione* et *enuntiatione* in sequentibus.

55. **Definitio judicii.** — Iudicium nihil est aliud quam *actus mentis quo aliquid esse affirmamus vel negamus ;* vel *actus mentis quo unum de altero affirmatur vel negatur.* Ideo per judicium componuntur sive junguntur duo conceptus, vel dividuntur; ut e. g. *Deus est justus*, vel *Deus non est corpus.* Unde judicium dicitur *compositio*, vel *divisio.*

56. **Elementa judicii.** — In quolibet judicio tria considerari oportet: 1° *subjectum,* nempe illud de quo aliquid affirmatur vel negatur; 2° *praedicatum,* seu illud quod affirmatur vel negatur de *subjecto ;* 3° consideratur *forma,* quae etiam *copula* dicitur; et nihil est aliud quam ipsum *verbum ;* dicitur autem *copula* quia copulat, sive coniungit praedicatum ipsi subjecto. Praedicatum et subjectum dicuntur *materia* judicii. — Advertendum tamen est judicium nullum efformari posse a mente, nisi ipsa habeat notionem subjecti et praedicati, et nisi comparet utrumque ad invicem. Insuper, licet judicium praesupponat dupli-

cem conceptum, subjecti scilicet et praedicati, tamen formaliter sumptum est simplex actus quo mens utrumque conjungit (1).

57. **Divisio judicii ex parte subjecti.** — Judicium consideratum ex parte subjecti, idest ex parte judicantis, aliud est *prudens*, aliud *temerarium*. *Prudens* dicitur, si efformetur post diligentem comparationem et juxta perspicentiam convenientiae praedicati cum subjecto; secus est *temerarium*. — Dicitur *certum*, si mens adhaeret objecto cognito sine errandi formidine; si autem adhaeret cum formidine errandi, dicitur *opinativum*.

58. **Divisio judicii ex parte objecti in analyticum et syntheticum.** — Quaedam judicia dicuntur *a priori*, sive *absoluta*, sive *pura, rationalia, metaphysica, analytica*. His nominibus designantur judicia, quorum praedicatum includitur in ipsa ratione sive natura subjecti, vel etiam quorum praedicatum excluditur omnino a natura subjecti, ita ut in eo nullo modo esse possit; ut si dicam: *Circulus est rotundus*, praedicatum *rotundus* includitur in ipsa ratione sive natura *circuli* inseparabiliter. Et in hoc judicio: *Homo non est asinus*, praedicatum *asinus* excluditur a natura hominis. Si praedicatum includitur in ipsa natura subjecti, judicia dicuntur *necessaria*, vel etiam in *materia necessaria*, et habent etiam *universalitatem*. Si autem praedicatum excludatur a natura subjecti, dicuntur in *materia impossibili*.

Illa judicia in quibus praedicatum ita convenit subjecto ut possit ei etiam non convenire, vel de facto non convenit ita tamen ut possit convenire,

---

(1) Si praedicatum tribuitur subjecto in casu nominativo tunc praedicatio dicitur in recto ; si autem in alio casu, puta genitivo, dativo vel ablativo dicitur in obliquo.

ut e. g. *Homo est virtuosus, homo non est virtuosus ;* dicuntur *contingentia, a posteriori, hypothetica empirica, physica, synthetica.*

59. **Judicia synthetica a priori juxta Kant.** — Kant judicia dividit in *analytica* seu *a priori*, in *synthetica,* et in *synthetica a priori* - *Analytica* vocat ea quae habent inclusum in ipsa natura seu notione subjecti praedicatum habens necessitatem et universalitatem ; vocat *synthetica* judicia quorum praedicatum non est inclusum in natura subjecti et non habet necessitatem et universalitatem. — *Synthetica a priori* vocat illa judicia, quorum praedicatum licet habeat necessitatem et universalitatem, tamen non includitur in ipsa natura vel notione subjecti. — Sequentia exempla affert Kant uti *synthetica a priori,* videlicet ; *Effectus habet causam. Quinque plus septem aequantur duodecim. Linea recta est brevissima quae potest duci inter duo puncta.*

60. **Judicia synthetica a priori non dari de facili probatur.** — Praedicatum alicui subjecto non convenit necessario et universaliter nisi ex eo quod includitur in ipsa natura seu notione subjecti aut ut pars, aut ut attributum ex ea resultans, aut ut aliquid ipsi naturae subjecti necessario et essentialiter connexum ; unde judicia quae habent priores duas conditiones *necessitatis* scilicet et *universalitatis* habent etiam tertiam de *inclusione* in natura seu notione subjecti ; et ideo sunt *analytica* et *a priori,* nullo autem modo *synthetica.* Insuper praedicatum aliquod vel ex ipsa natura subjecti deprehenditur ipsi subjecto convenire, vel ex experientia ; si ex natura subjecti tunc ergo in illa logice includitur ita ut *ubicumque* est illa ibi *necessario* sit et ipsum vel praesupponatur ei necessario connexum ; et sic judicium est a *priori,* et *analyticum :* si autem non ex natura,

sed ex experientia deprehendatur, tunc sequitur quod praedicatum ipsi naturae ab extrinseco et omnino accidentaliter et contingenter conveniat, non ergo *necessario* et *semper*, hoc est *universaliter;* et ideo judicium erit simpliciter et solum a posteriori. Iudicia ergo *synthetica a priori* absurda sunt omnino. — Breviter dicam: Si praedicatum deprehenditur convenire subjecto ex *notione* subjecti tunc judicium est a *priori* et *analyticum,* si autem non ex notione subjecti, sed experientia tunc judicium est empiricum seu *syntheticum* simpliciter et nullo modo a *priori*, est enim *experientia*, non *subjectum* criterium et ratio judicii. — Exempla allata supra a Kantio sunt *analytica* omnino et *a priori* nullo modo synthetica; nam ex ipsa *notione effectus* cognoscitur ipsum habere *causam*, propter relationem essentialem dependentiae ab ea in ejus *notione* inclusam; similiter *quinque plus septem* si plene et bene percipiatur in sua notione includit *duodecim;* item *linea recta* recte et plene percepta in comparatione ad lineam non rectam inter eadem duo puncta perducta includit conceptum *brevioritatis,* ideo quae in lineae rectae definitione ponitur.

61. **Iudicia mediata et immediata.** — Iudicia tum *analytica* tum *synthetica*, dividuntur in *immediata* et *mediata.* Iudicia *immediata,* sive *per se nota*, ea dicuntur, quae eo ipso quo enuntiantur, clare patent menti absque ullo discursu; e. g. *Circulus est rotundus; sol resplendet super faciem terrae; nix est alba.* Si auten connexio praedicati cum subjecto statim non apparet, sed requiritur discursus, judicium dicitur mediatum; e. g. *Anima non est corpus; summa angulorum trianguli aequatur duobus rectis.*

Caput VIII.

De propositione, sive de enuntiatione; et de ejus divisione ratione materiae, ratione formae, qualitatis et extensionis.

(Zigliara, l. c. lib. II, c. II; Lepidi Logica Sectio lec. c. II et seqq. Lorenzelli, secunda logicae pars lect 1: Hugon Dialect. Tract. II, qu. II).

62. **Quid et quotuplex est oratio** (1). — Nomine *orationis* intelligitur *complexus vocabulorum aliquam animi sententiam exprimens.* Quintuplex enumeratur: *Enuntiativa, deprecativa, imperativa, interrogativa, vocativa.* Oratio *enuntiativa* est expressiva judicii, quia enuntiat aliquid esse vel non esse; *deprecativa* potius designat actum voluntatis desiderantis et volentis quam judicium intellectus; *imperativa* quamdam intimationem formaliter importat circa id quod agendum est; *interrogativa* quaerit manifestationem alicujus veritatis; *vocativa* autem exprimit desiderium ut aliqua persona praesto adsit.

63. **Definitio propositionis sive enuntiationis.** — *Propositionis* sive *enuntiationis* nomine, intelligitur *oratio qua judicia nostra aliis manifestamus;* vel: *oratio enuntiativa unius de alio;* vel: *oratio in qua verum vel falsum invenitur;* e. g. *Deus est justus; Homo est lapis.* Utraque propositio judicium exprimit et manifestat; in prima continetur verum, in secunda falsum.

Propositio est signum judicii, imo est ipsum judicium verbis expressum; et ideo sicut in judicio tria distinguuntur, idest *subjectum*, *copula* seu *verbum*,

(1) V. S. Th. I periherm. lect 7.

et *praedicatum,* ita in propositione. Unde etiam in propositione habetur *materia,* idest *subjectum* et *praedicatum,* et *forma,* idest *verbum.* Si haec tria elementa explicite ponantur, propositio dicitur *de tertio adjacente;* ut si dicam *Deus est iustus*; si autem duo tantum, e. g. *Deus est;* propositio dicitur *de secundo adjacente;* si vero unum tantum ut *studeo;* dicitur *de primo adjacente.* Secunda et tertia de facili reducuntur ad primam, ut: *Deus est existens. Ego sum studens.*

64. **Dispositio subjecti et praedicati in propositione.** — Primum quod in propositione consideratur est *subjectum,* et ideo ordinarie primo loco ponitur. Sed quandoque contingit ut invertatur ordo, et primo loco ponatur *praedicatum,* postea *subjectum.* Quando ergo primo loco ponitur *subjectum,* propositio dicitur *directa* sive *naturalis;* quando autem *praedicatum* ponitur in loco vel in sede *subjecti,* idest in primo loco, propositio dicitur *indirecta* vel *innaturalis;* unde sequens propositio *directa* est: *Homo est substantia.* Si autem invertatur hoc modo: *Aliqua substantia est homo,* erit *indirecta.* — Ut haec plenius intelligantur, advertendum est illud veri *subjecti* naturam habere, quod plura comprehendit quam suum *praedicatum,* ut in relato exemplo *homo* plura quam *substantia* completitur, nam et ipsam *substantiam* complectitur, et alia plura, idest: *esse vivens, esse sensitivum, rationale,* etc. Illud autem naturam praedicati vere sapit quod ad plura se extendit quam subjectum. Unde *substantia* in eodem exemplo relato est vere praedicatum, quia ad plura se extendit quam *homo;* multae enim sunt *substantiae,* quae non sunt *homo.* Quaedam tamen praedicata eamdem habent extensionem quam subjectum, puta definitio, vel pars definitionis, quae est vel *differentia* specifica, ut *ra-*

tionale dictum de *homine,* vel aliquid ipsam differentiam specificam consequens, ut *risibile de ipso homine.*

65. **Divisiones propositionum ratione materiae.** — Divisio propositionum attenditur primo ex materia, idest ex habitudine praedicati ad subjectum. Praedicatum enim aliquod aut convenit, aut non convenit alicui subjecto; et si convenit, aut *necessario* sive *per se* convenit, aut *contingenter;* si autem non convenit, aut *impossibile* est ut ei conveniat, aut *possibile* est ut ei conveniat. Propositio in qua praedicatum convenit subjecto *necessario,* sive *per se,* dicitur *necessaria,* sive etiam *in materia necessaria;* si autem praedicatum conveniat contingenter, dicitur *contingens,* vel *in materia contingenti;* si autem impossibile est ut conveniat, propositio dicitur *in materia impossibili;* si vero possit convenire, dicitur *in materia possibili,* vel etiam *contingenti,* quia quod possibiliter alicui convenit, contingenter convenit.

Praedicatum *necessario* convenire subjecto, idem est ac ei convenire per *se. Per se* autem praedicatum convenit ipsi subjecto cum ex ipsa natura subjecti convenit; quod autem convenit alicui per causam extrinsecam, vel ex externis circumstantiis, dicitur convenire subjecto *per aliud seu per accidens.*

Sed aliquod praedicatum alicui subjecto convenire, vel praedicari *per se* potest contingere tripliciter; et hoc explicandum est breviter:

1° Aliquod praedicatum dicitur convenire alicui subjecto *in primo modo dicendi per se,* cum praedicatum est vel definitio subjecti, ut cum dico: *homo est animal rationale,* vel aliquid de ejus definitione, ut *homo est animal;* vel *homo est rationalis.* Et si quidem *praedicatum* convertitur cum *subjecto,* ut *homo* est *rationalis,* dicitur convenire *in primo modo dicendi per se primo;* si autem non convertitur cum subjecto,

ut *homo est animal* (non enim omne animal est homo), dicitur convenire *in primo modo dicendi per se secundo.*

2° Praedicatum convenit *in secundo modo dicendi per se* alicui subjecto, cum subjectum est de definitione praedicati; e. g.: *Par est numerus habens medium;* subjectum est *numerus,* et ingreditur definitionem *paris.* Et si quidem praedicatum convertatur cum subjecto, ut: *Homo est risibilis,* dicitur convenire subiecto *in secundo modo dicendi per se primo;* si autem non convertatur, ut e. g.: *Isosceles est habens tres angulos aequales duobus rectis* (non enim omne habens tres angulos aequales duobus rectis est isosceles), dicitur convenire subjecto *in secundo modo dicendi per se secundo.* Quae conveniunt subjecto *in secundo modo dicendi per se,* vocantur passiones ipsius subjecti; et si sint proprietates ipsius e principiis specificis emanantes dicuntur *in secundo modo dicendi per se primo*; ut *risibilis* de homine. Si autem ex principiis genericis, ut habere tres angulos aequales duobus rectis de isoscele, dicuntur *in secundo modo dicendi per se secundo.*

3° Praedicatum dicitur in *tertio modo dicendi per se* de aliquo subjecto, cum ipsi tribuitur effective inquantum tale, seu formaliter; quia scilicet forma subjecti est veluti causa efficiens vèl formalis praedicati; ut cum dico: *Medicus sanat*; *ignis comburit* (1).

Breviter: *Definitio* aut *differentia specifica,* dicitur de subjecto *in primo modo dicendi per se primo*; id autem quod est *genericum* in definitione essentiali, ut

---

(1) Hic modus dicendi *per se* a S. Thoma et a scholasticis dicitur *quartus* modus dicendi per se. Per tertium modum dicendi per se intelligunt modum *existendi* (substantiae scilicet) non modum *praedicandi.* Nos autem hunc modum praetermisimus, quia in praesenti est sermo de modo praedicandi.

animal aut *vivens,* etc., respectu *hominis,* dicitur *in primo modo dicendi per se secundo.* — Passiones autem, sive *proprietates,* sive *accidentia propria,* quasi ex ratione specifica emanantes, ut *risibile* dictum de *homine,* dicuntur *in secundo modo dicendi per se primo.* Accidentia vero quae *necessario* comitantur rationem genericam subjecti, ut *appetitus sensitivus* in *homine,* dicuntur de subjecto *in secundo modo dicendi per se secundo.* — Ea denique quae vere *effective* producuntur a forma a qua denominatur subjectum, ut *sanare* tribuitur *medico,* et *comburere igni,* dicuntur convenire subjecto *in tertio modo dicendi per se.*

66. **Divisio propositionis ex parte formae.** — Forma propositionis est verbum sive copula, per quam aut conjungitur praedicatum cum subjecto per *affirmationem* identitatis, aut separatur per *negationem,* ut cum dico: *Deus est justus; homo non est angelus.* In primo casu habetur propositio *affirmativa,* in secundo *negativa.* Quando particula negans afficit praedicatum, propositio est affirmativa; e. g.: *Homo est non angelus;* ratio est quia affirmatur quod *homo est aliquid quod non est angelus*; tamen reduci potest ad negativam dicendo: *Homo non est angelus.* Negatio quandoque afficit subjectum, non autem copulam, ut: *Non amare virtutem est summa stultitia.* Et propositio hujusmodi dicitur *indefiniti subjecti*; sicut propositio in qua negatio afficit praedicatum, dicitur *indefiniti praedicati.*

67. **Divisio propositionis ex parte qualitatis.** Qualitas propositionis desumitur ex ejus relatione ad rem enuntiatam, et est *ejus veritas* vel *falsitas.* Et sic propositio dividitur in *veram* et *falsam*; est *vera,* si enuntiet judicium verum, idest conforme rei judicatae; est *falsa,* si enuntiet judicium falsum, idest discordans a re judicata. Haec divisio potest conve-

nire tam propositioni affirmativae, quam negativae; affirmativae, quia potest affirmari aliquid esse, quod revera est, ut: *Deus est justus,* quod pertinet ad affirmationem veram; vel aliquid esse quod revera non est, ut: *Homo est asinus,* quod pertinet ad affirmationem falsam; vel potest negari esse id quod vere non est, ut: *Deus non est mutabilis,* quod pertinet ad negationem veram; aut potest *negari* esse id quod revera est, et hoc pertinet ad negationem falsam, ut: *Homo non est rationalis.* (Cf. S. Th. in I. Perihermen. lect. IX. n. 3).

68. **Divisio propositionis ratione extensionis seu quantitatis.** — Extensio seu quantitas propositionis attenditur ex parte extensionis ipsius subiecti, affirmatio enim aut negatio est semper de subjecto aliquo; et ideo propositio erit *singularis,* si subjectum ejus est *singulare*; *universalis,* si subjectum est *universale*; *particularis,* si subjectum est *particulare*; et *indefinita,* si subjectum est *indefinitum.* Non potest autem subjectum variari nisi praedictis modis; et ideo propositio ratione extensionis dividitur in *singularem* ut: *Verbum caro factum est*; in *universalem* ut: *Omnis homo est mendax*; in *particularem,* ut: *Quidam autem dicebant: quia bonus est*; in *indefinitam,* ut: *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.*

69. **Propositio indefinita quandoque reducitur ad universalem, quandoque ad particularem.** — In propositione indefinita subjectum non est aliquid singulare, sed est aliquid commune pluribus; ut: *Homo, animal, virtuosus,* etc.; et ideo praedicatum quod de tali subjecto affirmatur, aut convenit omnibus individuis quibus tale subjectum est commune, ut si dicam: *Homo est rationalis,* (*rationalis* enim convenit omnibus individuis quibus *homo* est communis), aut quibusdam tantum, ut si dicam: *Homo est virtuosus,* esse *virtuosum* convenit quibusdam tantum. Si om-

nibus, propositio est *universalis;* si quibusdam tantum, est *particularis.* Ut autem discernatur an propositio *indefinita* sit *universalis,* vel *particularis,* sequentes statuuntur leges:

Prima lex est: *Si praedicatum necessario conveniat subjecto, propositio est universalis,* quia convenit omnibus individuis quibus subjectum est commune: nam eo ipso quod subjecto praedicatum *necessario* convenit, est inseparabile ab ipso; et ideo ubi subjectum, ibi et praedicatum; ut e. g.: *Homo est animal*; quia *animal* necessario convenit *homini*, ubi est *homo* est *animal.* Unde subjectum dicitur supponere *distributive* quia omnibus et singulis tribuitur, seu distribuitur, individuis sub ipso contentis e. g. Petro, Paulo etc.

Secunda lex est: *Si praedicatum in propositione indefinita contingenter conveniat subiecto, propositio est particularis.* Ratio est quia praedicatum quod convenit subjecto contingenter, non ex intima natura subjecti convenit sed aliunde et quasi per accidens; ac proinde non semper, et constanter, et universaliter, et ideo per se non omnibus individuis convenit, quibus tale subjectum est commune, e. ut g.: *Homo est virtuosus,* sed quibusdam tantum; et subjectum dicitur supponere *disjuntive.*

Tertia lex est: *In praxi facile est cognoscere an propositio indefinita sit universalis vel particularis*; *sufficit enim ut praeponatur signum syncategorematicum* omnis, nullus, *aut* aliquis *ipsi subjecto*; e. g. sint hae propositiones: *Homo est rationalis; homo non est angelus; Homo est virtuosus;* prima verificatur si praeponatur *omnis,* secunda *nullus,* tertia *aliquis;* ita: *Omnis homo est rationalis; nullus homo est angelus; aliquis homo est virtuosus.* Sed tertia e. g. non verificatur si dicatur: *Omnis homo est virtuosus;* neque si dicatur *nullus homo* etc.

70. **Propositio universalis metaphysice, physice, moraliter.** — Propositio universalis triplex est: 1.° *Metaphysice universalis*, et dicitur illa in qua praedicatum ita convenit subjecto, ut si a subjecto auferatur, natura subjecti pereat; ut e. g. *animal, substantia, rationale, intellectivum* non potest auferri ab *homine*, quin ipsa hominis natura pereat, et *rotunditas* non potest auferri a *circulo*, quin ipsa circuli natura destruatur. — 2.° *Physice universalis* ea dicitur, in qua praedicatum convenit subjecto vi legum naturae a solo naturae Auctore dependentium, quibus ipse derogare potest; e. g. *tellus qualibet die circa seipsam movetur circulum complens.* — 3.° *Moraliter universalis* propositio dicitur in qua praedicatum affirmatur et verificatur de subjecto, attentis legibus quibus mores hominum temperantur; e. g. *omnes matres diligunt proprios filios.* Propositio *metaphysice universalis* nullas pati potest exceptiones; propositio *physice universalis* potest pati exceptiones, cum Deus possit suspendere leges naturae; propositio *moraliter universalis* exceptiones plures patitur.

71. **Propositio universalis metaphisice tantum judicium analyticum seu a priori exprimit.** — Stricte loquendo propositio *universalis* ea dicitur in qua praedicatum includitur in ipsa notione vel natura subiecti; ratio est quia solummodo tale praedicatum semper hoc est perpetuo convenit subjecto, ut e. g. *homo est rationalis; quinque plus septem aequantur duodecim; omnis effectus habet causam.* Hae enim propositiones propter nexum *necessarium* inter subjectum et praedicatum semper verae fuerunt, sunt et erunt independenter a quacunque voluntate et propterea judicium vere *analyticum* exprimunt et *a priori* quia praedicatum non ex factis experientiae colligitur,

sed ex ipsa analysi subjecti habetur et a priori idest ex subiecti natura. At propositio *physice universalis* et a fortiori *moraliter universalis*, non ita *proprie* et *stricte* dicitur universalis, sed solum *secundum quid;* non *simpliciter*, quia praedicatum non convenit subjecto ex ipsa natura subjecti necessario et semper omnino; unde leges naturales contingentes sunt et dantur vel saltem dari possunt exceptiones. (Cf. Nostram Introd. in Sac. Theol. P. II. C. IX, n. 251 et seqq.).

72. **Extensio praedicati in propositione.** — Dictum est in praecedentibus subjectum in propositione quandoque supponere universaliter, vel distributive, quandoque particulariter, quod ex natura propositionis satis dignoscitur; igitur determinandum est etiam, quomodo supponat *praedicatum*, sive quanam extensione sit praeditum. Pro quo duae leges traduntur:

Prima lex. *In omni propositione negativa praedicatum supponit distributive, sive universaliter*, idest in tota sua extensione sumitur. Etenim, in omni propositione negativa negatur praedicatum convenire subjecto, e. g. in hac propositione: *Lapis non est animal*, negatur *animal* convenire *lapidi;* hoc autem debet verificari de quocumque *animali*, idest de quocumque quod continetur sub extensione praedicati, secus *lapis* esset *aliquod animal*, et ideo esset falsa propositio: *Lapis non est animal.*

Secunda lex. *In omni propositione affirmativa praedicatum, vi propositionis, supponit disjunctive, seu particulariter.* Nam in propositione affirmativa, e. g. in hac: *Omnes homines sunt mortales*, adseritur simpliciter praedicatum convenire subjecto, sed per hoc non excluditur quin aliis subjectis etiam conveniat, et ideo sequitur subjectum esse aliquid contentum

sub extensione praedicati; ut in exemplo relato sensus est, quod *homines sunt aliqui mortales.* Dixi *vi propositionis,* quia per accidens in quibusdam propositionibus praedicatum habet eamdem extensionem ac subjectum; et hoc contingit: 1.° in definitionibus cum adsumuntur ut propositiones; 2.° in illis propositionibus in quibus praedicatum est differentia specifica subjecti, vel proprietas ex differentia specifica consequens, ut e. g.: *Homo est rationalis; homo est risibilis;* eamdem enim extensionem habet praedicatum et subjectum; 3.° si praedicatum sit terminus singularis; nam terminus singularis in tota sua extensione sumitur, nisi forte ex parte relativi multiplicetur, ut contingit in Divinis; nam est unus Deus, et sunt tres personae, quae sunt unus Deus: unde Deus quamvis sit terminus singularis stare potest pro qualibet divinarum personarum, idest pro Patre, pro Filio et pro Spiritu Sancto. Sed de his ad Theologos agere pertinet, nobis sufficiat innuisse.

73. **Comprehensio praedicati in propositione.** — Quoad comprehensionem praedicati advertendum est praedicatum ordinarie ad plura se extendere quam subjectum; ratio est quia praedicatum est magis commune, e. g.: *Homo est animal, vivens, substantia, ens;* et ideo dicitur habere majorem extensionem quam subjectum. E contra subjectum plures notas seu proprietates includit quam praedicatum, idest plura comprehendit; ut in relato exemplo *homo,* quod est subjectum, comprehendit *ens, substantiam, vivens, sensitivum, rationale. Animal* autem prima quatuor comprehendit, sed non *rationale.* Item *vivens* neque *rationale,* neque *sensibile* comprehendit etc. Ratio est quia minus commune comprehendit magis commune et aliquid amplius, homo e. g. comprehendit animal, (quod est magis commune quam homo) et rationale.

— Hinc duae leges statuuntur:

PRIMA LEX: *In omni propositione affirmativa praedicatum tribuitur subjecto secundum totam suam comprehensionem,* seu omnia quae conveniunt praedicato debent convenire subjecto, secus affirmaretur de subjecto quod ei non conveniret.

SECUNDA LEX: *In omni propositione negativa praedicatum secundum totam suam comprehensionem collective sumptam negatur de subjecto,* seu omnia simul sumpta quae praedicato conveniunt, negantur convenire subjecto, sed non negantur omnia *singillatim sumpta.* Ut cum dico: *Homo non est asinus,* non negatur de homine entitas, vita, animalitas, quae conveniunt asino et homini; sed haec omnia prout sunt conjuncta irrationalitati in asino, negantur de homine. Ratio generalis est quia in praedicato quod de subjecto negatur, fere semper est aliquid quod subjecto convenit, saltem ratio entis vel intelligibilis.

CAPUT IX.

De propositionibus re et apparenter compositis

(GOUDIN, log. min. p. II. a. II. § II.; ZIGLIARA, l. c., c. III LEPIDI logica Sectio II, c. II.; HUGON logica min. Tract. II. qu. II. a. III, IV, V; GREDT logica p. .I c. II).

74. **Propositionis simplicis et compositae notio et variae species propositionis compositae.** — Propositio *simplex* illa dicitur quae constat ex uno subjecto et uno praedicato; ut: *Non est pax impiis.* Propositio vero *composita* ea dicitur quae constat aut ex pluribus subjectis, aut ex pluribus praedicatis; vel ea quae plures propositiones sive implicite sive explicite continet; e. g.: *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo.*

Propositionis compositae quinque species enumerantur: *Copulativa, causalis, discretiva, relativa, hypothetica.*

Si plura subjecta aut praedicata propositionis compositae sint connexa per particulas copulantes, sive explicite sive implicite positas, *et, nec,* et similes, propositio dicitur *copulativa;* ut: *Videbitis coelum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes supra filium hominis. Neque mors, neque vita, neque angeli.... neque alia creatura poterit nos separare a charitate Dei.* — Lex propositionis copulativae est, ut omnia praedicata vera sint de subjecto, vel si praedicatum est unum, debeat verificari de singulis subjectis; secus propositio est dicenda falsa absolute, vel distinguenda pars vera a parte falsa ad cavendas cavillationes.

Propositio causalis habetur quando plures propositiones simplices conjunctae sunt per particulas causales *quia, quoniam* et similes; e g.: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Propositio affecta particula causali: *quoniam,* ut in exemplo *quoniam ipsi* etc. dicitur *causalis,* alia vero *beati* etc., dicitur *causatum.* Veritas vel falsitas propositionis causalis compositae consideratur ex nexu. Unde haec propositio causalis: *Homo est capax scientiae, quia est animal bipes,* falsa est; licet vera sit simplex propositio: *Homo est capax scientiae,* et alia: *Homo est animal bipes.*

Propositio discretiva sive *adversativa,* ea dicitur quae resultat ex pluribus simplicibus propositionibus conjunctis in unam propositionem compositam per particulas discretivas *sed, at* et similes. Ut propositio sit vere *discretiva,* requiritur ut inter membra divisa per particulas dictas sit aliqua oppositio; e. g.: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.*

St. Albert's College Lin

Propositio relativa illa dicitur in qua propositiones simplices ex quibus constat ita comparantur per particulas *ubi, ibi, quum,* etc., ut una ex altera quamdam determinationem habeat; e. g.: *Qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Veritas hujusmodi propositionis ex veritate adsertae determinationis unius ab altera unice dependet. Unde falsa est haec propositio: *Tunc Petrus habebit ingenium, quando habebit divitias;* licet fortasse sit verum Petrum habere ingenium et habere divitias. Ut veritas talium propositionum dignoscatur, in causalem resolvantur: si resolvatur praecedens exemplum, habebitur quod *divitiae sunt causa ingenii.*

Propositio quae simpliciter significat aliquid esse vel non esse dicitur *absoluta* vel *cathegorica.* Propositio vero quae significat aliquid esse vel non esse ex suppositione dicitur *hypothetica.* Propositio *hypothetica* est affecta particulis *si, aut,* vel similibus. e. g.: *Deus est justus,* est propositio *cathegorica* vel *absoluta;* e contra: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis,* est propositio *hypothetica.* Pars, sive propositio affecta particula *si, aut,* etc. dicitur *antecedens,* vel *hypothesis,* alia dicitur *consequens,* seu *thesis.*

75. **Propositionis hypotheticae species.** — Propositio hypothetica alia est *conditionalis, alia disjunctiva,* alia *conjunctiva.* — *Conditionalis* est ea quae componitur ex propositionibus simplicibus unitis per particulas conditionales *si, ut,* et ea est quae communiter dicitur *hypothetica.*

Propositio disjunctiva componitur ex propositionibus simplicibus incompossibilibus unitis per particulas disjunctivas *vel, aut,* etc.; e. g.: *Substantia aut est corporea, aut incorporea.* Semper resolvi potest in conditionalem; e. g.: *Si substantia est corporea, non*

est incorporea. — Adverte tamen in propositione disjunctiva sequentes leges: 1° *membra assumpta debent esse completa;* 2° *membra enumerata neque omnia sint simul vera, neque simul falsa;* secus daretur aliud membrum; 3° *ex affirmatione vel negatione unius membri sequitur negatio seu affirmatio alterius si membra complete enumerata sint duo;* 4.° *si vero sint plura quam duo, ex affirmatione unius sequitur quidem negatio aliorum; sed ex negatione unius non sequitur aliorum affirmatio;* 5° *ex negatione tamen omnium membrorum praeter unum, huius sequitur affirmatio;* unde si ponatur ut certum quod unus digitus est aeger, et certe *alii* quatuor ab aegritudine excludantur sequitur quod digitus medius sit aeger. Ut veritas pateat resolvatur in conditionalem. Haec est propositio disjunctiva *proprie accepta.* — Sed datur etiam propositio disjunctiva *improprie accepta,* quae scilicet praescindit per veritatem unius membri a veritate alterius membri; ut si dicam: *Aut Petrus, aut Paulus Romae mortuus est.* Haec dicitur disjunctiva in sensu *praecisivo;* prima in sensu *exclusivo.*

Propositio hypothetica conjunctiva ea dicitur in qua enuntiantur praedicata plura non posse convenire uni eidemque subjecto; e. g.: *Nemo potest servire Deo et divitiis.* Etiam conjunctiva resolvitur in conditionalem, e. g.: *Si aliquis servit Deo, non potest servire divitiis; si aliquis servit divitiis, Deo non servit.*

76. **Regulae pro veritate propositionis conditionalis.** — *Prima regula* propositionis conditionalis est: *Affirmata conditione, affirmari debet conditionatum; at ex affirmatione conditionati non sequitur debere affirmari conditionem.* Ratio est quia conditio aut includit in se ipsum conditionatum, aut habet cum eo necessariam connexionem; ut e. g.: *Si Petrus currit,*

movetur; currere (conditio) includit in se *moveri;* vel etiam: *Si est homo, est animal; homo* includit *animal.* Sed conditionatum neque includit in se conditionem, neque habet cum ea necessariam connexionem, ut patet in exemplis relatis; nam *moveri* neque includit in se *currere,* neque necessariam cum eo habet connexionem; sicut etiam *animal* non includit *hominem,* neque importat cum eo necessariam connexionem, secus, habito *animali,* haberetur *homo,* quod est absurdum.

Secunda regula est: *Negato conditionato, negari debet conditio; at negata conditione non debet (per se loquendo) negari conditionatum.* Patet ex dictis in superiori ratione; nam conditio aut includit in sui natura conditionatum, aut saltem habet necessariam connexionem cum eo; et ideo ipsa semper debet esse unita ipsi conditionato, quo proinde sablato, et iam conditio aufertur; idest, conditionato negato, ipsa *conditio* negari debet. Quia e. g. *moveri* includitur in *currere,* si negetur quod quis *moveatur* (conditionatum), debet negari quod quis *currat;* et si negetur quod aliquid sit *animal* (conditionatum), negari debet quod sit *homo.* Sed quia conditionatum non dicit necessariam connexionem cum *conditione,* e. g. *animal cum homine, motus cum cursu;* ideo potest dari conditionatum sine conditione, unde ex affirmatione conditionati non sequitur debere affirmari conditionem; non enim valet: *movetur,* ergo *currit; est animal,* ergo *est homo.*

77. **Propositio apparenter simplex et realiter composita.** — Propositio *apparenter simplex, realiter* tamen *composita* illa dicitur, quae constat ex unico subjecto et unico praedicato, ita tamen ab aliqua particula modificato (subjecto vel praedicato) aut affecto, ut plures propositiones in se implicite contineat in quas possit resolvi; e. g.: *Tu es Deus solus.* Praedica-

tum *Deus* hujus propositionis ita afficitur particula *solus*, ut propositio in has duas resolvatur, videlicet: 1ª: *Tu es Deus:* 2ª: *Nullus alius a te est Deus.* Propositio quae in plures resolvitur, dicitur *exponibilis;* eae in quas resolvitur, dicuntur *exponentes.* — Quatuor species propositionis exponibilis recensentur, videlicet: *Exclusiva, exceptiva, comparativa, reduplicativa.*

Propositio *exclusiva* ea est cujus subjectum vel praedicatum afficitur particula *exclusiva;* e. g. *solum, dumtaxat,* vel simili. Si afficiatur *subjectum,* dicitur *exclusivi subjecti,* ut: *Bonum tantum est amandum;* si autem particula afficiat *praedicatum,* dicitur *exclusivi praedicati;* ratio est quia excludit alia *subjecta,* aut *praedicata.*

Propositio *exceptiva* ea dicitur cujus subjectum vel praedicatum afficitur particula exceptiva *nisi, praeter,* vel simili; e. g.: *Imperitus nisi quod ipse facit, rectum putat.* Resolvitur autem sic: *Imperitus rectum putat quod ipse facit, non rectum putat quod ipse non facit.* Propositio *exceptiva* reducitur ad *exclusivam: Imperitus solummodo putat rectum, quod ipse facit.*

Propositio *comparativa* ea est cujus subjectum vel praedicatum afficitur particula *comparativa,* e. g.: *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet.* Sic resolvitur in *exponentes: Tu peccatum habes: ille qui me tradidit tibi peccatum habet: sed peccatum ejus, qui me tradidit tibi, majus est peccato tuo.*

Propositio *reduplicativa* est illa *cujus subjectum afficitur particula reduplicante, seu determinante significationem in qua ipsum subjectum accipimus;* seu *illa est in qua affirmatur praedicatum convenire subjecto, et forma propria subjecti adsignatur tanquam causa sive ratio convenientiae.* Causa autem per particulas reduplicantes designatur. Particulae *reduplicantes* sunt

ut, inquantum, formaliter, reduplicative ut, formaliter ut, ut sic, etc., e. g.: *Homo, reduplicative ut homo, intelligit. Animal, ut animal, sentit ;* etc.

Advertendum est tamen particulas illas sumi in sensu reduplicativo, cum subjectum, secundum illud per quod constituitur tale et ab aliis distinguitur, est *propria ratio*, sive est *causa formalis*, aut *efficiens* praedicati, e. g. cum dico : *Homo, ut homo ratiocinatur ;* particula *ut* sumitur in sensu reduplicante, quia homo per illud per quod constituitur homo, et ab aliis distinguitur (idest per rationalitatem), est *propria ratio*, sive vera causa ratiocinationis. At si non sit propria ratio praedicati secundum illud per quod in sui specie constituitur distinctum ab aliis, in se tamen aliquo modo rationem praedicati contineat, particulae illae sumuntur *specificative ;* e. g.: *Homo, ut homo, sentit ; reduplicative* est falsa, *specificative* autem est vera. Item falsae sunt propositiones sequentes in sensu *reduplicativo*, verae autem in sensu *specificativo : Homo, ut homo, videbit Deum. Homo, ut homo, virtute perficitur. Corpus, ut corpus, corrumpitur. Iustus, ut iustus, peccare potest.* Verae autem hae *reduplicative : Medicus, ut medicus, sanat. Ignis, ut ignis, comburit* (1).

78. **Propositiones apparenter compositae.** — Quaedam propositiones, licet appareant compositae, revera tamen sunt simplices, et a quibusdam vocantur *complexae ;* e. g.: *Deus, qui hominem creavit, hominem redemit.* A veteribus dicebantur *de extremo conjuncto*, habito respectu ad materiam earum. — Grammatice loquendo duae propositiones habentur in exemplo relato, nempe : *Deus hominem redemit*, et alia : *Qui hominem creavit.* Haec dicitur *incidens.* Sed in lo-

(1) Cf. GOUDIN, l. c. a. II § III.

gica, in qua consideratur propositio in ordine ad argumentationem, est una propositio videlicet: *Deus hominem redemit*, cum propositio incidens, nihil aliud sit quam *determinatio* vel *explicatio* ipsius subjecti. Et ideo hujusmodi propositiones incidentes aut ipsum subjectum determinant, vel restringunt, et dicuntur *restrictivae*; e. g.: *Omnes homines, qui mortui sunt, rationem Deo reddiderunt;* vel designant alium essendi modum, aut aliam operationem ejusdem subjecti; et dicuntur *explicativae*, utpote ipsum subjectum magis explicantes vel designantes; e. g.: *Moyses, qui in omni sapientia Aegyptiorum instructus fuerat, Hebraeorum populo dux datus est.*

Propositio explicativa potest etiam auferri, intacta remanente veritate propositionis simplicis principalis; sed propositio incidens restrictiva (per se loquendo) auferri non potest sine detrimento veritatis propositionis principalis; unde falsa esset haec: *Omnes homines rationem Deo reddiderunt;* haec autem vera: *Moyses Hebraeorum populo dux datus est.*

Propositiones apparenter compositae ad simplices reduci possunt; e. g.: *Moyses instructus in scientiis Aegyptiorum, dux populo Hebraeorum datus est;* et: *Omnes homines mortui rationem Deo reddiderunt.*

79. **Propositio modalis.** — Etiam propositiones *modales*, licet in veritate sint simplices, tamen speciem compositionis habere videntur, et ideo aliquid de eis est dicendum. Diximus supra (n. 65) praedicatum convenire posse subjecto quadrupliciter: *necessario, impossibiliter, contingenter, possibiliter.* Igitur in propositione aliqua, aut simpliciter enuntiatur praedicatum convenire vel non convenire subjecto, ut si dicam: *Homo currit, homo est rationalis*, et propositio dicitur *absoluta,* sive *de inesse;* vel enuntiatur etiam modus quo praedicatum alicui subjecto convenit, ut

si dicam : *Deus necessario existit ;* vel : *Deum existere est necessarium*, et habetur propositio *modalis*. Quia igitur *necessarium*, *impossibile*, *contingens*, *possibile*, determinant modum quo praedicatum subjecto convenit (et consequenter determinant subjectum propositionis simul cum praedicato), ideo unumquodque ipsorum, puta *necessarium*, dicitur *modus* propositionis modalis; alia vero pars, praecisa copula, (quando ipsa ponitur explicite) dicitur *dictum*, e. g. in hac propositione : *Deum existere est necessarium : Deum existere* dicitur *dictum* ; *necessarium* dicitur *modus*.

80. **Positio modi in propositione modali.** — Advertendum est, si modus ponatur loco subjecti, propositionem non esse modalem ; unde haec propositio : *Possibile est Socratem currere*, non est modalis, sed *absoluta* sive *de inesse ;* ratio est quia id quod tenet locum subjecti in propositione, non potest dici modus propositionis, quamvis modus possit dici praedicatum, nam praedicatum exprimit modum subjecti. Et si quidem solus modus ponatur ut praedicatum, propositio dicitur modalis *de dicto ;* e. g.: *Socratem currere est possibile ;* si autem modus interponatur *dicto*, propositio dicitur modalis *de re*, e. g.: *Socratem possibile est currere* (1).

81. **Modus afficiens dictum, modus afficiens rem.** — Si modus ponatur solus ut praedicatum tunc afficit *dictum per se loquendo*, unde in hac propositione : *Omne scitum a Deo esse est necessarium*, modus idest *τὸ necessarium* non afficit ipsam rem scitam ac proinde non sequitur rem scitam in se esse necessariam, sed esse necessarium nexum inter *rem ut scitam* et esse ;

---

(1) Cf. S. Th., De propos. modalibus, opusc. XL. Ed. P. fol. 226, col. 2.

idest sequitur rem scitam a Deo, logice debere esse, quia scientia Dei etiam de contingentibus falli non potest. Unde res est necessaria necessitate *consequentiae* non *consequentis*, in *sensu composito* idest ut scita non autem in se hoc est in *sensu diviso* considerata ; et similiter non potest non esse potentia *consequente*, non autem potentia *antecedente* quasi scilicet in ipsa re considerata in *se* ut entitas, non ut *scita*, non sit potentia ad non esse. At si modus interponatur dicto dicendo : *Deum necesse est esse*, tunc cadit supra ipsam rem, videlicet ipsa res in se considerata est *necessaria* (sicut in casu), vel *contingens* etc. Unde si dicatur : *Omne scitum a Deo necessarium est esse,* oportet vel negare vel distinguere ut supra ad evitandas cavillationes (1).

82. **Extensio propositionis modalis.** — Propositio modalis *de dicto* est *singularis*, quia modus praedicatur de hoc, vel de illo sicut de quodam singulari. Propositio autem modalis *de re*, est *universalis*, *particularis*, *singularis*, *indefinita*, secundum quod subjectum dicti est vel universale, vel particulare, etc. Propositio modalis resolvi potest in *universalem affirmativam* de *inesse*, cum *modus* est *necessarium* (dummodo subjectum propositionis possit numerice multiplicari) ; e. g. haec propositio modalis : *Hominem necessarium est mori*, vel *homo necessario moritur*, resolvitur in hanc *de inesse : Omnis homo moritur.* Si *modus* est *impossibile*, resolvitur in *universalem negativam ;* unde *haec : Hominem esse asinum est impossibile*, resolvitur : *Nullus homo est asinus ;* et si modus sit *contingens* vel *possibile*, resolvitur in *particularem ;* sicut haec.: *Hominem currere est contingens vel possibile*, resolvitur : *Aliquis homo currit* (2).

(1) Cf. S. Th. l. c. et P. I. qu. XIV. a. XIII. ad 3.m
(2) Cf. S. Th. De propos. modal. l. proxime cit.

Caput X.

De oppositione et conversione propositionum

(Goudin, Logica minor, II pars, a. III; Zigliara, l. c., c. I, Lepidi, l. c. Sect. II, c. III § III; Hugon l. c. qu. II.; Germano loc. c. Prael. XI, Gredt l. c.)

83. **Oppositio propositionum.** — *Oppositio* propositionum consistit in *mutua exclusione quam ipsae propositiones habent ad invicem secundum veritatem et falsitatem, ex eo quod idem praedicatum affirmatur et negatur de eodem subjecto.* Ex hac definitione sequitur 1.° propositiones diversae materiae (idest diversi subjecti vel praedicati) non posse esse oppositas; e. g.: *Alexander fuit ingenio magnus, Alexander fuit statura pusillus,* 2.° unam debere esse affirmativam, alteram negativam, vel saltem unam debere includere negationem alterius; e. g.: *Anima est immortalis, anima est mortalis;* hae enim licet sint duae propositiones affirmativae, attamen sunt oppositae quoad sensum quem continent, quia una includit negationem alterius, non tamen sunt oppositae quoad earum structuram.

84. **Duplex genus oppositionis.** — Oppositio duplex consideratur in propositionibus *contradictoria et contraria. Contradictoria* oppositio inter duas propositiones habetur, cum una negat solummodo quod per aliam affirmatur; e. g.: *Omnis homo est sapiens; non omnis homo est sapiens.* Aliud exemplum: *Petrus currit; Petrus non currit.* Et generatim: *Objectum* A *est; objectum* A *non est.* Unde propositiones contradictoriae se habent ad invicem sicut *affirmatio* et *negatio.* Si una propositionum contradictoriarum est universalis affirmativa, ut: *Omnis homo est sapiens,* ejus contradictoria erit illa propositio universalis affirmativa negata idest: *Non omnis homo est sapiens;* quae tamen aequivalet huic: *Aliquis homo non est sapiens;* et ideo

propositio *universalis affirmativa* et propositio *particularis negativa* sunt vere duae propositiones contradictoriae. Item sunt contradictoriae *universalis negativa*

Schemata propositionum oppositarum:

Propositiones simplices





Propositiones copulativae et disjunctivae



Propositiones modales



et *particularis affirmativa.* E. g.: *Nullus homo est sapiens; aliquis homo est sapiens.* Nam, si simpliciter negetur aliquem hominem esse sapientem, habetur alia propositio: *Nullus homo est sapiens*, et viceversa.

Duae propositiones dicuntur *contrariae*, cum earum una non solum negat quod per aliam affirmatur, sed et aliquid aliud, e. g.: *Omnis homo est sapiens; nullus homo est sapiens;* sunt duae propositiones *contrariae*, quia secunda non solum negat veritatem primae, ad quod sufficit dicere quod *aliquis* non sit *sapiens*, negando simpliciter quod *omnis homo est sapiens*, sed etiam negat *quemlibet hominem* esse *sapientem.*

Propositio universalis affirmativa designatur a scholasticis per litteram *A;* universalis negativa per litteram *E;* particularis affirmativa per litteram *I*, et particularis negativa per litteram *O;* quae, juvandae memoriae gratia, his versiculis continentur:

Asserit A, negat E; verum generaliter ambo.
Asserit I, negat O; sed particulariter ambo.

85. **Leges propositionum contradictoriarum.** — Duae leges dantur pro propositionibus contradictoriis:

1.ª Propositiones contradictoriae *nequeunt esse simul verae.*

2.ª Propositiones contradictoriae *nequeunt esse simul falsae.*

Ratio est quia propositiones contradictoriae opponuntur inter se, sicut pura affirmatio et negatio, sicut esse et non esse; non potest autem aliquid esse simul et non esse. Si enim aliquid esse est falsum, est verum ipsum non esse; et si falsum est non esse, sequitur esse verum quod ipsum est.

Ex hoc sequitur tertia lex, scilicet duarum propositionum contradictoriarum unam esse *determinate veram*, alteram *determinate falsam.* Excipiuntur tamen

ab hac lege propositiones de futuro contingenti, quod de se non est determinate verum, cum non habeat esse in se, sed virtualiter in aliqua causa; et ideo tales propositiones possunt esse determinate verae per ordinem ad aliquam causam, ex qua habent ut sint futurae; nam propositionis veritas ex veritate judicii dependet, veritas autem judicii ex veritate objecti, veritas autem objecti futuri ex aliqua causa dependet ut sit.

86. **Leges propositionum contrariarum.**

1.ª *Non possunt esse simul verae.*

2.ª *Non possunt esse simul falsae, si praedicatum subjecto* necessario *conveniat.*

3.ª *Possunt esse simul falsae, si praedicatum subjecto* contingenter *conveniat.*

Ratio primae legis est quia in propositionibus contrariis una importat negationem alterius; non possunt autem esse simul verae *affirmatio* et *negatio.* Insuper, si vera est una propositio contraria, est etiam vera ejus subalterna quae contradictorie opponitur alteri propositioni *contrariae,* quae proinde non potest esse vera; secus contradictoriae essent simul verae.

Ratio secundae legis est quod, si praedicatum *necessario* conveniat subjecto, ut si dicam: *Homo est rationalis,* omnibus sub subjecto contentis convenit; et ideo propositio universalis affirmativa de necessitate erit vera et non poterit esse falsa; sed universalis *negativa* illi affirmativae contraria erit solummodo falsa.

Ratio tertiae legis est quod, si praedicatum *contingenter* subjecto conveniat, poterit convenire illi subjecto solummodo disjunctive, sive particulariter; ut e. g.: *Homo est doctus;* sed tunc erit falsa tam propositio *universalis affirmativa,* quam *universalis negativa,* quae sunt contrariae; ut: *Omnis homo est doctus;* et *nullus homo est doctus,* sunt ambae falsae.

87. **Leges propositionum subcontrariarum.** — Pro subcontrariis propositionibus tres leges traduntur:

1.ª *Nequeunt esse simul verae in materia necessaria.*

2.ª *Possunt esse simul verae in materia contingenti.*

3.ª *Nequeunt esse simul falsae.*

Ratio primae legis est quod in materia necessaria praedicatum necessario convenit subjecto; et ideo universaliter ipsi convenit, et ideo erit verum quod alicui conveniat; e. g.: *Aliquis homo est rationalis;* sed falsum est quod alicui non conveniat; e. g.: *Aliquis homo non est rationalis.*

Ratio secundae legis est quod, si praedicatum convenit subjecto contingenter, non potest ei convenire universaliter, sed particulariter tantum; et tunc erit vera tum particularis affirmativa, e. g.: *Aliquis homo est doctus*, tum particularis negativa, ut: *Aliquis homo non est doctus.*

Ratio tertiae legis est quia propositio particularis falsa ponit veritatem *universalis oppositae*, et ideo etiam *particularis* sub *universali* contentae; e. g. si est falsa haec: *Aliquis homo currit*, sequitur esse veram: *Nullus homo currit*, et ideo etiam aliam: *Aliquis homo non currit.*

88. **Propositionum conversio.** — A dialecticis nomine *conversionis* intelligitur inversio extremorum propositionis, ita ut ex praedicato fiat subjectum, et ex subjecto praedicatum, intacta remanente veritate ejusdem propositionis; e. g.: *Omne animal est sensitivum,* convertitur: *Omne sensitivum est animal.*

Conversio alia est *simplex*, et habetur cum propositio in conversione retinet extensionem sive universalitatem quam prius habebat, ut manifestum est in exemplo allato; alia est *per accidens*, et habetur cum

propositio ex universalis fit particularis ; e. g.: *Omnis homo est animal*, sic convertitur : *Aliquod animal est homo.* Potest etiam *per accidens* propositio particularis, in quam universalis per accidens conversa est, iterum converti in universalem, in eadem tamen argumentatione, ut contingit in conclusione 1.[i] modi figurae indirectae idest in syllogismo Baralipton (cf. infra n. 104). Tertia species conversionis est *per contrappositionem*, et habetur cum, inversis extremis, praefigitur particula negativa, variatis hoc modo terminis in indefinitos; e. g.: *Omnis homo est animal*, convertitur per contrappositionem : *Omne non animal est non homo.*

Hinc sequitur: 1° Propositio universalis affirmativa converti potest *per accidens* et *per contrappositionem ;* at non simpliciter per se loquendo (nisi praedicatum sit definitio, aut differentia specifica, aut proprietas subjecti). 2° Propositio universalis negativa potest converti et *simpliciter* et *per accidens;* e. g. : *Nullus homo est lapis*, converti potest: *Nullus lapis est homo ;* vel: *Aliquis lapis non est homo.* 3° Propositio particularis affimativa converti potest *simpliciter*, at non aliter ; 3° Particularis autem negativa converti potest solummodo *per contrappositionem.* Hae regulae sequentibus versiculis continentur :

Simpliciter fEcI convertitur; EvA *per accidens ;*
AstO *per contrap ;* sic fit conversio tota.

Caput XI.

De argumentatione

(Goudin, III Pars logicae min., a I; Zigliara, Dial., lib. III. c. I; Lepidi, l. c., Sect. III. c. I; Hugon l. c. Tract. III. qu. I; a. I Germano, c. III; Gredt, l. c. c. III.)

89. **Ratio capitis.** — Diximus supra officium logicae esse dirigere mentem ad cognoscendam veritatem, mens autem ad cognoscendam veritatem per reflexionem et per ratiocinium procedit cum igitur egerimus de elementis ratiocinii idest de simplici apprehensione, de terminis, de judicio et de propositione, consequens est ut de ipso ratiocinio, quod est praecipuum in logica, agamus; hoc autem definivimus: *Actus mentis quo ex una veritate cognita aliam deducimus.* Sed, ut iam animadvertimus (n. 9), ratiocinium per ipsam argumentationem veluti per signum optime intelligimus et explicamus, ideo de argumentatione agimus. Et primo de argumentatione in genere, inde de argumentione praecipua quae est *syllogismus:* de quo exponemus naturam, figuras, modos et species per varia capita. — Ut tyrones naturam logicae ejusque proprium objectum formale intime et plene percipiant eos admonendos puto ut attendant sicut ea quae hucusque explicavimus in eo vergere ut relationes et dispositiones subjecti et praedicati in lucem ponant, ita ea quae in ipsa argumentatione exposituri sumus (Cf. n. 7-8).

90. **Definitio argumentationis.** — Diximus ratiocinium esse actum mentis, quo una veritas ex alia, sive unum judicium ex alio deducitur (n. 6). Si ratiocinium verbis exterioribus exprimatur, habetur *argumentatio.* Unde, sicut propositio est expressio exterior judicii, ita et *argumentatio* est expressio exterior *ra-*

tiocinii. Et sicut ad ratiocinium efformandum requiruntur diversa judicia quae sunt ejus materia, ita ad argumentationem efformandam diversae propositiones. Argumentatio ergo ita definiri potest: *Complexus propositionum quarum una vel plures ex aliis deducuntur.* E. g.: *Substantia spiritualis est immortalis: anima humana est substantia spiritualis: ergo est immortalis.*

91. **Duplex pars in argumentatione distinguitur.** — In omni argumentatione duplex pars distinguitur: prima dicitur *antecedens*, secunda dicitur *consequens. Antecedens* est propositio, ex qua alia deducitur, *consequens* est propositio deducta: nexus vero qui reperitur inter antecedens et consequens, expressus per particulam, *ergo, igitur,* vel similem, dicitur *consequentia*, quae bona vel mala est, si consequens continetur, vel non continetur in antecedente.

92. **Quaedam leges traduntur ad bonam consequentiam habendam.** — 1.ª *Ex vero antecedente nunquam sequitur falsum consequens.* Illud enim solummodo ex alio sequi potest, quod in ipso continetur; in vero autem non continetur falsum; si enim falsum aliqua propositio contineret, non esset vera, ac proinde illud quod sequitur ex aliqua propositione, sive ex antecedente vero, falsum esse nullo modo potest. Unde, cum aliqua propositio deducta ab arguente est falsa, oportet vel deductionem non esse rectam, vel, si est recta deductio, antecedens aut ex toto, aut ex parte continere falsum.

2.ª *Ex falso antecedente sequi potest falsum consequens et etiam verum.* Nam ex aliqua propositione sequi potest quod in ea continetur; si ergo in propositione antecedente continetur falsum, ex ea falsum sequi potest. Insuper propositio falsa quandoque potest continere aliquod verum, non enim omnes pro-

positiones falsae sunt totaliter falsae; ut si dicam: *Omnes homines sunt virtuosi;* licet enim sit falsum *omnes omnino* homines esse virtuosos, attamen verum est *quosdam* homines virtuosos esse; unde ex illa propositione, qua parte verum continet, sequitur *Apostolos esse virtuosos.* Ideo ex eo quod consequens est verum, non licet inferre antecedens esse simpliciter et undequaque verum.

93. **Duplex species argumentationis.** — Duae species argumentationis distinguuntur in philosophia *syllogismus* et *inductio. Syllogismus* ex universalibus cognitis ad particularia aut singularia, *inductio* vero ex particularibus ad universalia deducenda procedit.

Caput XII.

De syllogismo

(Goudin, l. c. a. II; Zigliara, Dial. L. III. C. I. Art. II, III; Lepidi, Logica L. II. Sut III, C. III; Liberatore, Log. Pars Prima, C. III. Art. II et III; Hugon l. c. a. II; Germano prael. XII; Gredt l. c.)

94. **Syllogismus** definitur: *Argumentatio in qua duo extrema propositionis comparantur cum tertio termino, ut concludatur eorum convenientia vel disconvenientia tamquam subjecti et praedicati:*

E. g.: *Omnis homo est animal;*
Petrus est homo;
Ergo Petrus est animal.
Item: *Nullum animal est lapis;*
Sed omnis homo est animal;
Ergo nullus homo est lapis.

In primo syllogismo (idem dicitur de aliis) tres termini sunt, videlicet: *Homo, animal, Petrus. Petrus* et *animal* sunt duo termini tertiae propositionis, qui comparantur cum tertio termino *homo;* et ex eo quod cum ipso conveniant, concluditur eos inter se conve-

nire. In secundo syllogismo *lapis* et *homo* comparantur cum *animali* cum quo *lapis* non convenit, *homo* vero convenit; et ideo concluditur quod homo et lapis non conveniunt inter se.

95. **Syllogismus positivus et negativus.** — Syllogismus dicitur *positivus seu affirmativus*, si concluditur praedicatum convenire subjecto; dicitur *negativus* si concluditur praedicatum subjecto non convenire. — Primus sic definiri potest: *Argumentatio in qua ex eo quod deprehenditur aliquod praedicatum convenire alicui subjecto, concluditur idem praedicatum convenire alteri subjecto cui primum subjectum tanquam praedicatum convenit.* (Cf. 1.^{m} syllogismum adlatum n. praec). — Secundus vero sic: *Argumentatio in qua ex eo quod deprehenditur aliquod praedicatum non convenire alicui subjecto, concluditur idem praedicatum non convenire alteri subjecto cui primum subjectum convenit tanquam predicatum* (cf. 2.^{m} syllogismum adlatum n. praec.); vel: *ex eo quod deprehenditur aliquod praedicatum alicui subjecto convenire, alteri vero subjecto non convenire, concluditur unum horum subjectorum alteri non convenire;* e. g.: *Omnis homo est rationalis. Nullus asinus est rationalis. Ergo nullus asinus est homo.*

96. **Definitiones.** — Termini conclusionis qui comparantur cum tertio, dicuntur *extrema* syllogismi, et quidem vocatur *minus extremum* illud quod ponitur loco subjecti, *majus extremum* quod ponitur loco praedicati in ipsa conclusione. Terminus cum quo comparantur, dicitur *medius terminus*, vel simpliciter *medium.*

Per hoc autem quod *duo extrema* comparantur cum *tertio*, habentur duae propositiones syllogismi, ex quibus deducitur tertia. Primae duae vocantur *praemissae;* quarum ea in qua invenitur majus extremum

dicitur *major*, ea vero in qua invenitur minus extremum dicitur *minor*. Ad haec maxime attendendum est, cum leges syllogismo applicamus. In disputationibus tamen propositio quae prima pronuntiatur, dicitur *major*, quae secunda *minor*.

97. **Leges traduntur ad syllogismos recte conficiendos.** — Ex terminis formantur propositiones, ex propositionibus conficitur syllogismus; unde syllogismi natura ex terminis, sicut ex materia remota, et ex propositionibus sicut ex materia proxima dependet: et ideo caute procedendum est in terminis et propositionibus conjungendis; pro quo traduntur quaedam leges:

LEGES PRO TERMINIS:

1.ª Terminus esto triplex, major mediusque, minorque.
2.ª Latius hos, quam praemissae conclusio non vult.
3.ª Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
4.ª Aut semel aut iterum medius generaliter esto.

LEGES PRO PROPOSITIONIBUS:

1.ª Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.
2.ª Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
3.ª Pejorem sequitur semper conclusio partem.
4.ª Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

98. **Explicantur leges pro terminis.** — 1ª lex vult ut termini non sint plures, aut pauciores quam tres; nam ratio syllogismi in hoc sistit, ut duo extrema comparentur cum tertio termino, ut eorum convenientia vel disconvenientia, tanquam praedicati et subjecti, cognoscatur. Hoc autem obtinetur si ponantur tres termini solum: nam si pauciores sint, non potest fieri comparatio duorum cum uno tertio; si vero plures quam tres, tunc comparatio instituitur cum diversis, unde natura syllogismi evanescit. — Adverte etiam terminum esse debere triplicem, non quoad vocem, sed quoad sensum; non enim fit com-

paratio terminorum, sed eorum pro quibus termini supponunt. Unde sequens syllogismus non concludit:

Omnis *arbor* est *vivens.*

Sed aliquis *homo* est *vivens.*

Ergo aliquis *homo* est *arbor.*

Ratio est quia vivens tum applicatum arbori, tum homini sumitur particulariter; unde quoad sensum non est idem applicatum arbori et homini: sunt igitur quatuor termini quoad sensum in syllogismo.

2.ª lex exigit ut termini qui in conclusione reperiuntur et dicuntur *extrema* syllogismi non habeant majorem extensionem in conclusione quam habent in praemissis. Ratio est quia in conclusione ideo uniuntur, quia fuerunt comparati cum medio: ergo solum secundum id in quo conveniunt cum medio potest inferri eos convenire inter se; vel secundum id quod unum eorum convenit, aliud vero non convenit cum medio, potest inferri eos non convenire inter se.

E. g.: Omnis *substantia* est *subsistens;*

Sed aliqua *substantia* est *homo;*

Ergo omnis *subsistens* est *homo.*

Syllogismus non concludit, quia *subsistens* in conclusione sumitur distributive, in praemissis vero disjunctive, est enim praedicatum propositionis affirmativae (cf. n. 72).

3ª lex docet medium terminum nunquam esse ponendum in conclusione, sed solum in praemissis. Ratio est quia ad hoc adsumitur, ut cum eo comparentur extrema: comparatio autem extremorum cum medio fit in praemissis, et ideo in conclusione oportet ut solummodo uniantur extrema. Unde sequens syllogismus non concludit.

Omne *animal* est *subsistens.*

Sed omnis *homo* est *animal.*

Ergo aliquod *subsistens* est *animal.*

4ª lex praescribit medium terminum saltem se-

mel esse sumendum universaliter. Nam si sumatur particulariter in maiori et in minori propositione aliud potest significari per ipsum in majori et aliud in minori et sic unum extremum non comparatur cum eo secundum id quod comparatur aliud extremum; ac proinde nullum est jus concludendi extrema convenire vel non convenire inter se.

E. g.: Aliquod *animal* est *quadrupes;*
Sed aliquod *animal* est *rationale;*
Ergo *quadrupes* est *rationalis.*

Syllogismus non concludit, quia *animal,* de quo est sermo in prima propositione, aliud est ab *animali* secundae propositionis, et ideo *rationalis* et *quadrupes* comparantur cum rebus diversis, unde non potest concludi ea convenire inter se.

99. Leges propositionum declarantur.

1.ª lex propositionum monet, si utraque praemissa est negativa, nihil concludi. Et ratio est quia extrema non conveniunt cum medio termino: sed ex eo quod duo extrema non conveniunt cum medio, non sequitur ea convenire, aut non convenire inter se.

E. g.: *Nullus* asinus est rationalis.
Nullus asinus est risibilis.
Ergo nullum risibile est rationale.

Non concludit syllogismus quia ex hoc quod rationale et risibile non conveniunt cum asino, non sequitur ea non convenire inter se.

2.ª lex dicit quod si major et minor sint ambae propositiones affirmativae, conclusio, quae ex eis infertur, non potest esse negativa; nam in majori asseritur majus extremum convenire cum medio, idem asseritur in minori de minori extremo: et ideo sequitur extrema convenire inter se, quod exprimitur per propositionem affirmativam.

3.ª lex dicit conclusionem semper sequi pejorem

partem ; nempe: si una praemissarum sit affirmativa, altera negativa, conclusio est negativa ; nam unum extremum convenit cum medio, alterum vero non convenit, ac proinde non potest concludi ea convenire inter se, sed debet concludi non convenire inter se : conclusio ergo erit negativa (1). — Item si una sit universalis, altera *particularis,* conclusio debet esse *particularis.* Nam aut ambae sunt affirmativae, aut una affirmativa, altera negativa. Si ambae sint affirmativae, tunc solummodo subjectum propositionis universalis est universale, alia vero, nempe subjectum propositionis particularis et duo praedicata, sunt particularia, nam propositiones sunt ambae affirmativae (n. 71). Igituraut medius terminus non distribuitur, et syllogismus non concludit (4ª lex. term.); aut distribuitur medius terminus, sed tunc extrema sumuntur particulariter, et ideo etiam in conclusione sumi debent *particulariter* (2ª lex. term.) (2). Si autem una sit affirmativa, altera negativa, in hac hypothesi conclusio non potest esse

(1) In syllogismis disjunctivis quamvis una praemissarum sit negativa, conclusio tamen est affirmativa ; e. g.: *Si non est accidens est substantia. Sed non est accidens. Ergo est substantia.* Ratio est quia, ut ait noster Goudin (*log. min.*, III pars, a. 3, 5 regula), « In disiunctivis non concluditur ex comparatione extremorum cum uno tertio, sed ex immediata eorum oppositione, qua fit, ut si verum sit unum non esse, verum sit alterum esse, et contra ; unde negatio unius infert affirmationem alterius, non per se ex vi negationis, sed per accidens propter adiunctam oppositionem ; et tamen in praemissis tacite includuntur duae affirmationes concludentes hanc affirmativam ; nempe : si verum sit propositionis disiunctivae unam partem non esse, verum erit alteram esse ; sed verum est unam non esse, ex quibus concluditur alteram esse ».

(2) Ex. Omne animal est sensitivum. Sed aliquod animal est rationale. Ergo aliquod *rationale* est *sensitivum.* Syllogismus concludit ; sed non potest concludi : Ergo omne *rationale* est *sensitivum :* quia rationale sumeretur universaliter in conclusione, et in praemissis particulariter.

universalis, nam cum debeat esse negativa, minus extremum et majus extremum distributive sumuntur in conclusione universali; unde etiam in praemissis oportet ut distributive sumantur (2ª lex. term.). Sed insuper in praemissis medius terminus oportet ut saltem semel distributive sumatur (4ª lex. term). Ergo oportet ut tres termini sumantur distributive in duabus propositionibus, quarum una est particularis, et una affirmativa, quod est impossibile (1).

4.ª lex prohibet ne quis conclusionem inferat ex duabus propositionibus particularibus; nam aut sunt ambae negativae, et tunc nihil sequitur, (ex 1ª lex. prop.); vel sunt ambae affirmativae, et tunc medius terminus nunquam sumitur universaliter (quod est contra 4am. legem term.); si autem una sit affirmativa, altera negativa, et medius terminus ponitur praedicatum propositionis negativae, tunc majus extremum non distribuitur in praemissis, utpote subjectum propositionis particularis aut praedicatum propositionis affirmativae; distribuitur autem in conclusione, utpote praedicatum conclusionis negativae (contra 2am. leg. term.); vel unum extremorum ponitur praedicatum propositionis negativae, et tunc medius terminus sumitur particulariter in majori et in minori (quod est contra 4am. leg. term.) (2). (Cf. n. 72).

---

(1) Ex.: Nullum animal est lapis. Sed aliqua substantia est lapis. Ergo aliqua substantia non est animal. Syllogismus concludit. Sed non concluderet si diceretur: *Ergo nulla substantia est animal;* quia *substantia* distribueretur in conclusione non distributa in praemissis.

(2) Ex.: Aliquod animal non est rationale. Sed aliquod animal est risibile. Ergo aliquod rationale non est risibile. Syllogismus non concludit, quia *risibile* sumitur universaliter in conclusione et in praemissis particulariter. Alias applicationes facile faciet lector: longum esset autem eas per extensum exponere.

Caput XIII.

De figuris et modis syllogismorum

(Goudin, Log. Min. III. Pars. a. III: Zigliara, Dial. l. III, c. I, a. IV. V: Lepidi, Lib. II. Logicae lect. III c. III; Liberatore, Log. Pars. I. C. III. Art. IV, V. Hugon, l. c. a. IV et V, Gredt, l. c.)

100. **Figura in syllogismo.** — Nomine *figurae* in syllogismo intelligitur *dispositio extremorum cum medio per modum praedicati et subjecti.* Nam *medius terminus* aut ponitur *subjectum* in majori et *praedicatum* in minori, et habetur 1ª *figura ;* aut ponitur tum in majori tum in minori *praedicatum,* et habetur 2ª *figura ;* aut ponitur tum in majori quam in minori *subjectum,* et habetur 3ª *figura.* A scholasticis hoc sequenti versiculo figurae syllogismi continebantur :

Sub. prae : PRIMA ; *sed* ALTERA *bis prae :* TERTIA *bis sub :* (1)

Alii addunt *quartam figuram* videlicet, cum medius terminus ponitur praedicatum in majori et subjectum in minori ; sed haec figura dicta *Galenica,* quia a Galeno primitus admissa, inutilis a scholasticis reputatur ; est enim eadem ac prima figura scholasticorum hac sola differentia distincta, quod propositio quae a scholasticis dicitur *minor,* a Galeno et aliis dicitur *major* (2).

---

(1) Ex. 1ae fig. : *Omne animal* est vivens. Sed omnis homo est *animal.* Ergo omnis homo est vivens.

Ex. 2ae fig. : Nullus homo est *planta.* Sed omnis arbor est *planta.* Ergo nulla arbor est homo.

Ex. 3ae fig. : Nullus *homo* est purus spiritus. Sed omnis *homo* est intellectivus. Ergo aliquod intellectivum non est purus spiritus.

(2) Cf. Goudin, *log. min.,* III pars, a. 3.

101. **Leges pro singulis figuris.** — 1.ª lex est: ut syllogismi primae figurae concludant directe, requiritur ut *major* propositio sit *universalis*, seu *distributiva*, et minor *affirmativa*. Dixi: ut syllogismi primae figurae *directe* concludant; quia *indirecte* concludunt quandoque etiamsi *minor* sit *negativa*, et *maior* sit *particularis*, ut contingit in *Friseson* (vide infra, n. 104).

2.ª lex: Syllogismi secundae figurae non concludunt, nisi habeant *majorem* propositionem distributive acceptam et alterutram praemissarum *negativam*.

3.ª lex: Syllogismi tertiae figurae, ut concludant, habere debent minorem *affirmativam* et conclusionem *particularem*, seu *disjunctive* acceptam (1).

Hae leges his versiculis continentur:

1.ae fig.: SIT MINOR AFFIRMANS, MAJOR VERO GENORALIS.
2.ae fig.: UNA NEGANS ESTO, NEC MAJOR SIT SPECIALIS.
3.ae fig.: SIT MINOR AFFIRMANS, CONCLUSIO PARTICULARIS.

Ratio primae legis est quod, si major non est pro-

---

(1) Ex. 1ae fig.: Omnis homo est rationalis. Sed nullus asinus est homo. Ergo nullus asinus est rationalis. Syllogismus non concludit quamvis propositio conclusio in se accepta sit vera; nam *rationalis* distribuitur in conclusione non distributus in praemissis. — Ex. syllogismi 1ae figurae indirecte concludentis cum minore *negativa* et cum majori *particulari*: *Aliquod* animal est quadrupes. Sed *nullus* lapis est animal. Ergo *aliquis* lapis *non* est quadrupes. — Ex. 2ae fig.: Omne animal est sensitivum. Sed omnis homo est sensitivus. Ergo omnis homo est animal. — Syllogismus non concludit quia medius terminus particulariter sumitur in majori et in minori utpote praedicatum propositionis affirmativae (contra 4m legem term.). — Ex. 3ae fig.: Omnis arbor est substantia. Sed omnis arbor est vivens. Ergo omnis substantia est vivens. — Non concludit quia substantia distribuitur in conclusione non distributa in praemissis.

positio universalis, medius terminus in majori sumitur particulariter; et quia saltem semel debet sumi (ex 4.ª lege term.) universaliter, oportet ut minor sit negativa, cum medius terminus sit praedicatum minoris (n. 72); sed si minor sit negativa, sequitur quod conclusio debeat esse negativa (ex 1ª lege prop.); at si ponatur conclusio negativa, distribuitur majus extremum in conclusione non distributum in majori, quae in hypothesi debet esse affirmativa; et ideo neque major debet esse particularis, sed universalis; neque minor debet esse negativa, sed affirmativa.

Ratio secundae legis est quia, si in secunda figura una propositio non est negativa, medius terminus, utpote praedicatum utriusque propositionis affirmativae, (cf. n. 72) nunquam distribuitur (contra 4ªm legem term.). Si autem major sit propositio particularis majus extremum, quod in majori est subjectum, distribuitur in conclusione utpote praedicatum propositionis negativae (n. 72), et non distribuitur in majori (contra 2.ªm legem term.).

Ratio tertiae legis est quod si minor non est affirmativa sed negativa, major debet esse affirmativa (1ª lex prop.); et proinde majus extremum in majori sumitur disjunctive sive particulariter; sed quia conclusio in hac hypothesi debet esse negativa (ex 3ª lege prop.) in ipsa distribuitur majus extremum non distributum in praemissis (contra 2.ªm legem term.). Ex hoc sequitur conclusionem debere esse particularem; nam secus minus extremum distribueretur in conclusione non distributum in praemissis, idest in minori, in qua, utpote praedicatum propositionis affirmativae, sumitur particulariter.

102. **Modi syllogistici.** — Plures esse, immo multiplices, modos conficiendi syllogismos patet ex pluralitate figurarum et ex diversa dispositione quam

propositiones suscipere possunt inter se se; nam vel propositiones syllogismi sunt omnes universales, vel particulares, vel una aut duae universales et duae aut una universalis, aut una negativa, altera affirmativa, etc. Igitur *modus* syllogismi est: *determinata forma vel quantitas propositionum praemissarum, ut ex eis sequatur conclusio.*

Ex qua definitione sequitur quod, si praemissae ita disponantur in forma vel in quantitate, ut nulla sequatur conclusio, non habeatur verus et rectus syllogismus, sed potius falsus syllogismus sive *paralogismus*; e. g. si praemissae sint duae propositiones negativae aut particulares, nulla sequitur conclusio: (lex. 1ª et 4ª term.) quia extrema non comparantur cum *uno medio*; et ideo non habetur syllogismus (vide definit. syllogismi n. 94).

103. **Quot sint modi syllogistici omnes, sive recte concludentes, sive non concludentes.** — Omnes modi syllogistici sive recte concludentes, sive non concludentes, simul sumpti sunt sexaginta quatuor in qualibet figura, quia tot sunt quot haberi possunt dispositiones quatuor vocalium A E I O, idest propositionum ternis et ternis, quae per dictas litteras designantur. Possunt autem in qualibet figura disponi propositiones praedictae sexaginta quatuor modis ut unusquisque verificare potest ex sequenti tabula:

AAA	EEE	III	OOO	AOA	EOE	IOI	OIO
AAE	EEA	IIA	OOA	OAA	OEE	OII	IOO
AEA	EAE	IAI	OAO	AEI	AEO	AIO	EIO
EAA	AEE	AII	AOO	AIE	AOE	AOI	EOI
AAI	EEI	IIE	OOE	EAI	EAO	IAO	IEO
AIA	EIE	IEI	OEO	EIA	EOA	IOA	IOE
IAA	IEE	EII	EOO	IAE	OAE	OAI	OEI
AAO	EEO	IIO	OOI	IEA	OEA	OIA	OIE

104. **Quot sunt modi concludentes in qualibet figura.** — Licet multi sint modi syllogistici, tamen pauci sunt concludentes in qualibet figura. Nam in prima figura nonnisi quatuor modi concludunt directe, videlicet: — 1.° Cum major, minor et conclusio sunt propositiones universales affirmativae, idest A A A. — 2.° Cum major est universalis negativa, minor universalis affirmativa, et conclusio universalis vel particularis negativa, idest E A E vel E A O. — 3.° Cum major est universalis affirmativa, minor particularis affirmativa et conclusio particularis affirmativa: A I I. — 4.° Cum major est universalis negativa, minor particularis affirmativa et conclusio particularis negativa: E I O. — Sed prima figura potest concludere etiam indirecte, idest convertendo propositionem conclusionis, ita ut praedicatum ponatur loco subjecti. E. g.: *Omne animal est sensitivum; sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitivus;* potest etiam concludi sic: *Ergo aliquod sensitivum est homo;* idest non solum potest concludi per A A A, sed etiam per A A I, quia scilicet propositio universalis affirmativa potest converti per accidens (cf. n. 88). Item cum concluditur directe per E A E, potest converti conclusio simpliciter, et habetur conclusio indirecta; idem dicito de A I I; potest enim I converti simpliciter, remanente veritate propositionis. Insuper indirecte prima figura potest concludere etiam per A E O, et per I E O, ut patet intuenti quia nulli legi opponitur talis conclusio. Sed nulla alia dispositio propositionum infert conclusionem in prima figura, ut quisquis verificare potest, si attendat ad leges supra expositas.

Secunda figura non concludit nisi per E A E; A E E; E I O; A O O, nam in aliis dispositionibus non

servantur leges suprapositae, idest: *una negans esto, nec major sit specialis.*

In tertia figura non concluditur nisi per A A I; E A O; I A I; A I I; O A O; E I O; nam solummodo in hujusmodi propositionum dispositionibus servantur leges idest: *Sit minor affirmans, conclusio particularis,* vel aliae supra expositae (n. 97); ut videre est in tabula A A A; A A E; A A I; A A O; etc. dispositionum omnium possibilium litterarum A E I O.

105. **Quot sint modi recte concludentes simul sumpti.** — Modos nunc colligentes qui in qualibet figura directe concludunt, hos recte concludentes invenimus, videlicet:

1.ª fig.: A A A; E A E; A I I; E I O;
1.ª fig. ind.: A A I; E A E; A I I; A E O; I E O;
2.ª fig.: E A E; A E E; E I O; A O O;
3.ª fig.: A A I; E A O; I A I; A I I; O A O; E I O;

idest novemdecim modi recte concludendi directe habentur, adjunctis etiam quinque modis figurae Galenicae, qui correspondent quinque modis concludendi indirecte in prima figura scholasticorum, imo non differunt nisi materialiter ratione inversionis praemissarum, quatenus scilicet ea quae in Galenica figura dicitur major, in figura indirecta scholasticorum dicitur minor; et ideo nos mores scholasticorum sequentes, adjecimus quinque modos figurae primae indirectae, videlicet: A A I; E A E; A I I; A E O; I E O. Per quos modos scholastici supplebant quartam figuram galenicam. — Adverte quod, cum concluditur per A A A, a fortiori potest concludi per A A I; et cum concluditur per E A E, sive per A E E, potest concludi per A E O: quia si sunt verae propositiones universales A et E, erunt verae particu-

lares I et O sub eis contentae; quia tamen potest considerari talis conclusio, et ideo Syllogismus, ut casus particularis sub universali contentus, ideo a scholasticis non fit mentio distincta de eo.

Omnes igitur modos syllogisticos recte concludentes scholastici his versiculis continebant, memoriae juvandae gratiae.

(1ª) *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio* (1ª ind.) *Baralip* (*ton*) *Celantes*, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Frisesom(orum)*.

(2.ª) *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco* (3.ªᵉ) *Darapti*, *Felapton*, *Disamis*, *Datisi*, *Bocardo*, *Ferison*.

Particulae *ton* in *Baralipton*, et *orum* in *Frisesomorum* non sunt considerandae, quia adjunctae ad versum complendum.

Modi ergo primae figurae habentur in verbis: *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*.

Modi primae figurae indirectae in *Baralip*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Frisesom*.

Modi secundae figurae in *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*.

Modi tertiae figurae in *Darapti*, *Felapton*, *Disamis*, *Datisi*, *Bocardo*. *Ferison*.

106. **Reductio omnium modorum ad primam figuram.** — Omnes modi, tum primae figurae indirectae, tum secundae figurae, tum tertiae, reducuntur ad modos primae figurae directae, praeter *Baroco* et *Bocardo*. Ita scilicet, ut modi qui incipiunt per litteram *B*, reducantur ad *Barbara ;* qui per litteram *C*, ad *Celarent ;* qui per litteram *D*, ad *Darii*, et qui per litteram *F ad Ferio*.

Ut obtineatur intentus, attende ad litteras S. P. M. C. quae occurrunt in citatis versibus. Littera *S* significat propositionem designatam per vocalem ipsam praecedentem esse convertendam *simpliciter*. Littera P significat convertendam esse *per accidens*. Lit-

tera M significat in reductione syllogismi *minorem* fieri debere *majorem* et *majorem* fieri debere *minorem*. C vero exprimit reductionem fieri non posse, sed probari rectitudinem syllogismi *per impossibile*.

Hae regulae his versibus continentur :

S vult *simpliciter* verti ; P vero per *accidens*.
M vult *transponi ;* C per *impossibile* duci.

Exemplo rem illustremus. Sit sequens syllogismus in *Fapesmo :*

a) Omne animal est substantia ;
e) Sed nullus lapis est animal ;
o) Ergo aliqua substantia non est lapis.

F quae est prima littera in *Fapesmo* designat syllogismum esse reducendum ad *Ferio*. P designat A, quae est proposito universalis affirmativa, esse convertendam *per accidens ;* scilicet sic : *Aliqua substantia est animal ;* S indicat E, quae est propositio universalis negativa, convertendam esse *simpliciter*, idest : *nullum animal est lapis ;* M indicat invertendum esse ordinem praemissarum, ut quae *major* est fiat *minor*, et *minor* fiat *major*. Unde habemus :

e) Nullum animal est lapis ;
i) Sed aliqua substantia est animal ;
o) Ergo aliqua substantia non est lapis (1).

107. **De probatione syllogismorum.** — Quando quis, concessis praemissis, proterve neget consequentiam quae recte ex praemissis deducta est, reducitur ad rectam rationem : 1° per reductionem syllogismorum aliarum figurarum ad primam figuram directam et per applicationem principiorum *dictum de omni dictum de nullo*, videlicet quod dicitur de subjecto

(1) Cf. Goudin, *log. min.*, III pars., a. IV.

universaliter sumpto dici debet de quolibet sub eo contento; et quod negatur de subjecto universali, negatur etiam de quolibet sub eo contento; 2° per reductionem ad impossibile, idest cogendo adversarium ad admittenda contradictoria si consequentiam neget, concessis praemissis; quod semper fit quando agitur de syllogismis in *Bocardo* et *Baroco* confectis (1).

108. **Leges statuuntur pro reductione syllogismorum ad impossibile.** — In syllogismis primae figurae, si negetur consequentia, concessis praemissis, sic proceditur: Adsumatur conclusionis negatae contradictoria, quae (ex 2.ª leg. prop. contradic.) debet ab adversario concedi, et haec ponatur ut *major* novi syllogismi conficiendi; *major* autem praecedentis syllogismi ponatur ut *minor*, et deducatur conclusio quae est contradictoria *minori* propositioni primi syllogismi, quae ab adversario concessa fuerat; unde contradictoria admittere cogitur adversarius. E. g.: *Omne animal est sensitivum; Sed omnis homo est animal; Ergo omnis homo est sensitivus.* Si quis, concessis praemissis, neget conclusionem, sic proceditur contra ipsum: *Ergo non omnis homo est sensitivus. Sed omne animal est sensitivum; Ergo non omnis homo est animal.*

In 1.° modo syllogistico figurae indirectae, idest in *Celantes*, contradictoria non ponitur *major*, sed *minor*; et *minor* prioris syllogismi ponitur *major*. Pro aliis syllogismi primae figurae indirectae modis, servanda est *lex* pro syllogismi modis 1ae figurae directae.

In syllogismis secundae figurae contradictoria ponitur loco *minoris* prioris syllogismi, intacta servata ejusdem syllogismi *majori*.

In syllogismis tertiae figurae contradictoria po-

(1) Cf. GOUDIN, l. c. et ZIGLIARA, l. c.

nenda est loco *majoris* syllogismi probandi, et *minor* non mutanda.

Hae leges his versiculis continentur :

Prima *Minorem* adimit, facit e *Majore Minorem.*
Celantes Minor est contradic ; *Min.* sede *Majoris.*
Maiorem servat, variatque *Secunda Minorem.*
Tertia *Majorem* variat, servatque *Minorem* (1).

109. **Leges pro inventione medii.** — A scholasticis leges statuuntur etiam pro inventione medii ad conficiendos syllogismos. — 1ª Lex : Cum quis probare vult aliquod praedicatum convenire alicui subjecto, sufficit ut inveniat aliquid quod continetur sub tali *praedicato*, et contineat subjectum ; e. g. cum quis vult probare animae humanae immortalitatem, sufficit ut animadvertat *substantiam spiritualem* contineri sub *immortali*, et animam humanam contineri sub *substantia spirituali.* Substantia spiritualis est medius terminus ; videlicet generatim loquendo : illud est medius terminus quod continetur sub praedicato propositionis probandae, et continet sub se subjectum ejusdem propositionis. 2ª Lex : Cum quis intendit probare aliquod praedicatum non convenire alicui subjecto, sufficit ut inveniat aliquid de quo affirmatur praedicatum, vel quod includit in se praedicatum, et excluditur a subjecto, vel non convenit subjecto. E. g. cum quis intendit probare *hominem* non esse *asinum,* adsumat *irrationale*, vel *quadrupes*, quod includitur in *asino* et ei convenit, sed excluditur ab homine, et ei non convenit ; e. g. *omnis asinus est irrationalis, sed homo non est irrationalis, ergo homo non est asinus* (2).

---

(1) Cf. Goudin et Zigliara, l. c.

(2) Cf. Goudin, l. c. a. V ; Zigliara, l. c., X ; et Lepidi, l. c., cap. IV.

Caput XIV.

De speciebus syllogismi

(Zigliara, dial. l. III, c. II; Lepidi, Logicae, lib. II Sect. III, c. II Liberatore, Log. Pars I, c. III, art. VI, VII).

110. **Species praecipue syllogismi.** — Praecipuae species syllogismi sunt: Syllogismus *scholasticus* et syllogismus *oratorius;* et uterque dividitur in *simplicem* et *compositum.* Syllogismus *scholasticus* qui etiam formatus dici solet, est cujus propositiones secundum eam formam quem exposuimus dispositae sunt; si vero talem formam non explicite, sed solum implicite continet, dicitur *oratorius.*

Syllogismus *simplex* ille est, cujus pramissae sunt duae simplices propositiones; e. g.: *Summum bonum est amandum; Deus est summum bonum; Ergo Deus est amandus.* Cum in syllogismo reticetur una praemissarum, vocatur *enthymema.* Ex: *Summum bonum est amandum. Ergo Deus est amandus;* vel: *Deus est summum bonum. Ergo Deus est summe amandus.*

Syllogismus *compositus* est ille vel cujus una praemissarum propositio composita est, vel qui pluribus syllogismis simplicibus, sive explicite, sive implicite constat.

Syllogismus compositus, cujus una praemissarum propositio composita est, quin contineat plures syllogismos, est triplex, idest *conditionalis, disjunctivus, conjunctivus.*

Syllogismus *conditionalis* est cujus major est propositio conditionalis, minor affirmatio conditionis vel negatio conditionati, et conclusio est vel affirmatio conditionati aut negatio conditionis; e. g.: *Si Petrus currit, Petrus movetur; atqui Petrus currit; ergo Pe-*

trus movetur ; vel *Atqui Petrus non movetur ; Ergo Petrus non currit.* — Istis syllogismis applicantur leges propositionibus conditionalibus statutae (n. 76). — Talis syllogismus de facili reducitur ad *cathegoricum* vel *simplicem* hoc modo: *Omne currens movetur. Petrus currit. Ergo Petrus movetur.* — vel : *Quod non movetur non currit. Petrus non movetur. Ergo Petrus non currit.*

Syllogismus disjunctivus est cuius maior est propositio *disjunctiva,* minor affirmatio vel negatio unius vel plurium membrorum quae in majori dicuntur debere disjunctive convenire subjecto; conclusio negatio vel affirmatio membrorum quae supersunt ex affirmatione vel negatione minoris (cf. leges propositionis disjunctivae n. 75). E. g. *X aut est A, aut B, aut C, etc.; atqui X est C; ergo non est A, non est B. etc.* Reducitur ad syllogismum simplicem hoc modo: *Omne quod est X non est A, non est B,* etc. *Atqui est X ; Ergo non est A, non est B,* etc. Potest etiam reduci ad conditionalem hoc modo : *Si est X non est A, non est B, etc. Atqui est X. Ergo...*

Syllogismus conjunctivus est ille cujus *major* est propositio conjunctiva ; *minor* affirmatio unius membri : *conclusio* negatio membri oppositi (Vide propositionem conjunctivam n. 75).

In his syllogismis ex negatione unius membri non valet affirmatio alterius, nisi membra enumerabilia sint duo tantum. E. g.: *Nemo potest servire Deo et divitiis. Atqui Petrus servit divitiis. Ergo Petrus non servit Deo.* Sed si quis dicat : *Atqui Petrus non servit divitiis,* non sequitur: *Ergo servit Deo,* quia potest aliis cupiditatibus servire. E contra valet sequens syllogismus :

Nihil potest esse simul substantia et accidens.
Sed anima humana non est accidens.

Ergo anima humana est substantia. Ratio est quia non potest enumerari aliud membrum, nam quidquid est, aut est accidens, aut est substantia.

111. **Species syllogismi compositi plures syllogismos simplices contiuentis.** — Syllogismus plures syllogismos continens est quadruplex, idest: *Epicherema, Dilemma, Sorites, Polysyllogimus.*

Epicherema est syllogismus cujus una vel utraque praemissa est propositio causalis. E. g.:

Ens simplex non est per se corruptibile — quia non habet partes in quas resolvi possit;

Atqui anima humana est ens simplex;

Ergo anima humana non est per se corruptibilis.

Propositio causalis: *quia non habet partes in quas resolvi possit* continet integrum syllogismum, neque adlatum syllogismum modificat quantum ad leges quibus subjicitur. En syllogismum quem continet:

Quod in partes resolvi nequit, non est per se corruptibile.

Atqui ens simplex in partes resolvi nequit.

Ergo ens simplex non est per se corruptibile.

Dilemma est syllogismus cujus prima propositio est disjunctiva; aliae propositiones sunt reassumptio membrorum propositionis disjunctivae; et conclusio ex absumpto aut subintelligitur, aut infertur explicite. Si major disjunctiva habeat tria membra, dicitur *trilemma;* si quatuor, *quadrilemma*, etc. Exemplum dilemmatis habetur in sequenti argumentatione Tertulliani contra Trajanum:

Aut nocentes sunt Christiani, aut innocentes.

Si nocentes, cur inquiri prohibes?

Si innocentes, cur delatis poenas irrogas?

Conclusio generalis emergens ex assumpto utroque membro est: *Ergo leges tuae aut stultae sunt, aut iniquae.*

Leges dilemmatis sunt: 1.ª *membra propositionis disjunctivae sint complete enumerata;* 2.ª lex est: *Dilemma ita concludat ut non possit ejus conclusio contra auctorem retorqueri.* Unde hoc dilemma non concludit:

Aut bene aut male rempublicam administrabis.
Si male, displicebis Deo.
Si bene, displicebis hominibus.
Igitur regimen reipublicae non est suscipiendum. —

Potest autem contra auctorem hoc modo retorqueri:

Aut bene aut male rempublicam administrabo.
Si male, placebo hominibus.
Si bene, placebo Deo.
Ergo regimen reipublicae est suscipiendum.

3.ª Lex est: *Quod infertur separatim ex singulis membris sit cum ipsis necessario connexum.* Nam quod infertur se habet sicut conditionatum ad conditionem (n. 76), insuper *conclusio generalis debet esse connexa cum singulis conclusionibus illatis ex membris reassumptis disjunctivae propositionis.* Unde etiam ex hoc capite peccat ultimum dilemma: non enim suscipiendum esset regimen reipublicae cum Dei offensa.

Sorites est syllogismus constans pluribus propositionibus ita connexis, ut praedicatum praecedentis fiat subjectum sequentis, donec subjectum primae propositionis et praedicatum ultimae componant conclusionem syllogismi:

Anima humana est substantia cogitans.
Substantia cogitans est substantia spiritualis.
Substantia spiritualis est immortalis.
Ergo anima humana est immortalis.

1.ª *Lex* Soritis est: *Omnes et singulae propositiones sint verae.* — 2.ª *Lex* est: *Termini qui soritem ingrediuntur eamdem omnino, cum repetuntur, retineant suppositionem.* Ad quam legem maxime attendendum est, applicatio enim ejus difficilis quandoque fit. —

3.ª *Lex* est: *Sorites in syllogismos simplices resolvatur, binis propositionibus subjungendo statim illationem.* Applicentur his syllogismis leges supra expositae.

Polysyllogismus est *argumentatio, in qua plures syllogismi inter se ita connectuntur ut prioris syllogismi* conclusio *fiat* praemissa *syllogismi sequentis.* Ex:

Substantia cogitans est spiritualis.
Sed anima humana est substantia cogitans.
Ergo anima humana est substantia spiritualis.
Sed substantia spiritualis est immortalis.
Ergo anima humana est immortalis.

Cuilibet syllogismo applicandae sunt leges supra positae.

Caput XV.

De inductione

(Zigliara, *Dial ct.* lib. III. c. III, et S. Bersani, Per. *Div. Th.* ser. 2, v. I, fasc. 1 et 4, anno 1900). Hugon, Logica Major Tr. ct. III qu. II.

112. **Definitio et species inductionis.** — *Inductionis* nomine intelligitur: *Argumentatio in qua de tota specie vel de toto genere concluditur quod affirmatur, vel negatur de singulis individuis, vel de singulis speciebus.* Unde inductio ex opposito syllogismi omnino procedit; hic enim a principio *dictum de omni, dictum de nullo* procedit ad concludendum de particularibus subjectis: unde dicitur argumentatio *deductiva;* e contra inductio a particularibus subjectis ad concludendum *de omni* vel *de nullo* sese attollit: unde dicitur argumentatio *inductiva.*

Inductio, ut patet ex ejus definitione, in *experientia* fundatur; nam singularia, a quibus movemur ad universalia adsurgendo, nonnisi per *experientiam* co-

gnoscuntur. Est autem experientia *cognitio ope sensuum vel conscientiae habita;* et dicitur *externa*, si ope sensuum externorum acquiritur et circa objecta extra nos existentia versatur; *interna* si ope sensus interni seu conscientiae habetur, et facta animi nostri rimatur. Utraque dividitur in *observationem* et *experimentum.*

Observatio est attentio praestita facto quod sponte se nobis exhibet et est a nostra industria independens. — *Experimentum* est attentio praestita factis quae nostra nobis industria procuramus. — Hinc dicimus *observationes* astronomicas, et physica *experimenta.* Si inductio procedit per interrogationes et responsiones, dicitur *Socratica*, quia Socrates taliter procedebat; si autem sine interrogationibus et responsionibus, dicitur *Rethorica.* — Est *completa*, si omnia singularia tum quoad locum, tum quoad tempus enumerentur; si autem non omnia singularia facta enumerentur sed plura, habetur inductio *incompleta.* Imo quandoque ad concludendum sufficere potest unum factum tantum ad modum exempli relatum, quasi a simili vel a fortiori seu a magis ad minus, ut si dicam: Amor prophanus seduxit Davidem sanctum virum. Ergo et te seducet si illo impliceris.

113. **Inductio syllogismo innititur.** — Adverte tamen inductionis nullam esse vim nisi praesupponatur syllogismus. Nam in inductione ex eo quod aliquod praedicatum convenit multis individuis, concluditur omnibus individuis ejusdem naturae convenire: hoc autem non posset concludi nisi praesupponeretur aliquod principium universale et abstractum, et nisi applicaretur omnibus et singulis; e. g. ex eo quod experti sumus plures arbores constanter producere fructus quosdam determinatos, puta malum mala, pyrum pyra etc. concludimus quamlibet

arborem semper producere fructus determinatos, non autem fructus alterius arboris. Sed hoc concludi non posset nisi per applicationem alicujus veritatis universalis, syllogizando saltem implicite sic (hunc enim syllogismum implicite supponimus) :

Causae eamdem habentes naturam, eosdem constanter producunt effectus, vel producunt effectus ejusdem naturae.

Atqui omnes mali sunt causae habentes eamdem naturam.

Ergo producunt effectus ejusdem naturae.

Hinc patet quam absurde quidam, inter quos Baco a Verulamio, inductionem supra syllogismum extulerint syllogismum improbantes.

114. **Leges inductionis.** — Circa inductionem *completam* nulla lex necessaria est : nam in ea omnia individua enumerantur quia praedicatum singulis individuis nullo excepto applicatur, et ideo, ea peracta, eo ipso concluditur tale praedicatum omnibus convenire ; ut si dicam : *Visus, auditus, olfactus, gustus et tactus aliquando nobis sunt erroris occasio. Ergo omnes sensus externi aliquando nobis sunt occasio errandi.*

Leges inductionis *incompletae* hae sunt :

PRIMA LEX. — *Diligens adhibenda est experientia, a qua inductio exordium sumit ; et attenta, repetita saepius ac scrupolosa factorum observatio.* — Si enim experientia desit, perit inductionis fundamentum ; si desit attenta observatio, non scientifica, sed temeraria prorsus haberetur inductio.

SECUNDA LEX. — *Facta quae singillatim considerantur, per experimenta aut observationes, varianda sunt* ita ut non ex fortuita et accidentali quadam circumstantia, sed ex individuorum natura uniformiter et constanter profluere inveniantur, atque hoc pacto jus habeatur inferendi legem universalem communem, etiam similibus rebus non observatis.

TERTIA LEX. In phaenomenibus similibus, quae producuntur in diversis circumstantiis et de quibus quaeritur lex vel causa, attendatur : 1.° ad circustantiam quae eis communis sit; 2.° ad circumstantiam qua deficiente non producitur phaenomenon vel effectus; 3.° ad variationem phaenomeni ex variatis circumstantiis vel quocumque modo modificatis; 4.° ad circumstantias quibus sublatis sive partialiter sive totaliter effectus vel phaenomenon non producitur vel non ita complete vel perfecte producitur.

QUARTA LEX. His attente observatis applicentur principia : *Non datur effectus sine causa ; Amota causa removetur productio effectus ; Effectus causae proportionatur.* Unde si ex remotione alicuius circumstantiae non sequatur remotio productionis effectus talis circumstantia non est adsignanda ut causa quamvis communis sit variis circumstantiis in quibus licet variatis producitur phaenomenon vel effectus. — Non tamen simplex remotio circumstantiae est signum illius causalitatis ex hoc quod amplius non producitur effectus, quia circumstantia potest esse simplex conditio necessaria, sicut siccitas ligni est conditio non causa combustionis et aperitio fenestrae est conditio non causa illuminationis domus.

Contra 1.^{am} legem peccant non pauci physiologi nostrae aetatis; contra 2.^{am} hodierni multi physiognomici et pathognomici.

Caput XVI.

De methodo

(Goudin, Log. min. Appendix; Zigliara, Dial. III. Cap. V; Lepidi, Logica lib. IV, sect. I: Rosselli, Logica qu. XXXII; Liberatore, Logica pars alt., cap. VII, art. I).

115. **Ratio capitis.** — Quia logica Minor in tradendis explicandisque legibus quibus mens dirigatur procedendo in cognitione veritatis consistit, ideo non absonum est in fine logicae minoris agere de ipsa methodo. Quinimo methodus jure meritoque veluti complementum et corona totius logicae minoris considerari potest cum in ipsa generales et optimae leges tradantur recte procedendi in cognitione veritatis (Cf. n. 5).

116. **Definitio et divisio methodi.** — *Methodus* nihil est aliud quam *modus ordinate procedendi in cognitione veritatis.* — Duplex distinguitur a philosophis, *synthetica* et *analytica. Methodus synthetica* est illa quae a simplicibus ad composita, ab universalibus ad minus universalia procedit; *σύνθεσις* (synthesis) enim graece idem sonat ac *compositio* latine, a verbo *συντίθημι* quod est *componere. Methodus analytica* est illa quae a compositis ad simplicia, a minus universalibus ad universaliora procedit: *ἀνάλυσις* (analysis) enim graece *resolutionem* latine sonat, a verbo *ἀναλύω* quod est *resolso.* Hinc syllogismus synthesim, inductio vero analysim sequitur.

117. **Regulae generales methodi in genere statuuntur.** — 1ª Regula est: A claris, facilioribus, notioribus ac proximioribus semper est incipiendum, ut per faciliora ad difficiliora, per notiora ad obscuriora, per proximiora ad remotiora scientiae mens veluti manuducatur.

2ª Regula est: Gradatim procedatur et non per saltus, neque ad conclusiones remotiores fiat transitus, nisi antea plene ac perfecte perspectae habeantur conclusiones immediatae. Hae duae regulae per se patent, neque proinde explicatione indigent.

3ª Regula est: Eadem certitudo exigenda non est in omnibus scientiis; etenim ad hominem bene disciplinatum pertinet ut tantum certitudinis quaerat in unaquaque materia, quantum natura rei patitur. Procul dubio certitudo est quaerenda qua parte excludit errandi formidinem; sed insulsum est eamdem certitudinem semper exquirere qua parte intensitatem adhaesionis importat. Unde alia certitudo est quaerenda in mathesi, alia in physicis, alia in moralibus. Imo in multis nonnisi probabilitas haberi potest.

118. **Regulae methodi syntheticae.** — 1ª Regula est: In proponendis quaestionibus incipiatur semper ab universalioribus.

2ª Regula est: In definiendis quaestionibus sumatur exordium a principiis per se notis, sive abstractis, sive experimento habitis, sive aliunde certis, et a definitione rei de qua est quaestio.

119. **Regulae methodi analyticae.** — 1ª regula methodi analyticae est: Subjectum considerandum in partes dividatur atque subdividatur, servatis rigorose legibus divisionis, atque partibus postmodum diligentissime consideratis, judicium de toto feratur.

2ª Regula est: Cum methodus analytica a particularibus ad universalia progredi nitatur, omnia et singula servanda sunt quae ad inductionis scientificae naturam pertinere diximus (n. 114).

120. **Usus methodi syntheticae et analyticae.** — Utraque methodo utimur in scientiis tum pro adinvenienda tum pro *exponenda* veritate. Tamen in scientiis rationalibus praecipue methodus synthetica adi-

betur, quippe in his praecipue ex universalibus ad particularia procedimus, imo semper in proponendis atque definiendis quaestionibus; non tamen in his examinandis analysim seponimus. — In scientiis physicis e contra praecipue methodo analytica utimur cum studium circa res sensibiles et compositas versetur; tamen principia universalia quasi leges statuimus in synthesim procedentes (1).

121. **Epilogus eorum quae explanata sunt in logica minori seu dialectica.** — Philosophiam definivimus *scientiam rerum per earum ultimas rationes naturali rationis lumine comparata.* Quae definitio

---

(1) A recentioribus duce Stuart Mill quatuor methodi statuuntur idest: *Concordantiae, differentiae, variationum concomitantium, residuorum.*

Methodus *Concordantiae* in eo sita est quod si eadem circumstantia constanter hoc est semper ejusdem phaenomeni repetitiones comitatur, uti causa phaenomeni illius haberi potest. — Si autem ex suppressione talis circumstantiae non habetur amplius productio phaenomeni tunc talis processus, qui est comprobatio praecedentis, dicitur *methodus differentiae.* — Methodus *variationum concomitantium* tunc habetur cum, variata circumstantia quae habetur uti causa phaenomeni, in eadem proportione variatur phaenomenon, tunc enim confirmatur illam circumstantiam esse causam veram. — Methodus *residuorum* est casus particularis methodi *differentiae;* in hoc autem sita est quod fit quaedam subtractio ab aliquo phaenomeno partis jam cognitae uti effectus aliquarum causarum quae jam ut tales cognoscuntur ut concludatur aliam quae manet, partem phaenomeni ascribi debere tanquam effectum ad ea quae comitantur praedictas causas iam notas. — Hae tamen methodi nihil novi continent — nam methodus *concordantiae* idem est ac Baconis *tabulae praesentiae,* methodus *differentiae* idem ac *tabulae absentiae,* methodus *variationum* idem ac *tabulae* graduum seu comparationum. — Scholastici alio modo simpliciori exprimebant. — Has methodos nos more scholastico exposuimus (cap. praec. n. 114, 3ª et 4ª lex).

eius triplex objectum continet idest *materiale* (res omnes), *formale quod, (rationes supremas), formale quo*, idest *lumen* intellectus veritatibus generalissimis imbuti quibus ad investigandas illas rationes procedit. Memoravimus utilitatem, necessitatem, causam philosophiae, quam in tres partes divisimus quarum *primam logicam* adsignavimus. Hanc definivimus: *Artem seu scientiam directivam rationis humanae in cognoscenda veritate.* Atque eam divisimus in *dialecticam* et *criticam* seu in *majorem* et *minorem.* Prior circa tres actus mentis occupatur qui sunt: *Simplex apprehensio, judicium, ratiocinium.* De simplici apprehensione agens quid sit mentis conceptus explanat, quid ejus objectum, quomodo omnia objecta sub uno comprehendantur et coordinentur, quod ens dicitur et in decem praedicamenta seu categorias dividitur; quot sint modi, quibus objecta affirmentur seu praedicentur de aliis, docet; unde quinque *praedicabilia* enumerat. Signa conceptuum et objectorum exponit atque ipsorum proprietates enumerat, varios actus mentis recenset, et praecipue quid sit definitio et divisio explicat leges rectae definitionis et divisionis tradendo. — Inde ad exponendum quid sit judicium procedit ejus definitionem atque varias divisiones tum ex parte subjecti, tum ex parte objecti tradendo; judicia tamen quae Kant *synthetica* a *priori* vocat, rejicit omnino. Ut tamen natura intima judicii pateat, de ejus signo idest de propositione sermonem instituit considerando ejus naturam, structuram, materiam, formam, qualitatem, extensionem atque comprehensionem praedicati subjectique. Variis propositionis divisionibus traditis et explanatis, ipsas propositiones inter se comparat ut in quibus sit oppositio vel aequipollentia scrutetur et ut absurditas, contradictio et falsitas in usu propositionum vitari

possit. — Quibus explicatis ratiocinium exponendum adgreditur quod per ipsam argumentationem quae est signum ipsius perficit; sicut enim propositio est signum judicii, ita argumentatio ratiocinii. Haec enim est: *Complexus propositionum quarum una ex aliis deducitur*, sicut ratiocinium dici potest complexus judiciorum quorum unum ex aliis infertur. Duplex autem pars in argumentatione distinguitur, idest *antecedens* et *consequens*, et ipsa argumentatio in duas species dividitur, quae sunt *Syllogismus* et *Inductio*. Prior ex universalibus ad particularia, altera ex particularibus ad universalia procedit. Syllogismus ex tribus terminis constat quorum duo dicuntur *extrema*, alius *medium* vocatur; cum ipso comparantur extrema ut eorum convenientia vel disconvenientia concludatur; constat etiam ex tribus propositionibus ex his tribus terminis tantum confectis. Una dicitur *major*, altera *minor*, tertia *conclusio* appellatur. Ut autem syllogismus recte concludat oportet ut juxta determinatas leges conficiatur, quae quatuor pro terminis, quatuor pro propositionibus traduntur. Hae autem leges ad hoc reducuntur quod duo extrema quae scilicet debent conjungi in conclusione vel disiungi, in praemissis comparentur singillatim unum in majori alterum in minori cum medio termino secundum eumdem sensum semper acceptum, et si conveniant cum illo tunc uniantur in conclusione affirmativa, si vero unum horum conveniat, non autem alterum, uniantur in conclusione per propositionem negativam. Tres recensentur figurae syllogismorum, modi autem concludentes novendecim, qui tamen omnes ad 1.^{m} figuram reduci possunt. Plures sunt syllogismorum species, ad duas tamen omnes revocantur idest ad *simplicem* et *compositum*. — Inductio quae opposita via ac syllogismus procedit, ex experientia fundamentum

habet, quae proinde diligens esse debet per variata experimenta observationesque. Ad veritatem inveniendam oportet etiam ut recta adhibeatur methodus idest ut ordinate procedatur, vel a simplicibus ad composita, idest per *synthesim* vel a compositis ad simplicia per *analysim*, vel utroque modo; semper tamen a clarioribus, facilioribus et proximioribus, non per saltum sed gradatim procedatur, neque eadem certitudo in omnibus est exigenda, imo de multis dubitare oportet.

LOGICA MAJOR

Caput I.

Prolegomena

122. **Agenda in logica Majori.** — Hucusque consideravimus et explanavimus praecepta et leges circa processum rationis ad veritatem inveniendam mediante conjunctione praedicatorum et subjectorum sicut etiam judiciorum, unde habetur ratiocinium in quo sunt conclusiones quae scientiam constituunt inquantum important connexionem cum praemissis. Solummodo tamen materialem structuram, ut ita dicam, et connexionem processus rationis consideravimus. Igitur 1° ipsa vis eiusdem processus illativi ab uno judicio sive ab una propositione ad alium examinanda remanet ne errores veritati immisceantur, 2° ipsa vis seu natura convenientiae inter praedicatum et subjectum ut objectiva veritas conclusionum stabiliatur. Hoc autem fieri non potest nisi examini subjiciatur quid sub subjecto et praedicato continetur; quod fiet agendo de universa-

libus; et similiter hoc ipsum fieri non potest nisi examinetur ipsa identitas seu convenientia praedicati et subjecti quae in judiciis nostris affirmatur vel negatur quod fiet agendo de ipsa adsecutione veritatis atque de veritatis criteriis seu motivis. Igitur 1° agendum est de ipso processu rationis quatenus ratio a certis, vel probabilibus procedit, vel quatenus a fine suo deficere potest; 2° de universalibus; 3° de adsecutione veritatis; 4° de criteriis sive de motivis veritatis. — Quibus addimus quasi coronam tractationis caput de scientiarum coordinatione.

123. **Falsa sententia quorumdam philosophorum circa logicae officium.** — Quidam putant agere de veritate objectiva, de mediis quibus veritatem consequimur, de facultatibus hominis, de primis principiis et de aliis de quibus agimus in hac secunda parte non esse officium logicae, sed aliarum scientiarum. Unde dicunt agere de primis principiis officium esse exclusive metaphysicae, de facultatibus hominis philosophiae naturalis etc. Imo non desunt qui de criteriis veritatis specialem sermonem instituunt quasi scilicet novam scientiam quam *criteriologiam* vocant ut omnino extraneam a logica in medium afferentes. Sed si quis recte consideret hos omnes a veritate aberrare sibi de facili persuadebit; nam veritatem *logicam* et *certitudinem* in ordine ad objectum expendere, explanare et explicare ad logicam pertinere manifestum est, atque proinde agere de mediis quibus mens illam consequi potest; quomodo enim logica posset mentem ad veritatem vel certitudinem perducere nisi quid sit veritas, certitudo, et quaenam sint media quibus obtinetur veritas ipsa non ostenderet? Ex hoc enim quod logica est scientia et ars directiva mentis in veritate et certitudine oportet ut saltem in generali indicet ve-

ritatem et certitudinem atque insuper media commonstret saltem necessaria ad veritatem inveniendam.

Concedimus tamen ad logicam pertinere de illis agere exclusive quatenus sunt media apta ad gignendam veritatem sive certitudinem in mente, seu ut habent rationem medii et criterii directivi; de illis autem agere sub alia ratione puta prout sunt quaedam entitates, perfectiones aut prout ordinantur in proprium finem ad alias respectivas scientias pertinere non dubitamus; unde de illis etiam nos proprio loco iterum sermonem habebimus. Attendatur quaeso in divisione diversarum scientiarum non ad objectum materiale tantum sed ad *formale* et ad finem et omnis dissensio auferetur.

Caput II.

De argumentatione demonstrativa

(S. Th. Op. ex Summa tot. log. Arist.
Goudin, III. Pars logicae qu. unica; Rosselli, Log. qu. XXVII;
Zigliara, *dial.* l. III, c. IV, a. II.; Lepidi, l. c. l. II, sect. III, c. V;
Lorenzelli, log. P. IV. lect. III; Hugon, Log. Maj Tract. II, et III, qu. I.)

124. **Ratio capitis.** — Mens nostra per argumentationem aut veritatem et certitudinem consequitur, et habetur *argumentatio demonstrativa;* aut certitudinem non consequitur, et tamen certitudini appropinquatur, et habetur *argumentatio* probabilis; aut a veritate et certitudine deviat et habetur argumentatio *sophistica. Primum* argumentationi convenit per se; alia *duo* autem per accidens; ideo in hoc capite de argumentatione demonstrativa est dicendum; de aliis autem in sequentibus.

125. **Veritatis logicae definitio.** — Aliquis dicitur veritatem consequi cum res ita sunt in se sicut esse dicit vel judicat; idest cum judicium intellectus correspondet rei judicatae, et ideo habetur in mente quaedam correspondentia vel conformitas, quae dicitur etiam adaequatio cum ipsa re. Veritas de qua loquimur et quae est in mente, dici potest: *Conformitas sive adaequatio intellectus cum re intellecta;* et haec dicitur *veritas logica.*

126. **Veritas ut cognita.** — Verum et falsum proprie loquendo dicitur de judicio et consequenter de propositione, ita scilicet quod si praedicatum de subjecto affirmatum ipsi subjecto conveniat judicium dicitur verum, si non conveniat dicitur falsum; veritas ergo proprie consistit in convenientia aut in conformitate praedicati affirmati de aliqua re hoc est de subjecto judicii, cum ipso subiecto. Cognoscere ergo hanc conformitatem est cognoscere veritatem. — Sed quia praedicatum ab intellectu non affirmatur nisi sit in ipso intellectu conceptum seu, ut dicunt scholastici, nisi quatenus intellectus est ab ipso informatus, ideo veritas proprie in eo consistit quod intellectus a praedicato informatus est conformis rei seu subjecto cui praedicatum tribuitur. Unde cognoscere conformitatem istam quae est in intellectu (informato a praedicato) ad subjectum ut continentem praedicatum est cognoscere veritatem. — Similiter ex hoc ipso quod praedicatum importat conformitatem ad rem quae est subjectum in judicio sequitur quod etiam res seu subjectum habeat conformitatem ad praedicatum ab intellectu conceptum, et ideo conformitatem ad ipsum intellectum tale praedicatum concipientem; quae conformitas cognoscitur eo ipso quo cognoscitur conformitas praedicati seu intellectus (informati a praedicato) ad objectum. — Per hoc autem non exclu-

ditur sed supponitur in intellectu conformitas ad ipsum praedicatum (1).

127. **Veritas logica, veritas ontologica.** — Ex quo sequitur quod duplex conformitas et duplex veritas distingui debeat; 1.° *veritas* quae est conformitas intellectus ad objectum, et haec dicitur veritas

---

(1) Ex dictis patet veritatem logicam reperiri in conformitate praedicati prout est ab intellectu conceptum ad ipsum praedicatum prout est in subjecto seu in re, hoc est in natura. Et hoc verificatur de quocumque praedicato ipsi subiecto conveniente quod subjecto tribuatur vel possit tribui ab intellectu.

Et quia intellectus potest singillatim considerare omnia praedicata subjecti, vel etiam simul modo vel confuso vel claro, et inde ea affirmare de subjecto propterea quod videt conformitatem illorum ad ipsum, seu quod videt ea ipsi convenire, ideo dici potest generatim loquendo quod veritas logica est *conformitas* inter praedicatum ut est apprehensum (vel inter praedicata ut apprehensa) ab intellectu seu ut est objective in intellectu et idipsum praedicatum (vel ipsa omnia praedicata ut sunt in subjecto et quae simul sumpta totum subjectum continent) prout est in re seu in subjecto, vel etiam inter ipsum *subjectum* ut apprehensum seu ut est *objective* in intellectu et ut est in rerum natura. Unde considerata distinctione quod « in intellectu quaedam sunt *Subjective* ut species intelligibiles, actus intelligendi et hujusmodi; quaedam *objective*, ut ea quae intellectus intelligit » (1) dicimus cum S. Thoma quod « quando ergo res quae est in intellectu *objective* est conformis sibi ipsi ut est in rerum natura, tunc talis conformitas dicitur veritas. Unde in hoc consistit veritas quod res sic apprehenditur ab intellectu sicut est in rerum natura » (2). Unde cognoscere hanc conformitatem est cognoscere veritatem, quae conformitas in omni judicio vero cognoscitur ut patet ex dictis (cf. supra n. 125). Sed ut res plene declaretur praestat alia quaedam ex eodem S. Thoma referre: « Sciendum quod in tali conformitate, quae veritas dicitur, est considerare quatuor; scilicet *rem* ut est intellecta, seu ut est in intellectu *objective*; et ipsum *intellectum* eam intelligentem;

(1) S. Th. Opusc. *logicae summa* Tract. VII, c. IV.
(2) Ib.

logica seu subjectiva; 2.° *veritas* quae est conformitas rei ad intellectum; et haec veritas dicitur *ontologica,* vel *objectiva* vel etiam *metaphysica;* quia tamen res seu objecta correspondent intellectui divino cui conformantur et a quo dependent omnino, ideo *veritas rerum ontologica* seu *metaphysica* melius et

---

et *actum* intelligendi qui est *subjective* in intellectu ; et *rem* ut est in natura sua. In re autem ut est *intellecta,* seu ut est *objective* in intellectu est per prius, quam sit in intellectu, vel quam sit in actu intelligendi, vel quam sit in re ut est in sua natura, intellectus enim et actus intelligendi non dicuntur veri, nisi quia sunt de vero objecto. Intellectus enim dicitur verus, quia apprehendit verum ; et actus intelligendi dicitur verus, quia est apprehensio alicujus veri ; et res in natura sua dicitur vera, quia nata est apud intellectum causare apprehensionem conformem entitati suae ». Unde S. Thomas prosequitur notando modum diversum *conformitatis* existentis in intellectu practico et speculativo et concludit quod intellectus practicus comparatur ad artificialia ut *mensura* ad *mensurata,* et intellectus speculativus comparatur ad ea quae intelligit sicut *mensuratum* ad *mensuram.* « Notandum, prosequitur Angelicus, quod talis conformitas rei ut intellecta est ad seipsam ut est in natura sua, potest esse vel in intellectu practico, vel in intellectu speculativo. In intellectu quidem practico, quando scilicet sic est res per suam formam, sicut apprehendit eam Artifex per artem suam. Cum autem omnes res naturales per formam suam sint conformes sibi ipsis ut apprehensae sunt ab *arte divina,* ideo quaelibet res secundum quod habet propriam formam dicitur vera ; et sic verum et ens convertuntur. In intellectu vero speculativo est talis conformitas quia intellectus intelligit rem sicut est, non enim intellectus sic intelligit sicut res in intellectu practico, sed quia sicut res est, ita eam intelligit intellectus ». Et inde concludit, ut dictum est quod intellectus practicus, comparatur ad artificialia ut *mensura* ad mensuratum ; e converso autem intellectus speculativus comparatur ad ea quae intelligit ut mensuratum ad mensuram (1). Unde intellectus divinus comparatur ut mensura ad omnes res creatas.

(1) Ib.

perfectius consideratur in ordine ad intellectum divinum ; sed de hoc suo loco dicetur. Pro nunc sufficiat animadevertere quod haec conformitas rerum ad intellectum divinum a nobis directe non cognoscitur, sed per reflexionem post cognitam Dei existentiam ex effectibus (1).

128. **Quadruplex veritas consideranda cujus definitio traditur.** — Quadruplex veritas consideranda occurrit idest : *veritas logica, ontologica, fundamentalis, moralis ;* — veritas logica definitur : *Adaequatio seu conformitas intellectus cum re intellecta.* — Veritas ontologica est : *Conformitas rerum ad intellectum concipientem praecipue ad intellectum divinum.* — Veritas *fundamentalis,* est ipsa entitas rei in se considerata quatenus est fundamentum conformitatis. — Veritas *moralis* est conformitas in his quae persona aliqua exterius dicit cum eo quod intus in animo sentit. Huic veritati opponitur *mendacium ;* unde haec veritas dependet ex bona voluntate dicentis qui dicitur *verax.*

129. **Quid est certitudo et quotuplex.** — *Certitudo* nihil aliud est quam *firmitas adhaesionis seu firmus assensus mentis alicui cognoscibili sine ulla errandi formidine.* — *Certitudo,* ut est definita, potest considerari *subiective* vel *obiective,* et potest considerari *su-*

---

(1) S. Thomas ait : « Veritas invenitur in *intellectu* secundum quod apprehendit rem ut est et in re secundum quod habet esse *conformabile* intellectui » (per hoc quod intellectus *potest* rem apprehendere prout est, nam quando intellectus eam apprehendit ipsa non solum est *conformabilis* sed actu est conformis). « Hoc autem maxime invenitur in Deo. Nam esse suum non solum est conforme suo intellectui sed etiam est suum intelligere ; et suum intelligere est mensura et causa omnis alterius esse et omnis alterius intellectus ». P. I. qu. XVI. a. 5. c. Cf. etiam ib. a. I., et I sent. dist. XIX. q. V. a. I.

biective et obiective simul. Certitudo *subiective* solummodo considerata est *firma adhaesio* sive *assensus mentis*, cui potest etiam non correspondere objectum, sicut si quis retineret firmiter *animam humanam esse mortalem*. Quo in casu non esset vera, sed apparens *certitudo ;* quia, licet esset *firmus assensus mentis*, non tamen esset *alicui cognoscibili*, illud enim quod non est, non est cognoscibile.

Certitudo solum *obiective* considerata est ipsa obiecti realitas in se accepta, quae tamen non importat *assensum mentis* formaliter, licet importet *causaliter* vel *terminative,* quatenus nata est causare vel terminare firmum assensum intellectus : unde non dicitur proprie certitudo sed *analogice* tantum; et ideo neque proprie loquendo est certitudo quam definivimus. Unde ad certitudinem proprie et stricte, ut definita est, habendam, requiritur tum firmus assensus mentis, tum res tali assensui correspondens ; idest requiritur *certitudo* tum *subiectiva* tum *obiectiva*.

130. **Certitudo immediata et mediata.** — Potest autem certitudo esse vel *immediata* vel *mediata*. *Immediata* certitudo habetur cum aliquis firmiter adhaeret alicui cognoscibili sine ratiocinatione ; si autem adhaereat vi ratiocinationis, certitudo est *mediata*. Et si quidem adhaereat ex eo quod mens videat praedicatum contineri in ipsa natura subjecti, certitudo erit *metaphysica ;* si autem ex eo quod videat praedicatum convenire subiecto ex legibus naturae physicae, erit *physica ;* si vero ex attentis hominum moribus, certitudo erit *moralis* (n. 70). — Haec tamen certitudo dici recte potest *moralis humana :* sed per certitudinem moralem potest intelligi simpliciter illa certitudo quae ex honestate seu moralitate naturae intellectualis oritur : quae proinde mensuratur ex ipsa moralitate naturae a qua derivatur; unde alia

est certitudo moralis quae ex auctoritate hominis dicentis provenit, et alia quae ex auctoritate Dei (cf. *nostram Introd. ad S. Th.*, p. II., c. VI, n. 234-235).

131. **Certitudo vulgaris et scientifica.** — Certitudo in qua non assignatur motivum assensus dicitur *vulgaris*, vel *facti;* illa vero in qua motivum seu criterium assensus adsignatur seu determinatur *scientifica*, *reflexa*, vel *philosophica* appellatur. Utraque vera certitudo est, nam in utraque invenitur *firmus assensus intellectus cum exclusione formidinis errandi;* et *correspondentia* objecti, et quidem evidenter cogniti.

132. **Comparatio veritatis logicae cum certitudine et earum distinctio.** — Veritas logica et certitudo quodammodo conveniunt et quodammodo differunt. Conveniunt in hoc quod sunt in intellectu et ordinantur ad objectum, et sic utraque importat aliquid *subjectivum* et *objectivum*. Differunt autem quod veritas logica importat aliquid unum indivisibile, quod aut est aut non est, est enim *adaequatio* veluti media inter intellectum et rem intellectam, et ex aequo se habet inter utrumque; unde si unum desit nihil de ipsa manet; sed certitudo aliquid importat ex parte intellectus et aliquid ex parte objecti; quorum unum potest esse sine altero: unde potest esse *firmus adsensus in intellectu*, et *objectum* non esse verum; et similiter *objectum* potest esse verum in se, quin *in intellectu* sit *firmus adsensus*. — Unde in intellectu post esse aliquid quod ad essentiam certitudinis pertinet, licet non habeatur certitudo, certitudo enim in suo constitutivo plura importat: 1.° assensum, 2.° firmitatem adsensus, 3.° objectum. Hinc distingui potest in certitudine pars *subjectiva* et pars *objectiva*, et una potest esse in intellectu sine altera. Sed haec distinctio quasi duarum

partium fieri nequit in veritate logica, quae consistit in *uno indivisibili* importante relationem ad duo extrema idest ad *intellectum* et ad *objectum,* est enim conformitas.

133. **Veritas logica sine certitudine.** — Unde non est mirum si haberi possit et quandoque habeatur veritas logica sine certitudine, sicut contingit in iis quibus intellectus probabiliter assentit; nam si objectum est sicut intellectus judicat, licet probabiliter, et non firmiter, adhaerat, vere habetur *adaequatio* et *veritas logica* licet non *certitudo.* Et similiter potest haberi aliquid certitudinis idest aliquid ad essentiam certitudinis pertinens et nihil haberi de veritate logica, sicut contingit cum intellectus *firmiter assentit* objecto *sine formidine errandi* et tamen objectum non est. Quo in casu *nihil omnino* habet de veritate logica circa convenientiam praedicati ipso subjecto, licet putet ipsam habere, sicut ille qui putat habere aurum et habet plumbum nil de auro habet.

134. **Veritas logica perfecte habita, importat vere certitudinem et viceversa.** — Nam veritas logica perfecte habita importat evidentiam objecti et perfectam cognitionem; sed evidentia objecti et perfecta cognitio importat assensum firmum sine errandi formidine, nam evidentia objecti necessario trahit assensum intellectus, qui proinde non potest dissentire neque assentire formidat, sicut veritas perfecte habita ab intellectu importat in ipso perfectam cognitionem, quae excludit formidinem errandi et importat certitudinem. Similiter perfecta certitudo et vera non solum importat firmum assensum et excludit formidinem errandi sed etiam *correspondet* objecto ut dictum est (n. 129). Ergo importat semper intellectus adaequationem in qua consistit veritas logica. — Haec

est certitudo quae dici potest *subjectivo-objectiva* et « est quando cognitio non declinat in aliquo ab eo quod in re invenitur, sed hoc modo existimat de re sicut est » (1) firmiter assentiendo.

135. **Quaestio.** — Solent quidam quaerere an certitudo gradus admittat; seu utrum una certitudo sit major altera. Cui quaestioni respondetur: Si in certitudine consideretur id quod est negativum, idest *exclusio formidinis errandi,* una certitudo major altera esse nequit, nam quaelibet certitudo, si certitudo vere est, oportet ut quamlibet formidinem errandi excludat. Sed quantum ad id quod est positivi in ipsa, certitudo gradus admittere videtur tum *ex parte obiecti,* tum ex parte *firmitatis adhaesionis;* ex parte obiecti quidem, quia ex parte objecti, quae sunt magis *entia* sunt magis *vera,* idest habent magis esse fixum; ex parte subjecti, quia, quae habent magis esse fixum et stabile, magis trahunt intellectum ad assensum et causant proinde, quantum est de se, assensum firmiorem. De caetero quis non sentit proprium intellectum majori nisu et quasi libentius et ideo firmius ferri ad assentiendum primis principiis quam conclusionibus quae ex eis deducuntur? Quis majori nisu non assentit veritatibus metaphysicis quae aliter nullo modo esse possunt, quam veritatibus physicis aut moralibus, quae absolute loquendo aliter esse possunt?

136. **Cognitio generice accepta.** — Cognitionis nomine generice acceptae intelligitur *actio qua vivens aliquod objectum percipit seu apprehendit.* Objectum autem potest esse vel ipse vivens vel aliquid a vivente distinctum; nam vivens si est praeditus fa-

(1) Q. VI, De veritate, a. III.

cultate cognoscitiva potest percipere se ipsum et alia, dummodo tamen ea possit in semetipso repraesentare et quodammodo vitaliter reproducere. Unde alia a se percipit quatenus in ipso sunt repraesentata quamvis percipiat vere ea esse extra semetipsum. Unde a scholasticis et quidem vere sic cognitio definiebatur: *Actio qua vivens seipsum et ea, quae in se sunt aliquo modo, percipit* (1).

137. **Cognitio sensitiva, et intellectiva.** — Cognitio alia est *sensitiva,* et haec convenit animali inquantum est animal, in quo sunt sensus, vel facultates sensitivae, quibus animal seipsum et alia objecta vere apprehendit et discernit. Alia est *intellectiva,* et haec convenit substantiis spiritualibus in quibus scilicet est intellectus, et ideo etiam homini qui anima spirituali et intellectiva praeditus est. Unde homini convenit cognitio intellectiva et sensitiva.

138. **Cognitio perfecta et imperfecta.** — Cognitio sensitiva si comparetur cognitioni intellectivae imperfecta cognitio est; nam ad intima non se extendit sed affectiones subjecti sentientis enuntiat et exteriora sensibilium respicit tantum, et valde limitata est; neque judicium aut ratiocinium importat, sed est simplex perceptio objecti concreti, ut suo loco dicetur. — Intellectiva vero cognitio ad omnia se extendere potest absolute loquendo. Ipsa tamen cognitio intellectiva potest esse magis vel minus perfecta etiam circa idem objectum et habetur tum per simplicem apprehensionem, tum per judicium, per utramque enim operationem vere apprehendimus; sed per judicium perfectiori modo habetur; nam per judicium non solum subjectum et praedicatum sin-

(1) Goudin, *Physic.* P. IV, Disp. unica, qu. III, a. I.

gillatim cognoscimus sed ea inter se convenire vel non convenire discernimus.

139. **Cognitio certa, incerta, evidens, inevidens.** — Cognitio quae importat assensum mentis firmum sine errandi formidine alicui cognoscibili *certa* est, ut ex dictis patet, secus *incerta ;* si autem objectum cognitum clare patet ipsi menti cognoscenti, cognitio dicitur *evidens ;* sicut si dicamus : *Tria et duo aequantur quinque,* vel *quinquies septem* aequantur *trigintaquinque ;* — secus *inevidens* appellatur ut e. g.: *In America multi sunt Itali.*

140. **Demonstrationis notio.** — *Demonstrare*, si vim nominis spectes, idem est ac rem *monstrare ;* hoc est rem ante oculos ita ponere ut videatur. In logica vero *demonstrationis* nomine intelligitur: *Argumentatio quae ex certis ac evidentibus praemissis conclusionem juxta statutas leges deducit.*

Haec definitio recta est ; nam assignatur per eam ratio generica, in qua *demonstratio* cum aliis argumentationibus convenit, per hoc quod dicitur: *argumentatio quae ex praemissis conclusionem deducit*, assignatur per eam etiam ratio specifica in qua ab aliis differt, quatenus dicitur ex praemissis *certis* ac *evidentibus* procedere ; per hoc enim differt ab argumentatione *probabili,* quae procedit ex *probabilibus* et *inevidentibus ;* et *ab argumentatione sophystica*, quae aut ex *falsis* praemissis aut non juxta leges, conclusionem deducit, ut patebit ex dicendis in sequentibus.

141. **Observatio.** — Adverte tamen quando dicitur per *demonstrationem* deduci conclusionem *ex evidentibus*, hoc intelligendum esse sive immediate sive mediate ; nam demonstratio quandoque deducit immediate ex primis principiis ipsi menti immediate notis suam conclusionem, quandoque vero ex veritatibus deductis ex primis principiis immediate cognitis. Oportet tamen

ut veritates ex quibus procedit, si non sint per se et immediate notae, semper tandem deducantur ex veritatibus per se et immediate notis. Si enim non sit aliqua veritates immediate nota intellectui ex qua procedat, omnes veritases sive praemissae assumptae erunt inevidentes vel ignotae vel obscurae, proinde nulla conclusio clara, nota et certa deduci ex eis poterit.

142. **Quid est scientia.** — Scientia stricte accepta definitur: *Cognitio certa et evidens veritatis per demonstrationem habita.* — Dicitur *cognitio,* quia revera *scire* est *cognoscere,* quamvis non omnis *cognitio* sit *scientia;* additur *certa et evidens,* quia est effectus demonstrationis seu praemissarum certarum et evidentium; et ideo et ipsa *certa* esse debet *et evidens;* dicitur *per demonstrationem habita,* quia *scientia* est non de principiis, quorum cognitio certa vocatur proprius *intelligentia,* sed de conclusionibus, demonstratione deductis.

143. **Corollaria.** — Ex tradita definitione tria inferuntur: 1° Omnis scientia acquiritur vi praecedentis cognitionis, saltem principiorum; ex quibus conclusio scientifica infertur. — 2° Principia ex quibus infertur conclusio nobis notiora sunt conclusione ipsa; nam conclusio nobis certo innotescit vi certitudinis principiorum. — 3° Scientia nostra sumpta in sensu jam definito est de rebus necessariis et universalibus, quae scilicet aliter esse non possunt; — 4° prima principia per se et immmediate nota non possunt demonstrari proprie loquendo; — 5° absurdum est horum quaerere demonstractionem stricte sumptam, 1° quia demonstratione non indigent, 2° quia demonstratio est quaerenda de rebus ignotis, aut obscuris; — 6° Tamen hoc non impedit quominus ad retundendam pervicacitatem negantium ad universaliora principia reducantur vel ad alia principia admissa

a negantibus ut hi de contradictione et absurditate redarguantur. — Imo ipsa prima principia possunt declarari quia utpote verbis sensibilibus expressa non semper ab iis cum quibus loquimur recte intelliguntur.

144. **Advertenda.** — Tertium corollarium non est intelligendum quasi scientia respiciat solummodo ea quae necessario existunt, secus scientia solummodo Deum respiceret, sed connexionem necessariam praedicati cum subjecto; et ideo respicit etiam res quae contingenter existunt, cum nulla res sit, in qua non concipiantur quaedam praedicata quae ei necessario conveniant. E. g. licet *circulus* contingenter existat, tamen necessario *est rotundus.* Item cum dicitur esse de universalibus, non sic intelligendum est quasi subjectum conclusionis deductae debeat esse vere universale, sed quod praedicatum, quantum est de se, conveniret omnibus individuis, si forte in tali natura multiplicarentur. Unde haec propositio: *Deus est aeternus,* est vere scientifica, quia licet Deus non sit quid universale, tamen esse aeternum taliter Deo convenit, ut si in natura divina essent plures dii, omnibus conveniret.

145. **Propositiones per se notae quoad se et quoad nos.** — Propositiones quarum praedicatum includitur ita in subjecto vel in natura subjecti, ut communiter hominibus etiam rudibus appareat in ipso subjecto includi, dicuntur *per se notae quoad se et quoad nos;* e. g. *circulus est rotundus.* Propositiones autem quarum praedicatum includitur utique in natura subjecti, non tamen ita ut statim ex ipsa enuntiatione communiter innotescat quia fortasse natura subjecti communiter non cognoscitur, dicuntur *per se notae quoad se, sed non quoad nos;* e. g. *omnes anguli recti sunt aequales.*

146. **Propositiones priores quoad se et quoad nos.** — Propositiones illae dicuntur *simpliciter* seu *in se, vel quoad se priores,* quarum praedicatum prius convenit subjecto, vel prius convenire intelligitur; e. g. *homini* prius convenit esse *ens,* quam *substantia,* et prius *esse substantiam,* quam *viventem;* et prius *viventem* quam *animal,* et prius *animal* quam *rationale,* et prius *rationale* quam *risibile,* et prius *risibile* quam *doctum* vel *virtuosum.* — Propositiones *priores secundum quid et quoad nos* illae dicuntur quarum praedicatum prius nobis innotescit convenire subjecto, et sunt ratio cognoscendi aliud, e. g. *existere motum,* aut *plures causas efficientes* aut *ordinem universi* prius nobis innotescit quam *existere primum motorem* aut *primam causam efficientem* etc. Et ideo haec propositio: *Existit motus,* est prior secundum quid et quoad nos quam haec: *Existit primus motor immobilis.* Sicut etiam haec: *Existit ordo in rebus,* est prior secundum quid et quoad nos quam haec: *Existit suprema intelligentia ordinatrix.* Et generatim, licet non semper, effectus prior est quoad nos quam causa, et est ratio cognoscendi causam; et ideo communiter loquendo propositiones, quae respiciunt existentiam effectus sunt priores secundum quid et quoad nos quam propositiones respicientes existentiam causae.

147. **Demonstratio propter quid et quia.** — Prima divisio demonstrationis est in *propter quid* et *quia.* Demonstratio *propter quid* ea dicitur quae procedit a principiis, quae sunt et *per se nota* et *priora simpliciter,* et sunt *propria, immediata* et *adaequata ratio* conclusionis demonstratae. Demonstratio *quia* est illa quae aut non procedit a *prioribus simpliciter,* sicut quando ex effectibus concludimus de causa, quae est illis *simpliciter prior,* aut non assignat rationem *propriam, immediatam* et *adaequatam* conclusionis de-

monstratae, quamvis eamdem conclusionem certo inferat ; ut si demonstrarem aeternitatem Dei ex eo quod Deus est *Ens a se.*

148. **Demonstratio a priori et a posteriori.** — Demonstratio *a priori* procedit a causis ad effectus, ab universalibus ad particularia ; et est *propter quid*, si ex principiis immediatis deducit conclusionem, si autem ex principiis remotis et mediatis deducat, est demonstratio *quia.* Demonstratio a *posteriori* ab effectibus ad causam demonstrandam procedit, a particularibus ad universalia et est semper demonstratio *quia.*

149. **Demonstratio directa et indirecta.** — Demonstratio dicitur *directa* si rem esse vel non esse demonstret ex principiis positivis ; demonstratio *indirecta* quae et *apagogica* et *ad impossibile* vel *ad absurdum* dicitur, ea est, quae demonstrat rem esse vel non esse ex eo quod secus sequeretur absurdum. Demonstratio *directa* potior est quam *indirecta ;* quia per eam res ipsa in se demonstratur redditurque evidens intellectui, quod non contingit per *indirectam,* licet per eam excludatur formido errandi.

150. **Demonstratio pura, empirica et mixta.** — Si ambae praemissae sint rationales (n. 58), demonstratio dicitur *pura.* Si ambae sint experimentales, habetur demonstratio *empirica.* Si autem una praemissa est rationalis, alia vero experimentalis, habetur demonstratio *mixta.*

151. **Demonstratio absoluta et demonstratio relativa seu ad hominem.** — Demonstratio *absoluta* ea dicitur quae procedit a praemissis veris, certis et evidentibus, sive mediate, sive immediate ad aliquid absolute inferendum, ut cum demonstratur realis Dei existentia ex contingentia creaturarum. Demonstratio *relativa*, seu *ad hominem* est illa quae procedit a principiis admissis *ab* adversario et a nobis adsumptis

ad probandum contra ipsum, abstractione facta ab eorum veritate; ut si quis principia adsumeret admissa a materialistis vel a rationalistis ad ipsos convincendos de falsitate eorum doctrinae.

CAPUT III.

De argumentatione probabili

(Rosselli, l. c. a. VIII; Zigliara, Dial., l. III, C. IV, a. I et III; Lepidi, l. c. c. V; Lorenzelli, l. c. lect. I et II; Hugon, l. c. Tract. III, qu. I, a. VI).

152. **Quid est opinio.** — *Opinio* definitur: *Adhaesio mentis uni parti contradictionis cum formidine oppositae. Opinio* importat adhaesionem mentis, sed non firmam, neque excludit formidinem partis oppositae ut excludit certitudo; proinde est utique cognitio, sed imperfecta.

153. **Quid est dubitatio.** — *Dubitatio* est *status mentis in neutram partem contradictionis declinantis propter errandi formidinem.* In dubitatione igitur imperfectior habetur rei cognitio, quam in opinione; attamen non parva sapientiae pars est in rebus incertis scire dubitare.

154. **Positiva dubitatio et negativa.** — Duplex est dubitatio, *positiva* et *negativa*: Prima habetur cum mens in neutram partem contradictionis inclinat propter rationes aequales, seu propter motiva opposita quae militant pro affirmatione et pro negatione; secunda, idest *negativa*, habetur cum nullae adsunt rationes; vel si adsunt, insufficientes sunt pro utraque parte, idest pro *affirmatione* et pro *negatione*. *Dubitatio*, licet cognitionem aliquam importet, tamen adhaesionem mentis uni parti contradictionis non importat, formaliter loquendo. Dixi *formaliter loquendo*, quia

praesuppositive adhaesionem mentis importat quatenus supponit mentem judicantem se habere rationes aequales pro utraque parte contradictionis, aut pro neutra parte nullas adesse rationes.

155. **Quid est probabilitas.** — *Probabilitas,* sicut *veritas* vel *falsitas,* primo et per se convenit *judicio* et *propositioni* in qua *judicium* continetur; convenit etiam *opinioni* quatenus *opinio* includit *judicium.* Potest autem definiri *probabilitas: Rationabilitas judicii gravi motivo, licet non infallibili et tuto, innixa.* Ex *probabilitate* ut plurimum causatur *opinio.*

156. **Corollaria.** — Ex data definitione plura corollaria deducuntur.

1um. — Probabilitas potest esse major vel minor juxta majorem vel minorem gravitatem motivi.

2um. — Quia probabilitas primo et per se convenit judicio, et judicium probabile, aut est verum aut est falsum, (cum inter verum et falsum judicium non detur medium), ideo non videtur posse definiri probabilitas in accessu judicii ad *veritatem* seu ad *conformitatem cum re judicata.*

3um. — Ex his infertur duas propositiones contradictorias posse esse vere probabiles, licet nulli earum adhaereat intellectus. Unde: 1° Probabilitas non solum in *opinione* habetur, sed etiam in *dubio.* 2° Etiamsi multiplicentur in infinitum motiva gravia quorum nullum sit tutum et infallibile sive ex una sive utraque parte, tamen judicium ex ejusmodi motivis prolatum limites probabilitatis excedere non poterit. 3° Si ratio unius partis contradictionis omnino solvi non possit, alterius partis oppositae motivo solubili manente, talis pars certa evadit, et opposita rationem probabilitatis amittit. 4° Si motivum unius partis contradictionis sit gravius quam motivum oppositae, talis pars erit probabilior. 5° Imo per hoc secundae

partis probabilitas diminuitur; ratio est quia si veritas unius excludit veritatem oppositae, etiam major probabilitas unius diminuit probabilitatem oppositae, nam licet comparativum supponat positivum, neque positivum diminuat, cum comparatio est inter materias distinctas, tamen in eadem materia comparativum positivum diminuit; e. g. si forma albedinis magis intendatur in uno pariete, non excluditur neque minuitur in alio pariete forma opposita; at si intendatur in eodem pariete, minuitur forma opposita; ita si augetur probabilitas convenientiae unius praedicati alicui subjecto, minuitur probabilitas non convenientiae ejusdem praedicati tali subjecto. 6° Potest intellectus adhaerere alicui propositioni tanquam verae, non tamen firmiter; et censere oppositam esse probabilem; nam tali modo adsentire alicui propositioni tanquam verae, est illi propositioni tanquam verae adhaerere probabiliter, videlicet est opinari talem propositionem esse veram.

157. **Quid est syllogismus sive argumentatio probabilis.** — *Syllogismus, sive argumentatio probabilis, ea dicitur cujus una aut utraque praemissa probabilis est.* Et proinde etiam conclusio est probabilis; nam si probabiliter adseritur aliquod praedicatum convenire alicui subjecto universali, nonnisi probabiliter adseritur convenire subiecto sub illo universali subjecto contento, et ideo nonnisi probabiliter concludi potest alicui subjecto particulari sub illo universali contento convenire. Item, si probabiliter asseritur aliquod praedicatum non convenire, vel excludi ab aliquo subjecto, nonnisi probabiliter implicite asseritur singulis sub illo subjecto universali contentis non convenire; et ideo nonnisi probabiliter concludi potest non convenire alicui subjecto determinato sub eodem contento.

158. **Loci unde efficiantur syllogismi probabiles.** — Multi sunt loci unde efficiuntur syllogismi probabiles; possunt enim effici a *causis*, ab *effectibus*, a *subjectis*, ab *adjunctis*, ab *oppositis*, a *similibus*, ab *ethimologia nominis*, ab *auctoritate* etc. Ad tres autem locos de facili revocantur; idest ad *analogiam*, ad *hypothesim*, ad *auctoritatem*.

159. **Analogia.** — Analogia argumentum inductivum est seu est quaedam imperfecta inductio in qua a *simili* ad *simile* proceditur concludendum, sicut e. g. cum duos vel tres characteres aut notas communes in rebus similibus invenimus concludimus alios etiam characteres aut notas in eisdem rebus esse debere. — Cum ex verisimilibus proceditur tunc habetur syllogismus qui ab Aristotele *enthimema* vocatur.

160. **Hypothesis.** — Hipothesis dici potest: *Propositio incerta ut vera absumpta a studioso viro utpote reputata apta ad inveniendam causam quorumdam phaenomenorum seu factorum.* Hypothesis dicitur propositio incerta quia si esset certa esset thesis potius, ideo neque est propositio per se evidens neque probata. — Unde adsumitur tanquam vera non quia probata ut vera, sed quia supposita eius veritate sternitur via ad veritatem inveniendam; et ideo debet reputari apta ad veritatem seu causam inveniendam et quidem cum solido fundamento. Unde diversae leges traduntur ad *hypotheses* adsumendas in investigatione veritatis.

PRIMA LEX: Hypothesis quae adsumitur sit rationabilis et vere probabilis gravi fundamento scilicet innixa. — Secus non scientifica sed temeraria esset veritatis inquisitio.

SECUNDA LEX: Hypothesis quae adsumitur non debet opponi ulli circumstantiae quae comitatur phaenomena seu facta explicanda, et multo minus

debet opponi factis aut legibus jam nobis et certo habitis. — Nam secus exitus inquisitioni veritatis non explicativus, sed contradictorius evaderet. — Contra hanc legem peccant e. g. illi qui ad explicandam naturam corpoream admittunt tanquam principia constituentia nihil aliud quam entia simplicia quae extensioni et continuitati opponuntur. — Praeter has leges applicentur etiam leges inductionis (cf. n. 114).

CAPUT IV.

De argumentatione sophistica

(S. Th. l. c.; GOUDIN, l. c. Log. Min. III. P. a. VI; ZIGLIARA, Dial. Lib. III, cap. IV. art. IV; ROSSELLI, Logica, Quaestio XXXI; LEPIDI, Log. Lib. II, sect. III, cap. VII; LIBERATORE, Log. Pars. I, cap. III, a. VIII; LORENZELLI, Log. Pars. VI: HUGON, l. c. a. V).

161. **Quid est ignorantia et quid error.** — Ignorantia est *carentia cognitionis in subjecto ipsius cognitionis capaci.* Alia est *negativa,* alia *privativa.* Negativa est *carentia cognitionis in subjecto in illis circumstantiis posito, in quibus cognitionem aut non potest aut non debet habere* et dicitur etiam *nescientia.* Privativa est *carentia cognitionis eorum, quae quis secundum suam naturam aut statum vitae potest et debet cognoscere.* Hinc in infantibus est *nescientia,* sed in judice qui nesciat ea quae legis sunt est ignorantia *privativa,* quae ideo in illo est culpabilis. Deinde ignorantia alia est *totalis,* alia *partialis;* prout mens aut omnium aut quarumdam rerum cognitionibus caret, quae ignorantia et minui et augeri potest. *Error* definiri potest: *Discrepantia inter id quod mens judicat et rem de qua judicatur;* nam error veritati opponitur et ideo opposi-

tam suscipit definitionem. Error sicut a causa ab ignorantia derivatur, homines enim non decipiuntur nisi circa ea quae ignorant; tamen in se sumptus ab ignorantia distinguitur; nam ignorantia non dicit nisi carentiam cognitionis, sed error esse nequit nisi adsit aliqua res circa quam versetur cognitio. Ex argumentatione sophistica generatur error; et ideo in presenti de argumentatione sophistica aliquid dicendum est.

162. **Quid sit syllogismus sophisticus.** — Contingit quandoque praemissas assumptas ad ratiocinandum esse falsas aut ambas, aut unam earum, quae tamen ut verae a nobis habentur. Quandoque autem, licet praemissae verae sint, tamen non servantur leges, quae praescribuntur; et hoc aut ex inadvertentia, aut ex ignorantia est, (aut ex mala voluntate decipiendi et habetur *syllogismus sophisticus*, qui definiri potest: *Processus non rectus rationis quae a vero consequendo deficit:* unde *syllogismus sophisticus* est ratiocinatio falsa. — Tamen quando falsa ratiocinatio est ex inadvertentia, aut ex ignotiantia proprius dicitur *paralogismus.*

163. **Multiplex fallacia in syllogismo.** — Prima fallacia est *ex parte dictionis:* haec autem attenditur in vocibus sive terminis: cum scilicet unus terminus plura significat, putatur unam significationem habere. Tres autem praecipue enumerantur: *Aequivocatio, amphibologia, compositio* et *divisio.*

164. **Aequivocatio** est *usus termini in diversa significatione:* Sic arguebat Bajus ex Apostolo: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Haec Apostolus. *Atqui*, subsumebat Bajus, *infideles non operantur ex fide.* Ergo *omnia opera infidelium sunt peccata.* Syllogismus est sophisticus, quia *fides* ab Apostolo sumitur pro *conscientia,* sive pro *dictamine conscientiae.* In

minori autem a Bajo *fides* sumitur pro *virtute theologali,* et ideo in hoc syllogismo sunt quatuor termini, (n. 98).

165. **Amphibologia** consistit in usu plurium verborum, quae simul sumpta diversam sententiam animi exprimunt, ut si dicam : *Scio Romanos hostes vincere posse.* Hoc enim significat quod Romani possint vincere hostes, et hostes possint vincere Romanos. Cum *amphibologia* in syllogismo invenitur, oportet ut distinguatur sensus, et evanescet sophisma.

166. **Compositio et divisio.** — *Compositio et divisio,* quae etiam appellatur *sensus compositus* et *sensus divisus,* habetur, cum aliquod praedicatum conveniens vel non conveniens subjecto, ratione alicujus formae sive perfectionis subjecto convenientis, tribuitur tali subjecto dum illa forma caret; ut si quis arguat: *In justo non potest esse peccatum. Sed Petrus est justus. Ergo Petrus est impeccabilis.* Habetur fallacia *sensus compositi.* Distinguitur sic major: *In justo non potest esse peccatum in sensu composito,* idest *simul cum justitia,* concedo; *in sensu diviso, excludendo justitiam, non potest esse peccatum,* nego. Haec fallacia habetur etiam cum duo praedicata ex eo quod successive alicui subjecto possunt convenire, concluditur convenire simul; aut ex eo quod duo praedicata non possunt simul convenire, concluditur ea non posse convenire neque successive; aut ex eo quod aliquod praedicatum convenit pluribus collective seu simul sumptis, concluditur convenire illis singillatim sumptis; ut si dicam : *Apostoli sunt duodecim. Petrus est Apostolus. Ergo Petrus est duodecim.*

167. **Fallacia ex parte rerum.** — *Ex parte rerum* contingit fallacia ex eo, quod res diversae sumuntur ac si essent una; vel eadem res per diversos terminos expressa, accipitur ac si esset diversa. Prin-

cipaliores sex enumerántur, nempe: 1ª *Fallacia accidentis.* 2ª *A simpliciter ad secundum quid,* et viceversa, *a secundum quid ad simpliciter.* 3ª *Contradictionis seu ignorantia elenchi.* 4ª *Petitio principii.* 5ª *Consequentis.* 6ª *Non causae ut causae.*

168. **Fallacia accidentis.** — *Fallacia accidentis* habetur cum id, quod alicui convenit per accidens, tribuitur ei ac si conveniret per se, nempe ex natura ipsius. Nam aliquid dicitur alicui convenire per se, quod ei convenit ex intrinseca sui natura (n. 65); quod autem convenit alicui ex aliqua exteriori circumstantia, dicitur ei convenire per accidens. E. g.: *Oves sunt nocivae agro. Ergo non sunt retinendae.* Est sophisma. Sic autem resolvitur: *Oves* per se *sunt nocivae agro,* nego; per accidens *sunt nocivae agro,* concedo. Nempe *ex eo quod non custodiuntur, sunt nocivae.*

169. **Fallacia a simpliciter ad secundum quid et viceversa.** — *Simpliciter* idem est ac sine ullo addito; ideo quod dicitur sine ulla restrictione de aliquo, dicitur ei convenire *simpliciter,* ut cum dico: *virtus est necessaria ad salutem.* Hoc verum est *simpliciter.* E contra *secundum quid* significat aliquid convenire subjecto cum aliqua restrictione, ut cum dicimus: *Bona temporalia sunt appetenda.* Hoc verum est, sed cum quadam moderatione, ac proinde cum restrictione. Unde non est *simpliciter* vera talis propositio, sed *secundum quid.*

170. **Ignorantia elenchi.** — *Ignorantia elenchi* habetur cum aliquis nescit in quo consistit punctum quaestionis, vel etiam fingit se nescire, ad alia divertendo ne se victum fateatur. Unde non probat id quod est probandum, sed aliud omnino. Dicitur etiam *fallacia contradictionis* quia contradictio esse concluditur, ubi nulla est.

171. **Fallacia petitionis principii.** — *Fallacia*

petitionis principii tunc habetur, cum ad aliquid probandum, illud ipsum sub aliis terminis assumitur tamquam certum. Dicitur *petitio principii*, quia sophista vult sibi concedi ut verum quod est probandum. Cum autem assumitur aliqua propositio ad probandam aliam, et postea secunda ad probandam primam, habetur fallacia quae dicitur *circulus vitiosus*, vel *circulatio*.

172. **Fallacia consequentis.** — *Fallacia consequentis* habetur cum aliquis ea quae non sunt convertibilia, ut convertibilia considerat. Haec fallacia contingit praecipue circa propositiones conditionales, quatenus scilicet non servantur leges traditae (n. 76); et ideo ad tales leges maxime attendendum est. Sit hoc exemplum : *Si Petrus currit, Petrus movetur. Sed Petrus movetur. Ergo Petrus currit*: vel etiam : *Sed Petrus non currit. Ergo non movetur*. Falsa conclusio quia *currere* et *moveri* non sunt convertibilia.

173. **Fallacia non causae ut causae.** — *Fallacia non causae ut causae* in hoc sita est ; ut accipiatur tamquam causa alicujus effectus, id quod causa non est, sed est vel mera occasio, vel conditio ad causandum requisita. Item habetur haec fallacia, cum id, quod est solummodo causa *partialis* et *inadaequata*, assumitur ut causa *totalis* et *adaequata*.

Caput V.

De natura universalium

(S. Th. opusc. ed. Rom. LV, LVI, De univers.; De ente et essentia; Goudin, Log. Major. Disp. I, quaest. I; Zigliara, Ontol. lib. un., cap. I, art. I; Liberatore, Log. Pars II, cap. IV. Hugon, Log. Maj. pag. 217 seqq.)

174. **Ratio capitis.** — Cum examinaverimus naturam argumentationis et secundum quod argumentatio est medium ad veritatem inveniendam, vel ad accedendum verisimiliter ad ipsam, et etiam secundum quod defectus quosdam importare potest, quibus a veritate deviari est possibile, nisi caute procedatur, oportet ut nunc examinentur ipsa elementa quae sunt fundamentum totius argumentationis. Elementa hujusmodi a quibus tota vis argumentationis pendet sunt subjectum et praedicatum, quibus propositiones efficiuntur. Et quia argumentatio ab universalibus ad particularia procedit vel saltem universalia supponit (n. 93 et 113); ideo vis argumentationis et conclusionis in vi universalium consistit. Unde si universalia basim et fundamentum habent, habetur fundamentum inveniendi veritatem; si autem universalia non sint nisi mentis illusiones vel subjectivae apparentiae aut pura nomina, etiam veritas ipsa erit illusio aut subjectiva apparentia. Hoc examen, ut patet, maximi momenti est. Igitur nunc examinanda est natura ipsa universalium. Quod perficiemus per quatuor capita: unde 1.° agemus de universalium natura generatim, 2.° De nominalismo et conceptualismo, 3.° De realismo platonico ontologistico etc., 4.° De realismo temperato.

175. **Significatio hujus nominis universale.** — Universale idem est ac *unum versus multa;* unde multa vel plura respicit. Quadrupliciter contingere potest ut aliquid multa respiciat, idest vel quia multa significat ut *terminus,* et dicitur universale in *significando*, vel quia multa repraesentat ut *exemplar* multa exemplata, et dicitur universale in *repraesentando*, vel quia multa *causat* ut sol vel Deus, et dicitur universale in *causando ;* vel tandem quia in multis esse potest vel est, de quibus praedicetur, ut *homo* de individuis naturae humanae in quibus est, et dicitur universale in *essendo* seu in *praedicando.* De universali in *essendo* seu in *praedicando* est sermo in praesenti.

176. **Universale in essendo vel praedicando definitur.** — Universale in essendo vel praedicando definitur: *Quod est aptum inesse pluribus et praedicari deillis.*(cf. n. 15). Unde illud quod est in pluribus et de illis potest praedicari universale dicitur. Sic *natura humana* utpote in pluribus hominibus e. g. in Petro, in Francisco etc. existens de quibus praedicatur seu affirmatur, est *universale* quoddam ; et similiter *animal, substantia* etc. Tamen juxta definitionem traditam ut *natura* dicatur universalis non est necesse ut de facto sit in pluribus, sed sufficit ut habeat aptitudinem ut sit in eis; unde natura humana cum adhuc Adam solus existebat poterat dici universalis. Tamen ut clare procedatur et aequivoca auferantur in hac maximi momenti materia varii modi, quibus natura objici potest menti, considerandi sunt.

177. **Consideratio naturae universalis in individuo.** — Natura quaelibet potest considerari in individuo e. g. *natura humana* (vel *homo*) potest considerari in *Petro* determinata per notas individuantes ipsius et singularizata, unde habetur haec *natura*

humana ; hic homo qui est Petrus ipse ; qui distinguitur ab *hoc* alio *homine* qui est Franciscus. Unde habentur duo homines, duae humanitates singulares, individuae, divisae inter se se et distinctae, quarum una non est alia. Natura sic considerata vere est in individuo, et est singularis et individua, non autem universalis; est tamen fundamentum universalis logici remotum (cf. infra n. 181).

178. **Consideratio naturae universalis in definitione.** — Sed potest considerari *natura humana*, vel *homo*, quin consideretur ipsam esse in Petro, vel in alio individuatam ; sicut e. g. cum definimus hominem, dicimus quod *homo est animal rationale ;* in hac autem definitione sicut et in quacumque alia non includitur nisi id quod est essentiale rei definitae (in casu *homini*) ; unde neque notae individuantes Petri, neque alterius individui continentur in ea ; si enim in ea notae illae continentur definitio conveniret Petro tantum. Unde *natura universalis* definita non continet nisi *id quod dicitur in definitione* (cf. n. 48). Et hoc est universale *quoad rem conceptam,* vel universale *directum.* Natura quantum ad id quod est in definitione vere est in rebus idest in singularibus, sed in his praeter ipsam sunt notae eam individuantes, ut dictum est; insuper natura quantum ad id quod dicitur seu exprimitur in definitione est etiam in intellectu.

179. **Consideratio naturae universalis prout est abstracta in intellectu.** — Natura humana (idem dic de aliis) ex hoc quod ab intellectu concipitur et definitur est intellectui praesens et quodammodo est in ipso ; non tamen est in intellectu sicut est in rebus ; nam in rebus est individuata et singularizata per materiam, per notas individuantes, e contra intellectus intelligit ipsam sine notis indi-

viduantibus, sine hac, vel illa materia, sine hoc vel illo individuo; igitur intellectui est praesens natura sine notis individuantibus ipsam et sic est in intellectu concepta et abstracta ab illis. Unde illa natura quae definitur ab intellectu est *abstracta* ab intellectu.

180. **Abstractio non continetur in definitione.** — Tamen sicut notae individuantes non continentur in definitione, ita neque ipsa abstractio. Unde homo definitur *animal rationale.* Esse abstractum autem accidit naturae expressae per definitionem ex eo quod est in intellectu seu ab intellectu concepta, sicut esse individuatum accidit ei ex eo quod est in hoc vel illo individuo. Natura sub statu abstractionis concepta seu ut *abstracta* non potest concipi nisi ut una, et est ipsum universale *quoad modum* concipiendi, quia scilicet consideratur ipsa *sub abstractione.* Abstractio autem naturae ab intellectu fit per simplicem apprehensionem naturae, non apprehensis notis individuantibus, vel etiam per positivam remotionem hujusmodi notarum analizando.

181. **Consideratio naturae ut importat universale logicum.** — In natura ab intellectu abstracta duo considerantur, nempe natura quae abstrahitur, idest id quod continetur in definitione et ipsa abstractio seu status abstractionis; igitur intellectus hanc naturam abstractam comparat cum individuis quantum ad id quod in ipsa definitione continetur, et ex hac comparatione natura haec abstracta fit apta ut praedicetur de illis, non quidem quantum ad ipsam abstractionem, sed quantum ad id quod in definitione continetur tantum; nam definitio applicari potest et individuis tanquam praedicatum et naturae abstractae ab intellectu; unde et *Petrus* est animal rational, et *homo* est animal rationale. Ita

scilicet ut definitio naturae conveniat individuis ut verum praedicatum. Ex hoc ergo quod natura est abstracta accidit ei ut possit ab intellectu comparari cum individuis et ex comparatione fit apta ut praedicetur de ipsis : haec aptitudo ad hoc ut praedicetur de illis dicitur *intentio universalitatis,* et universale *logicum*, universale *formale,* universale *reflexum* et est quaedam relatio rationis per quam natura constituitur species vel genus.

182. **Natura ut existens in individuo nullo modo est universalis.** — Natura considerata quatenus existens in individuis nullo modo dici potest universalis hoc est communicabilis, quia ex hoc ipso quod ponitur in individuis ponitur divisa, individuata, singularizata; si autem dicatur importare universalitatem solum quantum ad id quod importatur in definitione, quod vere est in singularibus; tunc dicitur quod natura quantum ad id quod importatur in definitione praedicatur de singulari in quo est, sed a notis individuantibus coartatur et fit individua et singularis ; atque proinde universalitatem excludit, secus de singulari posset praedicari universalitas. (Cf. n. 181).

183. **Corollarium.** — Igitur universale importat naturam. Sed haec est in singularibus individua; abstrahitur ab intellectu et sic abstracta comparatur cum individuis et ex hac comparatione sequitur intentio universalitatis seu aptitudo ad essendum in multis, et inde de illis affirmatur seu praedicatur, tamen solum quantum ad id quod objective in definitione continetur, in qua non continetur neque singularitas, neque abstractio, neque universalitas.

184. **Consideratio naturae universalis termino abstracto et termino concreto significatae.** — Natura universalis potest considerari prout expri-

mitur termino concreto et termino abstracto; prout exprimitur termino concreto importat subjectum et formam e. g. homo idem est ac si dicatur: *Habens humanitatem; habens* est subjectum, *humanitas* est forma; prout vero exprimitur termino abstracto importat solummodo formam quia et a notis individuantibus et a subjecto est abstracta e. g. *Humanitas*. Primo modo accepta utpote non abstracta a subjecto, quamvis abstrata a notis individuantibus, praedicatur de individuis in recto idest in casu nominativo, unde vere dicitur: *Petrus est homo;* at secundo modo accepta non praedicatur in recto; unde dici non potest: *Petrus vel homo est humanitas;* sed dicitur: *Petrus, homo habet humanitatem.*

Caput VI.

Major explicatio universalium

185. **Quintuplicis modi considerandi naturam brevis reassumptio.** — Natura potest considerari 1° in se exclusive ut est objectum quoddam, terminus scilicet intellectus ipsam definientis, et sic nihil aliud importat quam seipsam; e. g. *homo* nihil importat quam *animal rationale*; 2° potest considerari ut est individuata seu singularizata in hoc vel illo individuo, et sic praeter seipsam expressam per definitionem, importat notas individuantes et est una vel multiplex secundum quod est in uno individuo tantum, puta prout fuit in Adam, vel in pluribus ut nunc est divisa; 3° potest considerari prout est intellecta seu abstracta ab ipso intellectu, et sic praeter ipsam importatur actio intellectus, qua ipsa intelligitur et abstrahitur, et ideo dicitur vere *intellecta* et *abstracta*. Primo modo accepta, idest ipsa secundum quod exprimitur per definitionem, exclusive in se considerata indifferenter se habet ad individua, idest ut sit vel non sit in

eis, ut sit in uno vel in altero, in uno tantum vel in pluribus. Ex hac indifferentia quae non est aliquid positivum sequitur quod in individuis est contingenter; et quandoque est et quandoque non est, et similiter indifferens est ut sit intellecta vel non intellecta, abstracta, vel non, ab intellectu humano; unde si etiam intellectus humanus eam non intelligeret, ipsa in sua obiectivitate permaneret. 4° Ex hoc ipso quod natura est ab intellectu concepta et abstracta potest ipse intellectus eam comparare cum individuis in quibus contingit ipsam esse, determinari et multiplicari; et sic comparata ad illa, importat *relationem* ad plura, quae relatio est *intentio universalitatis* et in hoc consistit universale *logicum* seu *formale;* et sic intellectus videt naturam illam posse vel de facto convenire pluribus, de quibus proinde potest affirmari vel praedicari. — Natura primo modo considerata neque importat singularitatem seu unitatem, neque pluralitatem, neque abstractionem; haec enim omnia non ponuntur in definitione et non comparantur ut terminus ad intellectum definientem naturam; unde ipsa praedicatur, sed non praedicatur singularitas quam habet in individuo, neque pluralitas quam ipsi contingit habere ex hoc quod est in pluribus divisa, neque praedicatur *abstractio* sicut nec indeterminatio quam ei contingit habere ab intellectu (1), sed solummodo

(1) S. Thomas (Opusc. *De ente et essentia* c. IV) ita universalia pulcherrime illustrat: « Natura vel essentia (puta *homo*) potest dupliciter considerari: Uno modo secundum naturam et rationem propriam; et haec est absoluta consideratio ipsius; et hoc modo nihil est verum de ea dicere, nisi quod conveniat sibi secundum quod hujusmodi, unde quidquid aliorum sibi attribuitur falsa est attributio; e. g. homini, in eo quod est homo, convenit rationale et animal et alia quae in ejus definitione cadunt; album vero vel nigrum vel quodcumque hujusmodi quod non est de ratione humanitatis, non convenit homini in eo quod est homo. Ideo si quaeratur utrum ista natura possit dici una vel plures, neutrum concedendum est; quia

praedicatur id quod *objective* exprimitur in definitione; 5° Natura potest considerari prout significatur termino

---

utrumque est extra intellectum humanitatis, et utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione ejus nunquam posset esse una; cum tamen una sit secundum quod est in Socrate. Similiter si unitas esset de intellectu et de ratione ejus, tunc esset una et eadem natura Socratis et Platonis, nec posset in pluribus plurificari. Alio modo consideratur, secundum quod habet esse in hoc vel in illo; et sic de ipsa praedicatur aliquid per accidens ratione ejus in quo est, sicut dicitur quod homo est albus, quia Socrates est albus, quamvis homini non conveniat in eo quod est homo. Haec autem natura habet duplex esse unum in singularibus, aliud in anima, et secundum utrumque consequuntur accidentia dictam naturam. Et sic in singularibus habet multiplex esse secundum diversitatem singularium; et tamen ipsi naturae, secundum propriam considerationem scilicet absolutam, nullum istorum esse debet; falsum est enim dicere quod natura hominis inquantum hujusmodi habeat esse in hoc singulari; si enim esse in hoc singulari conveniret homini inquantum est homo, non esset unquam extra hoc singulare, similiter si conveniret homini, inquantum est homo, non esse in hoc singulari, nunquam esset in eo. Sed verum est dicere quod homo inquantum est homo non habet quod sit in hoc singulari, vel in illo... et haec natura sic considerata est quae praedicatur de omnibus individuis ». — Prosequitur autem Angelicus doctor dicens; « Non tamen potest dici quod ratio universalis conveniat naturae sic acceptae, quia de ratione universalis est unitas et communitas (idest unum quid conveniens multis) » secus individuum de quo affirmatur natura esset *unum quid conveniens* multis; et similiter esse abstractum non convenit naturae secundum se, secus ipsa abstractio praedicaretur de individuis sicut ipsa natura, unde *Petrus esset homo abstractus*. Unde naturae accidit abstractio quatenus est in intellectu et similiter « ratio speciei accidit naturae humanae secundum illud esse quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu *abstractum* ab omnibus individuantibus, et habet rationem uniformem ad omnia individua quae sunt extra animam, prout essentialiter est imago omnium et inducens in cognitionem omnium inquantum sunt homines, et ex hoc quod talem relationem habet ad omnia individua intellectus adinvenit rationem speciei ».

concreto licet indeterminate sine notis individuantibus ut *homo*, vel termino abstracto ut *humanitas*.

186. **Quaesitum de Realitate naturae.** — Si quaeratur an natura expressa per definitionem sit *realis* nec ne, oportet distinguere; vel 1° natura consideratur exclusive quantum ad id quod objective importatur in definitione, vel 2° quantum ad id quod importatur in definitione et simul quantum ad id quod importatur determinationis in individuis cum propria existentia in qua ipsa natura e. g. *homo* subsistit; vel 3° quantum ad id quod importatur in definitione objective et simul quantum ad id quod importatur per hoc quod est in intellectu seu ab intellectu concepta (cf. n. 181).

187. **Quid intelligitur nomine realitatis.** — Et similiter per hoc quod dico *reale* potest intelligi vel aliquid prout importat, praeter seipsum expressum per definitionem, determinationem sui per notas individuantes cum ipsa existentia in qua subsistit de facto, vel prout importat seipsum expressum per definitionem exclusive, cui tamen contingit vel contingere potest esse partem essentialem individui in quo existat vel subsistat, vel etiam cui contingit vel contingere potest esse intellectui praesens seu esse ab intellectu apprehensum ut aliquid habens existentiam extra apprehensionem intellectus.

188. **Reale et ideale.** — Reale his modis acceptum contraddistinguitur ab ideali quod importat purum modum objectivum intellectus (cf. n. 180, 181) cui non contingit neque contingere potest habere determinationem et subsistentiam propriam seu etiam quomodocumque existentiam extra intellectum, sicut est e. g. esse praedicati, esse subjecti, intentio universalitatis et generatim ipsum ens rationis formaliter consideratum.

189. **Responsio ad quaesitum.** — Sic ergo: 1.° natura in individuis considerata est *realis*, (reali primo modo accepto); 2.° natura accepta exclusive prout importatur per definitionem objective est realis secundo modo, (n. 187), tamen hic secundus modus continetur in primo et de primo praedicatur, imo primus modus realitatis dependet a secundo, non enim individuus habetur si non habeatur natura expressa per definitionem, sed secundus realitatis modus per se loquendo non dependet a primo, quia natura ipsa quae definitur potest intelligi, et ideo potest esse in intellectu quin sit in individuis, imo individua variare possunt et de facto variant, non tamen variat natura quantum ad id quod exprimitur per definitionem. Unde eadem est natura definita sive sit in hoc individuo, vel in illo, et sive sit in pluribus individuis, sive in uno. Igitur quantum ad id quod exprimitur per definitionem eadem est natura quam contingit esse in individuis et in intellectu seu ab intellectu conceptam. Non ergo natura quae est in intellectu seu ab intellectu concepta differt secundum se a natura quae est in individuis.

190. **Natura secundum se neque subsistentiam, neque existentiam importat.** — Tamen naturae secundum se acceptae exclusive non competit habere subsistentiam aut existentiam, unde definitio naturae vera est etiam si non habeat existentiam, et non subsistat in se; nam habere existentiam contingit ei ex hoc quod conjungitur notis individuantibus et existentiae propriae, vel intellectui, quatenus ab eo intelligitur; aliter tamen et aliter. Per hoc quod conjungitur notis individuantibus et existentiae propriae est aliquid subsistens et existens in se, et sic habet esse proprium, et dicitur esse simpliciter; per hoc autem quod intelligitur, conjungitur intellectui et habet esse non proprium sed esse intellectum, unde non est ipsa quae sub-

stinet esse quod habet, sed substinetur ut ita dicam per esse ei communicatum ab intellectu per hoc scilicet quod intelligitur et recipitur in intellectu secundum modum intellectus; unde per esse intellectum quando intelligitur licet forte in se non existat, ipsa natura expressa per definitionem vere in sua objectivitate (saltem in ordine possibilitatis) adest intellectui qui modo suo ipsam naturam veram prout exprimitur per definitionem in seipso possidet et habet, ei esse proprium (quod merito, ideale dicitur ut distinguatur ab esse illo determinato, et propriae existentiae quod natura habet in individuis) communicando, unde natura dicitur intellecta et idealis propter hoc esse ideale ei ab intellectu communicatum, non tamen ipsa quantum ad id quod per definitionem exprimitur cessat esse realis, sed realis permanet et realis intelligitur in sua objectivitate, sed neque amittit realitatem (cf. n. 187) existentiae quae ei forte conjungitur, tamen intellectus ab ea praescindit. — Unde esse quod naturae communicatur ab intellectu, per hoc quod ab ipso intelligitur et dicitur esse intellecta et esse in intellectu, est quoddam esse *relativum,* sicut si dicamus quod esse locatum est esse relativum quod corpori superadditur a loco in quo ponitur; pensata tamen summa differentia quae inter *locum et intellectum* et consequenter inter esse *locatum* et esse *intellectum* intercedit, de qua differentia suo loco dicetur.

191. **Quomodo distinguitur natura in individuis et in intellectu.** — Igitur natura expressa per definitionem non importat objective considerata secundum se neque esse individuale neque esse intellectum seu ideale, unde in ipsa sic considerata nulla distinctio aut divisio concipitur; tamen si consideretur in individuis cum esse illo individuali, ut distincta concipitur a seipsa prout est in intellectu;

quia ibi aliud esse (quod non est esse essentiae) omnino diversum importat idest esse ideale, utrunque tamen esse ei conjungitur quasi accidentaliter ut aliquid praeter ipsam secundum se consideratam objective ut est terminus seu contentum definitionis. Ipsa ergo duplici esse induitur, individuali per notas individuantes, ideali per intellectum. Itaque ideo in ipsa formaliter sumpta non est distinctio, quia distinctio habetur per esse *determinatum* quod in ipsa non est in se accepta — est ergo in ipsa attendenda distinctio secundum aliud et aliud esse quod ei conjungitur. Sed ubi habetur aliud et aliud esse, habetur aliud et aliud, aliud ergo est natura secundum esse individuatum et subsistens in se vel existens extra intellectum, et aliud secundum esse abstractum et ideale quod habet ab intellectu et in intellectu. Natura ergo secundum se accepta, quia non importat distinctionem neque unitatem per esse proprium determinatum et semper eadem concipitur, potest determinari multipliciter per esse accidentaliter ei adveniens, in hoc vel in illo, et secundum seipsam de hoc vel illo praedicari, non vero prout habet esse subsistens determinatum in individuo, vel prout habet esse abstractum seu ideale in intellectu.

CAPUT VII.

De nominalismo et conceptualismo

(GOUDIN, l. c. Art. Conc. I; ZIGLIARA, Ontol. lib. II, Cap. Art. II, III; LIBERATORE, Log. pars alt., Cap. IV, Art. I, Prop. 1, 2. LEPIDI ont. pag. 139; HUGON e. e. pag. 225 seqq.)

192. **Nominales et conceptualistae.** — Nominales, quorum parens fuit Roscelinus Compendiensis, qui, labente saeculo undecimo, floruit, docuerunt, universalia non esse nisi nomina quaedam, quibus nihil omnino correspondet. Hanc tamen doctrinam prae-

docuerat Heraclitus ejusque discipulus Cratylus sicut etiam Epicurei. Eam acriter defendit Okamus, seu renovavit saeculo decimo quarto, ipsique systemati adhaeserunt, saeculo decimo septimo et decimo octavo, Loke, Hume Condillac, caeterique sensistae et illud summopere placet positivistis nostrae aetatis. — Conceptuales autem universalia docent esse puros mentis conceptus nullamque realitatem extra mentem ipsis respondere. Hanc sententiam docuerunt Zeno, stoici, Conceptualistae saeculi XIV et XV, Ioan. Buridanus, Gabriel Biel, et praecipue Kant, qui formas ingenitas a priori in mente nostra esse docuit, quae formae sunt ipsa universalia, quibus nihil extra mentem correspondet juxta ipsum. Has sententias duabus distinctis conclusionibus breviter refellam.

193. **Conclusio I.** — *Nominalismus purus est prorsus absurdus.*

Prob.: Nominalismus purus, ut est a nobis expositus, 1.° falso nititur supposito; 2.° vocabulorum naturam pervertit; 3.° facto ipso sibi contradicit. Ergo nominalismus purus est prorsus absurdus. — *Consequentia patet.* — *Prob. antec.* per partes.

1.° *Nititur falso supposito,* nempe sensismo, cujus nominalismus est legitima consequentia, ut jam animadvertit S. Anselmus (lib. *de fide Trinitatis* sive *de Incarnatione Verbi contra blasphemias Roscelini* cap. 2); et factum ipsum ostendit sensistarum et recentiorum positivistarum, quibus vehementer arridet nominalismus. Et revera ponere quod universalia sint merae voces est omnem humanam cognitionem objectivam interlimites existentiae rerum sensibilium concludere, est negare cognitionem abstractivam rerum sensibilium, imo ipsam cognitionem ad pura phaenomena coarctare; quae cognitio sensuum externorum et phantasiae facultatem non excedit.

2.° *Vocabulorum naturam pervertit.* Vocabula possunt dupliciter considerari: *materialiter,* ut sunt soni quidam articulati, et *formaliter,* secundum propriam significationem. Si considerentur materialiter, sunt singulares, ut patet, et ipsi nominales concedunt. Ergo si dicantur esse universales, nonnisi formaliter, idest secundum suam significationem, tales dici possunt; significant autem conceptus; ergo universales esse dici nequeunt a nominalibus, nisi ponantur universales mentis conceptus. Et ideo nonnisi pervertendo naturam terminorum nominales adseverant universalia esse pura nomina.

3.° *Facto ipso sibi contradicit.* Nam ex hoc ipso quod nominales agitant quaestionem de universalibus, ipsa universalia concipiunt, et nominibus seu terminis significant. Si ergo concipiunt, mente concipiunt, et ideo universalia, juxta ipsos nominales, non solum in nominibus consistere, sed etiam in mente, ut conceptus mentis sunt, adserendum est.

194. **Conclusio II.** — *Conceptualismus absolute spectatus rejici debet.*

Prob.: 1.° Conceptualismus absolute spectatus et quem impugnamus, est illud systema, quod docet naturam, quae de individuis affirmatur, esse quid exclusive ideale et nihil reale includere. Atqui hoc adserere est ommino absurdum et rejici debet. Ergo conceptualismus absolute spectatus rejici debet. — *Prob. min.:* Absurdum est ponere aliquid exclusive ideale quod vere, realiter et independenter a mentis consideratione, alicui subjecto convenit, et quo ipsa realitas subjecti constituitur. Atqui natura (quae dicitur universalis) e. g. *homo,* vere, realiter, independenter a mentis consideratione subjecto reali convenit, et per eam ipsa realitas subjecti constituitur. Ergo absurdum est adserere naturam, quae praedicatur de

individuis realibus, esse quid exclusive ideale. — *Declaratur minor* ex eo quod *homo* e. g. vere, realiter et independenter a mentis consideratione praedicatur de *Petro,* vel de quolibet alio individuo humano; et insuper per hominem ipsa individui, puta *Petri, realitas* constituitur.

2.° Cum dico e. g. *Petrus est sensitivus, intellectivus* vel *rationalis* etc. idem est ac si dicam : Petrus habet in se aliquid puta aptitudinem quo possit sentire, intelligere, ratiocinari etc. imo habet in se aliquid quo sentit intelligit, ratiocinatur etc. et hoc est aliquid quod dicitur animalitas, intellectivitas, rationalitas, humanitas vel natura ipsius. Atqui illud quod Petrus habet in se et quo ordinatur ad sensentiendum, ad intelligendum, ad ratiocinandum et generaliter ad agendum non est purus conceptus mentis meae aut tuae vel cujuscunque ipsi Petro applicatus per judicium. Ergo quod exprimitur per praedicatum universale puta natura de individuis non est purus mentis conceptus. — *Prob. minor* ex eo quod secus sequeretur quod intelligere, ratiocinari et generaliter operari ipsius Petri dependeret et esset a conceptu qui a mente mea Petro applicatur dum mens mea profert judicium illud. Idem dicendum esset de omnibus judiciis quorum subjectum est individuum particulare, et praedicatum universale. Unde sequeretur quod omnes actiones quae sunt in natura mea a conceptione applicata vel applicanda ipsis rebus dependerent et derivarent tanquam a vera causa. Quid hoc absurdius concipi potest ? Et tamen in his absurditatibus innititur conceptualismus, subjectivismus, et tota doctrina Kantiana !

195. **Objectiones.** — *Ob.* 1.ª: Quod, ut tale, neque existit neque existere potest, et tamen a mente conci-

pitur, est purus conceptus mentis. Atqui universale, ut tale, non existit, neque existere potest, et tamen a mente concipitur. Ergo universale est merus conceptus mentis.

Resp.: Dist. min.: Universale prout est aliquid abstractum et quatenus est aptum ut de multis praedicetur, neque existit neque existere potest extra intellectum in natura, *conc.;* universale quod est ipsa res quae abstrahitur per operationem intellectus, idest quae concipitur sine notis individuantibus, non existit, neque existere potest, *nego.* — Natura quae concipitur et praedicatur de multis existit; non tamen in se separata a singularibus, sed in ipsis singularibus individuata. Non enim ipsa est realiter abstracta, sed solum per operationem intellectus; et ideo ipsa quae intellectui objicitur est aliquid reale, licet abstractio non sit realis, sed rationis tantum.

Subsumes: Atqui universale, prout est ipsa natura, vel ipsa res etc. neque existit, neque existere potest; Ergo falsa data distinctio. — *Probo minorem subs.:* Universale in se spectatum, prout est natura, importat communicabilitatem et necessitatem. Atqui universale ut dicit naturam, si ponatur existens, neque communicabilitatem dicit, neque necessitatem. Ergo universale, prout est ipsa res, vel natura, existere nequit.

Resp.: Nego subsumptum. Ad probationem: *Distinguo majorem:* Universale, prout est natura in individuo singularizata et determinata importat communicabilitatem, et similiter importat necessitatem quoad existentiam, *nego;* ut est natura concepta ab intellectu sine notis individuantibus et comparata cum individuis importat communicabilitatem; et similiter importat necessitatem etiam in individuis quoad connexionem praedicatorum essentialium considerata,

concedo. — Et *contrad. min.:* Universale, ut dicit naturam, si ponatur existens, neque communicabilitatem, prout est in individuo, neque necessitatem importat quoad existentiam *concedo;* prout ipsa natura objicitur intellectui vel apprehenditur ab intellectu sine notis individuantibus et sine contingentia, et quoad connexionem praedicatorum etiam ut existit in individuo considerata, *nego.* — Quoad communicabilitatem vide ea quae supra exposuimus (n. 181); quoad necessitatem objectio in falso conceptu necessitatis fundatur; nam necessarium dicitur illud quod non potest non esse, unde non absolute sed relative et multipliciter dicitur aliquid necessarium secundum *esse* ad quod refertur et quod est inseparabile ab ipso. Quia agitur esse existentiae est separabile ab essentia, quatenus essentia puta homo potest non existere, ideo essentia quoad *existentiam* quam habet dicitur et est contingens; sed quia *esse suorum attributorum* est inseparabile ab ipsa, ita scilicet quod essentia non possit esse, imo neque concipi sine esse attributorum suorum, ideo in ordine ad sua attributa est necessaria, sen habet necessitatem. — Unde essentia secundum esse quod ei competit ex suis attributis non potest esse et sic idest secundum sua attributa essentialia et ideo secundum se est necessaria, secundum esse autem existentiae est contingens.

Caput VIII.

De falso realismo

(S. Th. p. I, qu. LXXXIV, art. I et IV; Goudin, l. c. art. I, Concl. II; Zigliara, Ontol. lib. II, cap. I, art. IV, V; Liberatore, Log. Pars. alt. cap. IV, art. I, Prop. 3. Lepidi ont. pag. 144-148 seqq. Hugon Log. Maj. pag. 231 seqq.)

196. **Realismus.** — Philosophi, qui docent universalia non esse purum mentis conceptum, sed realitatem in natura extra mentem habere, *realistae* dicuntur, et eorum doctrina *realismus*. Sed quia non eodem modo ab omnibus universalia realitatem habere explicatur, ideo realismi variae species distinguuntur, videlicet: Realismus *Platonicus*, realismus *ontologisticus*, realismus *empiricus*, realismus *pantheisticus*, realismus *temperatus*, sive *aristotelicus*, vel *scholasticus*. — De realismo temperato in hoc capite nihil dicimus.

197. **Realismus Platonicus.** — Antiqui philosophi putantes non esse nisi corpora in natura, quae sunt contingentia et mutabilia, negaverunt ab homine posse scientiam haberi, quia scientia est de rebus immobilibus et necessariis. Corpora, ajebant, sunt in continuo fluxu, et ideo de eis nulla certitudo haberi potest. — His superveniens Plato (428-347 a. C. n.) concessit scientiam non posse haberi saltem directe de corporibus; et ideo ut posset salvare scientiam in mente humana, posuit alia entia a corporibus distincta et separata, de quibus esset scientia. Animadvertit igitur Plato 1.° scientiam nostram esse de universalibus e. g. de homine (non de Petro aut Francisco), de animali, de substantia etc. Haec enim intellectus concipit ut abstracta ab individuis singularibus et de indivi-

duis affirmat. — 2.° Animadvertit hujusmodi objecta concipi ab intellectu etiam ut necessaria et non solum ut ab individuis abstracta; nam concipiuntur ipsa quin individua contingentia concipiantur. — 3.° Conclusit hujusmodi objecta universalia, eo modo quo ab intellectu concipiuntur, existere extra intellectum, secus scientia non esset de objectis et entibus realibus et consequenter scientia omnis periret. Existit ergo juxta Platonem *homo* abstractus a quolibet individuo e. g. a Petro, a Francisco etc. et etiam a materia, quem vocabat *per se hominem*, et ex cujus participatione quodlibet individuorum humanorum dicitur homo; existit *animal* separatum a quolibet individuo animali, quod vocabat *per se animal* etc.; existit *equus* separatus a quolibet equo singulari; existit substantia separata a qualibet substantia individua singulari corporea etc.; ita dicatur de quolibet universali. Hujusmodi autem universalia per se subsistentia, necessaria, aeterna etc. vocabat *formas* nomine generico.

198. **Animadversio.** — Quidam tamen adseverant Platonem non admisisse hujusmodi universalia in se et per se existentia, sed ea esse in mente divina, idest esse ideas divinas ad quarum similitudinem omnia efformata sunt, sicut ex quodam exemplari. Alii vero dicunt Platonem obscure fuisse locutum vel utrumque, idest, contradictoria docuisse. Sed quidquid sit de mente Platonis, nos intendimus in praesenti sententiam expositam refellere; concedimus autem in mente divina esse exemplaria sive ideas ad quarum similitudinem omnia sunt in natura producta, licet non concedamus hujusmodi ideas esse ipsa universalia de quibus est scientia nostra, ut ex dicendis patebit. Igitur haec conclusio statuitur contra sententiam expositam.

199. **Conclusio.** — *Realismus Platonicus admitti nullatenus potest.*

Prob.: Realismus Platonicus 1.° falso nititur fundamento; 2.° cognitionum nostrarum objecta destruit; 3.° alia objecta penitus contradictoria fingit. Ergo systema platonicum admitti nullatenus potest. *Prob. antec.*

1.° *Nititur falso fundamento.* Fundamentum, quo nititur sententia platonica ad adserendum universalia esse separata sive abstracta ab individuis, a materia, et per se subsistentia, est quia res sensibiles, utpote mutabiles et contingentes, non possunt esse objecta scientiae nostrae, quae est solum de rebus immutabilibus et necessariis. Sed haec ratio falsa est et absurda; nam, cum scientia nostra non solum sit de substantiis, sed etiam de accidentibus, e. g. de virtute, de pulchritudine etc., sequeretur quod etiam ipsa accidentia et immutabilia et separata, sive abstracta et per se subsistentia, ponenda essent; quod est plane absurdum, cum de ratione accidentis sit inesse subjecto, neque ullo modo conveniat ei esse subsistens.

2.° *Cognitionum nostrarum objecta destruit.* Cum nos sensum communem sequentes nostras cognitiones sive scientificas sive vulgares aliis communicare intendimus de objectis sensibilibus communiter loquimur, et eorum notitiam quaerimus, imo ex earum natura percepta ad alia adsurgere ratiocinatione conamur. Ergo sensibilia sunt vera objecta nostrarum cognitionum, et proinde realismus Platonicus adferens alia objecta loco sensibilium, objecta nostrarum cognitionum repellit, et ea destruit simul cum scientia nostra.

3.° *Objecta contradictoria fingit.* Et revera ex sententia Platonis et vi suae doctrinae illae ideae seu formae separatae sunt universales, et ideo participa-

biles ab individuis; sed simul eaedem formae sunt per se subsistentes et existentes ad invicem distinctae nedum distinctione specifica, sed etiam numerica, idest sunt individuae, atque ideo incommunicabiles, sicut caetera individua subsistentia. Proinde formae Platonicae vi positionis sunt universales simul et individuales, communicabiles et incommunicabiles: quod est absurdum. — Adde quod hujusmodi formae non possent, si darentur, multiplicari, sed essent una tantum, quia una in alia includitur: nam *homo* e. g. includit *animal*, et *vivens*, et *substantiam*, et *ens*, et ideo *homo*, *animal* etc. non possunt esse *distinctae* formae per se subsistentes.

200. **Realismus ontologisticus** — Ontologistae, quos inter recensetur Malebranchius, et Gerdilius, docuerunt universalia, quae sunt objecta scientiae nostrae esse ideas in mente divina existentes, sed ideo neque esse puros conceptus mentis, neque esse aliquid reale creatum. Rosminius quoad substantiam idem docuit, idest ens trascendentale quod de omnibus praedicatur esse aliquid increatum et divinum in se, realiter idem cum essentia divina sola distinctione rationis ab eadem essentia distinctum.

201. **Conclusio.** — *Realismus ontologisticus nullatenus admitti potest.*

Prob.: Realismus ontologisticus 1.° extra quaestionem vagatur; 2.° species universalium confundit; 3.° judicia nostra affirmativa aut impossibilia aut falsa statuit. Ergo admitti nullatenus potest. — *Prob. antecedens.*

1.° *Extra quaestionem vagatur.* Et revera; in praesenti nos quaerimus de naturis rerum sensibilium: universalia de rebus sensibilibus non accidentaliter ut aliquid extraneum praedicantur, sed essentialiter ita ut ad constitutionem rerum sensibilium omnino per-

tineant. Quis enim potest concipere e. g. Petrum sine humanitate? Aut quis potest concipere belluam sine animalitate intrinsece ad ipsam pertinente? Atqui realismus ontologisticus non explicat, neque adsignat aliquid pertinens ad naturam rerum sensibilium ut earum constitutivum, cum loquitur de universalibus, sed aliquid extrinsecum omnino. Ergo realismus ontologisticus extra quaestionem vagatur. — *Declaratur minor:* Ideae divinae, quas realismus ontologisticus dicit esse universalia, non sunt naturae rerum sensibilium sed earum exemplaria extrinseca.

2.° *Species universalium confundit.* Nam universale multiplex distinguitur: 1.° *in essendo* sive *in praedicando,* et est illud quod de pluribus affirmatur; 2.° *in causando,* et est illud quod plura causat vel producit; 3.° *in repraesentando,* et est illud quod plura repraesentat vel illud ad cujus similitudinem multa fieri possunt. (cf. n. 175) In praesenti nobis est quaestio de universali *in essendo* vel *in praedicando:* ontologistae autem adferunt in medium universale in repraesentando, idest ideas divinas: ideae vero res utique repraesentant sed non eas constituunt. Insuper si ideae *universale in essendo* vel in *praedicando* esse nequeunt, multo magis id asserendum est de ideis divinis quae sunt ipse Deus. Tandem hac sententia admissa possent ideae divinae praedicari de rebus creatis, et haberetur Pantheismus, nam constituerent naturas specificas rerum sensibilium, si de ipsis praedicarentur.

3.° *Judicia nostra affirmativa aut impossibilia aut falsa statuit.* Nam in nostris judiciis universalia de singularibus individuis affirmantur, ut cum dico: *Petrus est homo, animal* etc. Sed est impossibile et falsum omnino quod ideae divinae vere affirmentur de individuis et singularibus rebus creatis: nam secus haberetur identitas inter hujusmodi individua et

St. Albert's College Library

ideas divinas, et individua per ideas divinas constituerenter; insuper ipsemet Deus a formis illis posset vere denominari, unde posset dici *homo, animal lapis,* quod blasphaemum est et absurdum.

202. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Res quaelibet abstracta, e. g. humanitas aut est perceptio mentis, aut est natura realiter existens, aut est idea divina. Atqui non est perceptio mentis, non est natura realiter existens. Ergo est idea divina. — *Prob. minor:* Perceptio mentis et natura realiter existens sunt aliquid singulare: e contra res quaelibet abstracta est aliquid universale.

Resp.: Dist. maj.: Res quaelibet *abstracta* si consideretur formaliter ut *abstracta*, idest secundum modum quo menti objicitur sine notis individuantibus, aut est perceptio etc. *nego ;* res abstracta si consideretur secundum suam *realitatem* sine abstractione quam habet a mente *conc.* — Et *ad min. dist.* etiam: Non est natura realiter existens si consideretur sub statu abstractionis, idest formaliter ut abstracta *conc.;* si consideretur ipsa res quoad suam realitatem objectivam, tamen sine abstractione quam habet a mente *nego. Ad prob.* etiam *dist.:* Res quaelibet abstracta est universalis si consideretur formaliter sub illo statu abstractionis quem habet a mente *trans.;* si consideretur sine statu abstractionis *nego.* — Si natura consideretur in statu abstractionis potest comparari et praedicari de multis, et ideo potest esse universalis, si autem consideretur sine abstractione tunc habet notas individuantes et est singularis: unde ipsa natura eadem est singularis prout est in individuo; et universalis ut objicitur intellectui unde universalitas competit ei ex modo operandi intellectus, idest ex modo intelligendi; et est aliquid logicum, licet res, quae est universalis, sit aliquid reale et ad constitutivum individui pertinens

(cf. n. 183). — Hinc patet etiam universale non esse exemplar aeternum in mente divina existens ut ontologistae putant, sed exemplatum.

Obj. 2.ª — Universale est quid immutabile, necessarium et aeternum. Atqui quod est immutabile, necessarium et aeternum, aut est Deus, aut est in Deo. Ergo universale realiter non potest esse nisi in Deo.

Resp.: Distinguo majorem: Universale seu natura universalis quoad existentiam consideratum in singularibus est quid etc. *nego.* Universale seu natura quae dicitur universalis considerata in se prout exprimitur per definitionem *Subd.:* Quoad connexionem praedicatorum essentialium *conc.;* prout objicitur intellectui abstracta ab omni motu, ab omni variatione, a contingentia, a loco et a tempore iterum *subdistinguo:* est immutabile, necessarium, aeternum, immutabilitate, necessitate, aeternitate *positiva, nego,* immutabilitate etc. *negativa, conc. Et contradist. min.:* Quod est immutabile etc, quoad existentiam ut in sua singularitate inspectum et immutabilitate, necessitate etc. *positiva, conc.;* quod est tale solum prout objicitur intellectui abstractum ab existentia, a notis individuantibus, et ideo consideratum sive conceptum ab intellectu sine mobilitate, quam habet, sine contingentia, sine loco in quo est, sine tempore; vel quod est tale quoad connexionem praedicatorum essentialium etiam in individuo inspectum, *nego* (cf. n. 194). Hoc secundo modo dicitur et est immutabile, necessarium, aeternum *universale:* nam hae proprietates non conveniunt positive quoad existentiam naturae universali quasi realitates quaedam necessario existentes, sicut Deo, sed negative, id est quia intellectus ipsam naturam considerat in se sicut in statu possibilitatis, idest ab existentia quam habet praecisam sine mutabilitate, sine contingentia etc.,

quae naturae conveniunt ratione existentiae. Insuper naturae universali convenit necessitas positive etiam quoad connexionem praedicatorum.

203. **Realismus Empiricus.** — Gilbertus Porretanus scriptor saeculi duodecimi et Guillelmus Compellensis universalia *formaliter* ut universalia docuerunt esse formas neque per se subsistentes extra individua, neque existentes in mente divina, sed in ipsis individuis independenter a mentis consideratione, ita ut ipsa individua essent universalia. Horum *realismus* recte dici potest *empiricus*, quia revera sicut individuorum, ita et universalium per experimentum sensuum, cognitionem immediate acquirimus juxta hanc sententiam. Quidam tenent ab hac sententia vix ac ne vix quidem differre sententiam Scoti, qui voluit naturas in seipsis formaliter esse universales a *parte rei* ante omnem mentis considerationem, quamvis nonnisi per individua et in ipsis individuis existentes. Goudin plura habet contra Scoti sententiam. (Log. Maj. P. I. qu. I. a II).

204. **Conclusio.** — *Universale formaliter sumptum non est in individuis ita ut ipsa individua formaliter a parte rei universalia sint.*

Prob.: Si universale vel natura universalis esset in individuis independenter a mentis consideratione ita ut ipsa individua essent universalia, sequeretur quod ipsa individua aut praedicari possent de pluribus, aut quod essent aliquid abstractum a notis individuantibus; nam universale proprie et formaliter consideratum nonnisi his duobus modis potest intelligi, ut patet ex dictis. Atqui individuum neque potest de pluribus praedicari, neque est aliquid abstractum, sed concretum, ut patet. Non enim Petrus e. g. potest de multis praedicari, neque est aliquid abstractum, sed concretum. Ergo universalia non existunt in individuis in-

dependenter a mentis consideratione, ita ut ipsa individua sint formaliter universalia a parte rei. — Insuper si naturae competeret universalitas a parte rei idest ut aliquid reale essentiale independens a mentis consideratione, eadem ratione qua natura praedicatur de individuo quolibet, etiam ejus universalitas deberet praedicari (cf. n. 182).

205. **Realismus Pantheisticus.** — *Realismus Pantheisticus* concedit universalibus realitatem, concedit ea esse in individuis, adserit etiam universalia esse in mente et habere esse ideale, sed negat distinctionem inter esse reale et esse ideale, et vult haec esse identica. Unde in forma pantheistica *idea* est ipsa *realitas*, seu ipsum *esse reale*. Ponitur enim existens unica idea, quae omnia repraesentat et omnia intelligit: objecta autem quae intelliguntur quasi extra mentem posita, et a mente vel ab idea distincta revera extra mentem non extare, sed in mente ipsa, eo ferme modo, quo ea quae apparent in somniis non sunt extra imaginationem somniantis, licet videantur esse. Unde omnia objecta quae esse intelliguntur non sunt nisi diversa momenta et modificationes illius ideae. Haec idea, quae sola ponitur existere, vocatur *absolutum*, (l' assoluto); et dicitur *Natura*, quatenus ponit se extra se, videlicet: idea quatenus repraesentat objecta quasi extra se posita et a se distinta, quae tamen a se distincta non sunt in hac sententia, dicitur *natura*, et dicitur *Spiritus* quatenus ope conscientiae ad se redit seque cognoscit. Hoc modo admittit universale Hegel qui tamen universalia potius negat, admittit enim unam ideam tantum cujus omnia alia non sunt nisi apparitiones phaenomenales illius: idem docet Schelling quoad substantiam (1).

---

(1) Cf. nostram *Introd.* p. I. c. II.

206. **Conclusio.** — *Realismus pantheisticus est omnino rejiciendus.*

Prob.: Illa doctrina est omnino rejicienda quae 1.° contradicit conscientiae, 2,° manifesta contradictione implicatur. Atqui realismus Pantheisticus 1.° contradicit conscientiae, 2.° manifesta contradictione implicatur. Ergo realismus pantheisticus est omnino rejiciendus.

Prob. min : 1.° *Contradicit conscientiae :* Nam ex conscientia habetur subjectivum et objectivum, ideale et reale omnino distingui ; etenim judicia nostra non semper vera sunt, quod certe non esset si ideale esset ipsum reale ; nulla enim posset esse discrepantia inter ideale et reale in facta hypothesi, cum idem a seipso discrepare non possit. Atqui realismus pantheisticus docet ideale et reale, objectivum et subjectivum, esse unum et idem. Ergo contradicit conscientiae.

2.° *Manifesta contradictione implicatur :* Nam docet idem esse reale et ideale. Imo ipsum esse *reale* docet esse *ipsum esse indeterminatum.* Sed esse indeterminatum, ut tale, non existit, neque existere potest, nam quidquid existit determinatum esse oportet ad genus et ad speciem, imo et individuum esse ; et ideo esse indeterminatum nullam habet realitatem. Esset igitur reale et non esset reale, si esse ideale esset idem ac esse reale, quod contradictorium est. Ad rem S. Thomas I contra Gent Cap. XXVI : « Quod est commune multis non est aliquid praeter multa, nisi sola ratione ; sicut animal non est aliquid praeter multa, nisi sola ratione ».

Caput IX.

De realismo temperato

(Goudin, l. c. art. III; Zigliara, Ontol., lib. I. cap. II, art. VI; Liberatore, Log. Pars. alt., cap. IV, art. II. Lepidi Ont. pag. 149; Ausonio Franchi, Ult. Crit. n. 156; Hugon, Log. Maj c. pag. 239 seqq.)

207. **Realismi temperati expositio.** — *Realismus temperatus* in universali, sive in natura quae de pluribus praedicatur, tria distinguit 1.° ipsam naturam quae de individuo aliquo praedicatur: e. g. *homo,* ut est aliquid quod menti objicitur et est ei praesens, idest esse reale talis naturae, 2.° abstractionem, vel esse abstractum, 3,° communicabilitatem ad plura seu esse communicabile pluribus. Et docet tria: 1.° Ipsam naturam (quae per definitionem exprimitur) esse aliquid reale in individuis existens, 2.° *esse* abstractum a notis individuantibus non esse aliquid reale ipsi naturae conveniens; sed naturae convenire quatenus ipsa intellectui objicitur, idest quatenus ab intellectu intelligitur sola, non intellectis notis individuantibus, 3.° *esse* praedicabile ut tale, vel communicabile pluribus non esse aliquid reale, vel non convenire ipsi naturae prout est in re extra intellectum, sed prout intellectui objicitur abstracta a notis individuantibus, et pluribus comparatur. Igitur juxta realistas temperatos: 1.° Universale, ut dicit naturam, importat aliquid reale in individuis existens extra mentem, 2.° ipsa abstractio, et ideo esse abstractum, non est quid reale, sed quid logicum, idest modus quidam se tenens ex parte intellectus concipientis naturam sine notis individuantibus, 3.° esse communicabile pluribus, vel esse praedicabile de pluribus, non est

quid reale, sed quid logicum fundatum in ipsa abstractione, vi cujus natura eodem modo se habet ad multa, ut possit de illis praedicari (cf. n. 181).

208. **Conclusio.** — *Realismi temperati doctrina est admittenda ut vera.*

Prob.: Realismus temperatus docet 1.° naturam, quae praedicatur de pluribus, esse quid reale extra mentem realiter existens in individuis; 2.° abstractionem ab individuis non esse quid reale, sed modum intellectus concipientis: item 3.° ipsam praedicabilitatem non esse aliquid reale ipsi naturae a parte rei conveniens, sed aliquid logicum in ipsa natura et abstractione fundatum. Atqui haec doctrina verissima est, ut patere potest ex dictis (cf. n. 181) et nunc directe declarabitur. Ergo realismus temperatus veram doctrinam tuetur circa existentiam universalium.

Declaratur minor. 1.° Natura, e. g. *homo,* de individuo reali, vere et proprie, independenter a mentis consideratione, affirmatur, et quidem ut constituens individui essentiam; non enim Petrus posset intelligi, nisi intelligeretur esse hominem. Quod autem de individuo reali affirmatur, ejus essentiam constituens, in ipso individuo est aliquid reale, secus non posset haberi identitas inter tale praedicatum et tale subjectum, neque posset praedicatum affirmari de subjecto; nam identitas in quacumque affirmatione exprimitur.

2.° Si ipsa abstractio esset aliquid reale ipsi naturae conveniens, natura esset realiter ab individuis abstracta; e. g. homo, qui praedicatur de Petro, esset a Petro abstractus realiter, idest separatus ab eo; et ideo de ipso praedicari non posset, nam praedicatio identitatem et unionem seu unitatem significat. Insuper naturam abstrahi nihil est aliud quam naturam intelligi, vel considerari notis individuantibus et di-

stinguentibus non intellectis, vel non consideratis, et ideo abstractio non est realis, quasi realis separatio naturae ab individuis; sed est modus concipiendi ipsius intellectus. Adde quod, si abstractio realiter conveniret naturae, e. g. *homini*, sequeretur quod Petrus esset *homo abstractus;* omnis enim realitas quae continetur in praedicato oportet ut subjecto conveniat, cui praedicatum convenit (n. 67 1.ª *lex.*).

3.° Esse communicabile pluribus convenit ipsi naturae non realiter, sed ex operatione intellectus abstrahentis naturam a notis individuantibus; etenim natura, e. g. *homo,* ex hoc quod concipitur sine notis individuantibus, quas habet in Petro aut in alio individuo, indifferenter se habet ad plura individua, cum concipiatur sine distinctivo quod habet in individuo; et ideo potest ejus realitas de quolibet praedicari sub tali statu abstractionis, licet non formaliter ut abstracta natura praedicetur, quia natura non convenit individuo sine notis individuantibus, sed simul cum eis. Per hoc enim quod praedicatur realitas essentiae sub illo statu abstractionis concepta non sequitur quod praedicetur *ipsa ut abstracta.* Nam ipsa realitas essentiae praedicatur de subjecto ut est terminus conceptionis; ipsa autem abstractio non concipitur ex hoc quod concipitur natura abstracta, idest natura sine notis individuantibus, sed tantum per reflexionem (cf. n. 180) Aliud est enim cognoscere naturam abstractam, aliud est cognoscere naturam formaliter ut abstractam. Nam in primo casu abstractio est conditio quae operationi intellectus conjungitur, quin intellectus ipsam apprehendat, at non est terminus cognitionis, cum habeatur per cognitionem directam. In secundo casu abstractio est terminus et objectum cognitionis et non cognoscitur nisi per reflexionem. Inde est quod natura abstracta,

idest quae abstrahitur, vere praedicatur secundum realitatem quae menti exhibetur; et licet non praedicentur de facto notae individuantes simul cum ipsa, tamen neque negantur subjecto convenire. Sed natura formaliter ut abstracta praedicari non potest de individuo, quia per hoc quod ut abstracta praedicatur, negantur notae individuantes esse in individuo (n. 183). Insuper communicabilitas ad plura in esse abstracto fundatur, idest in operatione intellectus; nulla autem realitas habet fundamentum in operatione intellectus.

Adde quod si communicabilitas ad plura esset aliquid reale in natura, oporteret ut esset in subjecto de quo ipsa natura praedicatur; unde ipsi subjecto seu individuo realiter conveniret; et ideo individuum, de quo praedicatur natura, esset communicabile pluribus. Unde universale, ut dicit naturam expressam per definitionem, vere in singularibus a parte rei existit ante omnem mentis operationem; sed ut importat abstractionem seu praecisionem, vel communicabilitatem ad plura, nonnisi in mente existere potest; nam hoc modo sumptum est modus quidam conveniens ipsi naturae non realiter sed ex operatione intellectus, vel est conveniens naturae non ut existit a parte rei, sed prout objicitur intellectui. Etenim a parte rei natura est singularizata per notas individuantes, prout objicitur intellectui est a notis individuantibus praecisa, idest sine eis intellecta.

209. **Obj.** — Realismus moderatus seu Aristotelicus supponit hominem posse essentias seu quidditates rerum cognoscere. Atqui hoc falsum est cum sit jam demonstratum nonnisi phaenomena esse nostrae cognitionis objecta. Ergo realismus moderatus admitti nequit utpote falso supposito innixus (1).

(1) Ita arguit Fici in opere: *Il Monismo*. — Palermo 1897, pag. 23.

Resp.: 1.° Haec objectio supponit in homine non esse nisi sensum, non autem intellectum, cujus objectum sit universale in sensibilibus perceptum; hoc autem falsum omnino est ut patere potest ex dictis in praecedentibus, et suo loco ostendemus. — 2.° Ipsi adversarii loquuntur nobiscum de essentiis et quidditatibus rerum et disceptant distinguentes eas a phoenomenibus de quibus solis docent nos cognitionem habere; at, quaeso, quomodo de essentiis aut quidditatibus rerum possent loqui nisi de eis aliquam cognitionem haberent et eas distinguerent a phoenomenibus? — 3.° Ipsa phaenomena ex hoc quod aliquid sunt oportet ut aliquam habeant naturam seu quidditatem vel ejusdem rationis vel diversae cum plura sint et adinvicem distincta; igitur ex hoc quod ipsa ab homine apprehenduntur ut distincta, et ut convenientia saltem ea quae sunt similia, eorum essentia vel quidditas apprehenditur et aliquo modo cognoscitur. — Unde omnino contradictorium est dictis asserere quod homo cognoscat phaenomena vel de iis factis disserere, disputare etc ipsa distinguendo, explicando, definiendo, et praecipue coordinando modo scientifico, et asserere quod essentias rerum nullo modo cognoscat. — Idest negatur et simul asseritur quod homo cognoscat essentias rerum. — Respondendo ergo ad argumentum in forma dicitur quod negatur *minor*. 1.° quia phaenomena, ut phaenomena sunt, ipsa sola non possunt esse objectum scientiae; scientia autem vere possidetur ab homine; et haec consistit in cognitione legum quibus phaenomena regulantur. Unde praeter phaenomena etiam leges cognosci indubium est, nisi omnis scientia tam rationalis quam experimentalis negetur; 2.° negatur *minor* quia phaenomena aliquam rationem suffi-

cientem habeant necesse est propriae existentiae non quidem in se, sed in re aliqua a qua procedunt, quae proinde saltem generice cognoscibilis est; 3.° phaenomena cum non sint per se subsistentia necesse est ut supponant aliquid per se subsistens in quo fundamentum habeant, quod proinde ex eis est cognoscibile aliquo modo sed de hoc suo loco dicetur (1).

Caput X.

De Scepticismo absoluto

(Zigliara, Crit. Lib. I. Cap. Un. Art. II; Liberatore, Log. Pars. alt. Cap. I. Art.II; De Maria, Log. Major. Tract. Un., quaest. III. Art. III, IV; Ausonio Franchi, Ult. Crit. pag. 292 seqq.; Hugon, Log. Maj. pag. 274 seqq.)

210. **Ratio capitis.** — Explicata et statuta realitate universalium agendum est de ipsa assecutione veritatis. Sed ad assecutionem veritatis praecipue opponitur scepticismus absolutus, qui omnem veritatem scientificam adipisci mentem nostram negat; igitur hoc obstaculum imprimis removendum est, ut inde liberi in cognitione veritatis incedere possimus. Itaque caput de scepticismo absoluto veluti praeambulum ad ea quae de assecutione veritatis dicenda sunt praemittimus. Sed quia est etiam scepticismus universalis hypotheticus qui veritatis assecutioni opponitur, ideo etiam de ipso per speciale caput agendum est.

211. **Scepticismi notio.** — *Scepticus* graece, idem est ac *consulens, quaerens;* et proprie illi dicuntur *sceptici* qui, veritatem quaerentes, nunquam veritatem

(1) Cf. Cajet. in opusc. *de ente et essentia,* c. VI. q. 4.

inveniunt, imo nec posse veritatem invenire contendunt, et ideo in omnibus adsensum suspendunt et de omnibus dubitant.

212. **Scepticismi sectatores.** — Scepticismi sectatores inter antiquos recensentur Sophistae; sed et Pyrrhoni (a. 380-288 ante Ch.) hoc systema tribuitur veluti scepticismi parenti quoad formam, ut ita dicam, scientificam; addunt autem in talem insaniam ab atheismo Democriti fuisse inductum. Tribuitur a quibusdam scepticismus etiam novae Academiae Platonicae, cujus disciplinam corrigere conatus est Zeno, (a. 360-263 ante Ch.) (1). Sed Arcesilas (a. 315-240) placitis et novitatibus Zenonis valide se opposuit scepticam doctrinam defendens. Carneades doctrinam scepticorum *de omnibus esse dubitandum* mitigasse visus est docens quamdam probabilitatem posse haberi de objectis saltem sensibilibus. In II Ecclesiae saeculo Sextus Empiricus scepticismum professus est circa sensibilia objecta et potissimum circa scientiam medicam. Sed ex quo Scepticismus iterum vehementissime prodiit recentioribus temporibus usque ad nos, fuit Renatus Des-Cartes dictus Cartesius (1596-1650), qui dubium universale professus est animo facilius inveniendi veritatem, falsis praejudicis excussis, ut dicetur infra. Hanc methodum plures secuti in scepticismum antiquorum inciderunt. Nam ponentes cum Cartesio ut objectum immediatum et directum ipsas affectiones seu modificationes subjecti sentientis aut intelligentis, non autem objecta realia ab affectionibus subjectivis omnino distincta imo et diversa, ad ipsam realitatem objectorum profitendam pervenire non potuerunt. Unde in scepticismum *empiricum* dictum etiam *sensisticum* atomistae, ut Thomas Hobbes,

(1) Cf. TULLIUM, *Accadem. poster.*, l. I, c. IV et IX.

Anglus (1588-1679), et Condillac Gallus (1715-1780) inciderunt; et psychologi in idealismum seu in scepticismum *idealisticum* dictum etiam *criticum* delapsi sunt, ut Kant (1724-1804), Hume etc. De quibus speciebus scepticismi infra erit sermo.

213. **Scepticorum sive scepticismi divisio.** — *Sceptici* dividuntur in *sensistas, subjectivos, ontologos* et *morales,* prout in dubium vertunt aut unum aut alium certitudinis fontem. — Sed dividi potest scepticismus etiam in *generalem* et *partialem,* et hanc divisionem sequimur in exponendis et refutandis doctrinis scepticorum.

Septicismus *generalis* alius est *absolutus,* alius *hypotheticus: absolutus* docet nihil certi a mente nostra cognosci posse; *hypotheticus* autem vult omnia in dubium esse revocanda, non ut in dubitatione persistat, sed ut homo praejudiciis et falsis persuasionibus expolietur, et pedetentim, omnia ad examen revocando, ad veritatem perveniat. In praesenti capite de *Scepticismo absoluto* loquimur; in sequenti de *Scepticismo hypothetico.*

214. **Certitudo vulgaris et philosophica.** — Certitudinem supra definivimus: *Firmus adsensus* sive *firma adhaesio mentis alicui cognoscibili sine ulla errandi formidine.* Haec certitudo uti jam diximus (n. 131) est *philosophica,* si adsignatur motivum seu criterium, quo *mens cognoscibili firmiter adhaeret;* et dicitur etiam *reflexa, juris, scientifica, logica, demonstrativa.* Si vero nullum motivum seu criterium adsignetur, dicitur *vulgaris, directa, simplex, facti, historica, naturalis.*

215. **Quaestio definienda.** — Quaestio definienda inter nos et scepticos non est de certitudine *vulgari,* sed de certitudine *scientifica;* non enim sceptici negant certitudinem *vulgarem:* unde *scepticismi* nomine in-

telligitur: *Systema quo affirmatur certitudinis vulgaris nullum motivum esse vel cognosci a ratione posse.* Ideo a scepticis negatur haberi posse certitudinem *philosophicam*, et ideo negatur Philosophia. Admittunt sceptici ea de quibus certitudinem vulgarem habemus vere et certe ita apparere, sed an secundum realitatem sint, dubitant.

216. **Conclusio.** — *Scepticismus absolutus est intrinsece absurdus.*

Prob.: Illud est intrinsece absurdum quod naturae aperte adversatur et contradictionibus manifestis implicatur. Atqui Scepticismus absolutus 1° naturae aperte adversatur; 2° contradictionibus manifestis implicatur. Ergo scepticismus absolutus est intrinsece absurdus. Major certissima est. — *Prob. minor* per partes:

1ª *Scepticismus absolutus naturae aperte adversatur:* — Quod est contra rationem aperte naturae adversatur. Sed scepticismus absolutus est contra rationem. Ergo naturae aperte adversatur. — *Prob. minor:* Ratio humana dictat ad veritatem scientifice cognoscendam se esse natam, ut patet ex coscientia uniuscujusque, ex qua habetur quod homines naturaliter *scire* desiderant, (quod et ipsi sceptici concedunt, utpote certitudinem vulgarem agnoscentes), et quidem scire desiderant scientia sumpta in sensu rigoroso pro cognitione per demonstrationem habita. Atqui scepticismus absolutus docet rationem non esse natam ad veritatem inveniendam, cum doceat rationem nunquam veritatem posse invenire, et de veritate invenienda esse omnino desperandum. Ergo scepticismus absolutus est contra rationem.

2ª *Scepticismus absolutus manifestis contradictionibus implicatur:* — Principium enim a scepticismo proclamatum *nihil certo a nobis cognosci posse*, vel *de*

omnibus esse dubitandum, aut est certitudine scientifica verum, aut est falsum; si falsum, scepticismus in falso principio fundatur; si verum, ergo saltem illud principium est verum: imo non illud solum, sed etiam multa alia; nam illud principium non est per se notum, secus non solum sceptici illud amplecterentur, sed communiter homines. Est ergo per ratiocinationem deductum; at si est recte per ratiocinationem tanquam certum deductum, supponit principia per se nota et certa, et pariter supponit conclusionem posse deduci ex praemissis, seu conclusionem scientificam certe haberi posse. — Insuper si illud principium per ratiocinationem est deductum, supponitur etiam in nobis esse facultates veraces, quae scilicet ex una veritate cognita ad aliam concludendam et ideo scientifice cognoscendam, sufficientes sint et idoneae: quae omnia contra Scepticorum systema sunt atque ipsum de manifesta contradictione arguunt.

Dices: Cum scepticus universalis nullum principium ut certum admittat, non potest refutari. Ergo vana est adducta argumentatio.

Resp.: Si scepticus revinci non potest, hoc non est ex impotentia nostra, sed irrationabilitate sua; neque enim cum amentibus disputatio institui potest: numquid ab amentibus ratione vincimur? — Deinde, si nos a disputatione cum sceptico abstinemus quia ratione non utitur, ipse nullam disputationem instituere potest contra nos: nam disputatio principia certa subaudit, quibus admissis, septicismus perimitur. — Sufficiat ergo nobis adolescentes et incautos praemonere, absurda scepticismi notando, ne incaute paralogismis Sophistarum commoveantur ac irretiantur.

217. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1ª — Illud systema doctrinale est retinendum, quod est maxime

remotum ab omni periculo errandi. *Atqui* Scepticismus absolutus universalis est maxime remotus ab omni periculo errandi. *Ergo* scepticismus absolutus et universalis est retinendus.

Rest.: Dist. maj.: Illud systema est admittendum quod etc... si tamen perducat ad veritatis cognitionem, *concedo*, si praecludat viam ad veritatem, *nego*. *Nego* autem *minorem* et *nego consequens* et *consequentiam*. — Quid sibi vult scepticismus? Nempe ut ab errandi periculo caveat, errorem maximum et pessimum proclamat, mentem adigendo ad contradictiones, eamque a veritate plane avertendo; similis stulto, qui ut vitaret periculum sumendi venenum, ab omni cibo potuque abstinendum esse censeret.

Obj. 2ª — Qui semel et iterum et saepe fallitur aut nullam aut dubiam solummodo fidem meretur. Atqui ratio humana, unde scientia acquiritur, et semel et iterum et saepe fallitur. Ergo aut nullam aut dubiam solummodo fidem meretur in scientiis.

Resp.: 1° Si haec ratio concludit, ipse Scepticismus evertitur, nam oportet ut praemissae supponantur verae et certae, ut inde conclusio certa deduci possit; et praecipue oportet ut supponatur scientia logica; haec autem sunt contra Scepticismum.

2° Sequitur etiam quod si ratio humana nullam aut dubiam fidem meretur, etiam dum proclamat Scepticismum est idem de ea dicendum.

3° *Dist. maj.:* Qui fallitur per accidens et circa quae dam intelligibilia tantum, nullam aut dubiam fidem meretur, *nego*. Qui fallitur per se et circa omnia, *concedo*. Et *contradistincta minori, nego conseq.* — Ratio humana de se sive ex natura sua tendit ad veritatem. Est autem prorsus contradictorium asserere id quod natura sua ad veritatem tendit, esse natura sua per se errori obnoxium. Non fallitur igitur humana ratio per se;

fallitur vero quandoque per accidens, vi nempe causae sibi extrinsecae, quae ipsi est impedimento quominus explicet naturaliter seipsam; eo ferme modo quo aliae causae naturales effectum per se producunt propriae naturae consentaneum, sed quandoque a recta operatione deficiunt per accidens, ob aliquod impedimentum eis ab extrinseco proveniens.

Obj. 3ª — *Subsumes:* Atqui humana ratio fallitur per se. Ergo nulla data distinctio. — *Prob. subsumptam:* Ratio humana per se est fallibilis. Ergo per se fallitur et fallit.

Resp.: Nego min. subsumptam, et ad prob. dist. antec.: Ratio humana per se est fallibilis actu, *nego;* est fallibilis potentia, *subdist.* Quoad omnia intelligibilia, *nego;* quoad aliqua, *iterum subdist.:* Indeterminate est per se fallibilis, *conc.;* determinate, *nego.* — Ratio humana, quia infinita non est, potest a veritate deficere, sicut homo potest mentiri; at sicut nonnisi inique inferretur, quod homo semper actu sit mendax et per se, ita inferri non potest, quod mens semper erret, ex eo quod quandoque errat; vel, cum errat, quod erret per se. Similiter ex eo quod ratio nostra natura sua sit finita, sequitur quod potentia sit per se fallibilis, sed non quoad omnia intelligibilia. Sunt enim quaedam, puta prima principia per se nota, circa quae tam impossibile est quod ratio fallatur, quam impossibile est ipsam simul apprehendere et non apprehendere objectum: hoc enim apprehenso, statim et simul apprehenditur praedicatum aliquod ipsi convenire vel repugnare necessario. Unde error est impossibilis.

Obj. 4ª — Ratio humana quandoque fallitur et non animadvertit se falli, secus ab errore se retraheret. Ergo de ejus testimonio semper debemus esse suspecti.

Resp.: 1.° *negando consequentiam*, quae nonnisi sophistice infertur. In antecedente enim adversarius loquitur solummodo de aliquibus casibus in quibus humana ratio fallitur et non per se, sed per accidens. Et concludit de ipsa ratione per se et in omnibus. Quamvis enim ratio humana, cum fallitur, nesciat se falli, adserimus tamen rationem humanam necessario et infallibiliter cognoscere se non falli, dum certa est de pluribus rebus, seu quando certo scit se certo scire, si ita loqui fas est.

Resp. 2° quod licet ratio humana non animadvertat fallaciam suam dum fallitur, potest tamen animadvertere vel saltem suspicari de fallaci argumentatione et cohibere judicium.

Caput XI.

De Scepticismo universali hypothetico

(Zigliara, Critica, Lib. I, c. un., a. III; Liberatore, Log. Pars alt. C. VII, Art. II; De Maria, L. c.; Schiffini, Log. l. c.; Hugon, L. c. pag. 284 seqq.; Mercier, Crit. l. c. I.)

218. **Quaestio.** — In praesenti capite movetur quaestio an *Scepticismus* sive *dubitatio* universalis possit adsumi a philosopho viro, non quidem ut in ipsa dubitatione persistat, sed ut hypothesis, ad hoc ut omnia examini subjiciantur, et exuantur, hac methodo, falsa praejudicia et falsae opiniones quibus homo imbuitur.

219. **Cartesius.** — Cartesius (1596-1650) quaestionem resolvit affirmative jure et facto. — Posuit enim se posse dubitare de existentia eorum quae ministerio sensuum accipimus, idest de rebus sensibilibus, de veritatibus metaphysicis, quam tum intel-

ligentia, tum ratione habentur, non exclusis *primis principiis per se notis ;* et ideo de ipso testimonio intellectus et rationis. Sed animandvertit nullo modo se posse dubitare de *subjecto cogitante,* idest de existentia sui ipsius cogitantis. Unde statuit *verum,* quod nullum patitur dubium, esse factum individualis cogitationis et existentiae expressum per hanc propositionem : *Cogito, ergo sum.* Quod principium, quamvis enthymematice sit expressum, non ut enthymema tamen, sed ut *factum* simpliciter asseritur a Cartesio, ut ipsemet declarat.

220. **Praenotanda quaedam.** — In antecessum concedendum est viro philosopho, qui sibi veritatem quaerere proponit, duo esse pernecessaria : 1.° Scire dubitare ; 2.° solvere dubitationes quae plenam veritatis consecutionem impediunt. — Scire dubitare, hoc est sapienter cohibere judicium circa ea quae dubitabilia sunt, et dubia pro certis imprudenter non assumere. — Deinde solvere dubitationes quae mentem inquirentem veritatem plurimum impediunt. His praemissis sit :

221. **Conclusio.** — *Methodus cartesiana rationabiliter admitti nullatenus potest.*

Prob. : Methodus cartesiana supponit id quod supponi nequit, et adversatur fini propter quem adsumitur, sibi ipsi repugnat, et ad negationem cujuslibet certitudinis perducit. Atqui methodus quae est hujusmodi, rationabiliter admitti nequit. Ergo methodus cartesiana rationabiliter admitti nullatenus potest. — *Minor* argumenti est per se manifesta. *Prob. major* quoad triplicem suam partem :

1.ª *Methodus cartesiana supponit id quod supponi nequit, et adversatur fini propter quem adsumitur.* Nam methodus cartesiana supponit possibilem dubitationem universalem de omnibus, quod esse falsum et

absurdum satis demonstravimus in praecedenti capite. Et hoc non solum de dubitatione absoluta dicendum est, sed etiam de dubitatione *hypothetica* Cartesii; nam eo ipso quo dubitatio hypothetica adsumitur ut *methodus* et facilior via ad veritatem inveniendam, jam supponitur veritatem posse a mente humana inveniri, et ideo supponitur veracitas intellectus et rationis. Cum ergo in hac methodo supponatur posse de omnibus dubitari omnino, supponitur id quod supponi nequit. Sed praeterea *adversatur fini propter quem adsumitur:* nam finis hujusmodi est veritas invenienda; at dubitatio de veracitate intellectus et rationis et de ipsa inventione veritatis (de qua etiam vi methodi cartesianae dubitari oportet) adversatur ipsi veritati inveniendae, ut patet. Insuper dubitatio de primis principiis impedit quominus quis procedat ad conclusiones certas inferendas, nisi prius dubitationes relinquat. Ergo methodus cartesiana supponit id quod supponi nequit et adversatur fini propter quem adsumitur.

2.ª *Methodus cartesiana sibi ipsi repugnat.* Etenim Cartesius ideo dubitationem universalem hypotheticam inducit, quia etiam de ipsa ratione, quae aliquando *falsa* pro *veris* admisit vult esse dubitandum. Ergo Cartesius supponit aliquid certum, idest: *rationem falsa pro veris admisisse.* Sed hoc nonnisi per rationem deprehendit. Ergo Cartesius ut certum et veridicum supponit testimonium rationis, dum ut dubium enuntiat. Et ita Cartesius vi suae methodi sibi ipsi repugnat. — Praeterea admittit dubitationem circa testimonium rationis, quia aliquando *falsa pro veris admisit,* et simul per manifestam inconsequentiam certissimum ponit ipsius rationis testimonium circa *cogito, ergo sum:* nam hoc factum a conscientia, hoc est a ratione

ipsa et a sola ratione, renuntiatur. — Insuper Cartesius simul cum aliis principiis vertit etiam in dubium principium contradictionis, scilicet: *Impossibile est aliquid simul esse et non esse secundum idem.* Sed hoc principio in dubium revocato, sequitur etiam quod quis possit dubitare de proprio esse et de propria cogitatione; potest enim dubitare, et ideo non esse certus, se non esse dum est, et se non cogitare dum cogitat. Et ideo in dubium revocatur etiam illud Cartesii: *Cogito, ergo sum.* Ex hoc sequitur:

3.ª *Quod methodus cartesiana ad negationem cujuslibet certitudinis perducit.* Nam verso in dubium illo principio vel effato: *Cogito, ergo sum,* nihil omnino certum in illa methodo Cartesiana remanet, ex quo possit veritas certo deduci; et ideo vi methodi non potest ad ullam certitudinem perveniri. Insuper *Cogito, ergo sum* est veritas objectiva respectu rationis reflexae, ad quam pertinet ex illa veritates omnes alias deducere, cum illa sola, vi methodi, admittatur ut certa. Cum ergo Cartesius doceat esse dubitandum de omnibus veritatibus objectivis, idest tum de veritatibus metaphysicis, tum de conscientia quae testatur nostras sensationes, consequitur dubitandum esse de ipso objecto reflexionis psychologicae idest de subjecto cogitante, saltem ut est objectum rationis reflexae, et ideo prout est principium in quo juxta Carthesium instruitur et innitur omnis cognitio; unde habetur dubitatio absoluta et universalis, ex qua nulla veritas scientifica haberi potest.

Caput XII.

De assecutione veritatis

(Cf. auctores citatos cap. praec.)

222. **Ratio capitis.** — Excusso scepticismo utpote cumulo absurditatum scatente quaestionem de assecutione veritatis adgredimur. Veritatem autem assequi non possumus nisi per actus intellectus, qui ad duos reducuntur nempe ad simplicem apprehensionem et ad judicium; igitur agendum est 1.° de ipsa assecutione veritatis in genere; 2.° de actibus quibus veritatem adsequimur; sed quia veritas perfecte consistit in judicio, ut patebit ex dicendis, et simplex apprehensio ad judicium ordinatur, in quo habet suum complementum, post ea quae diximus de universalibus, quae sunt objectum simplicis apprehensionis, praecipue de veritate in ordine ad judicium, seu de ipso judicio dicendum est. — Natura ergo, et species judiciorum est expendenda, et inde statuenda eorum objectivitas. Haec per varia capita peragemus.

223. **Quaestio.** — Refutato scepticismo quaeritur statim de ipsa assecutione veritatis; generalissime loquimur, ut patet, et quaerimus an mens humana possit adsequi vel de facto veritatem per certitudinem adsequatur.

224. **Punctum quaestionis.** — I. Quaestio in hoc sita est: An homo utens ratione possit veritatem invenire; non enim loquimur de homine qui ratione non utitur, hujusmodi enim est similis lapidi; et ideo de ipso non est curandum, neque quaestiones cum ipso instituendae sunt; absurdum est enim velle

disputare cum lapide et cum illis qui ratione non utuntur; et similiter absurdum est instituere disputationem cum illis qui omnia dicunt negare aut de omnibus esse assensum suspendendum; sed disputandum est cum iis qui sincere veritatem quaerunt.

II.— Haec quaestio non est confundenda cum quaestione de rerum actuali existentia; nam *veritas* ab actuali rerum existentia praescindit; unde neque consequenter in praesenti quaestione quaerimus an intellectui cognoscenti aliquod reale objectum *existens* correspondeat; nam *veritas* optime concipi potest circa aliquod objectum quin existat, ut si dicam: *Circulus est rotundus.* Hoc ut verum concipitur etiam si nullus circulus existat, sufficit enim ad veritatem quod praedicatum verificetur de subjecto concepto; et similiter verum est quod si *aliquis currit, movetur,* licet de facto nullus currat, aut moveatur.

225. **Conclusio I.** — *Intellectus sive mens potest veritatem assequi, imo de facto eam assequitur saepissime.*

Prob.: Tunc mens potest veritatem assequi cum praedicatum ab ea conceptum vere continetur in subjecto quod sit similiter ab ea conceptum; et de facto eam consequitur, cum iudicat praedicatum contineri et de facto continetur in subjecto. Atqui multa sunt praedicata vere concepta a mente contenta in subjecto vel subjectis pariter a mente conceptis, et de facto mens judicat ea in subjecto contineri. Ergo mens saepe potest adsequi veritatem. — *Prob. minor* exemplis: Hoc praedicatum rotunditas vere a mente conceptum continetur in circulo vere a mente concepto. Rationalitas vere concepta a mente continetur in homine a mente pariter concepto; imo de facto multa sunt judicia in quibus praedicatum conceptum includitur in ipso subjecto concepto.

2.° Quando praedicatum vere conceptum continetur in ipso subjecto apprehenso non solum potest affirmari de illo sed etiam traditur ratio evidentissima quare ei conveniat, nam ratio est quia in ipso subjecto concepto continetur. Adde quod plura objecta concepta ab ipso intellectu constant ex unione diversorum praedicatorum quae intellectus cognoscit et potest in ipso subjecto recognoscere 1.° quia sunt illa ipsa; 2.° quia ipse illud subiectum ex essentiali unione illorum praedicatorum denominavit. Sic e. g. nomine hominis intelligitur complexus praedicatorum unitorum per entitatem, substantiam corpoream, viventem, sensibilem, rationalem. Hujusmodi autem conceptiones simplicissimae sunt; unde falsitas eis admisceri non potest. Hoc nomen angulus rectus exprimit complexum praedicatorum unitorum ab ipso intellectu. — Angulus enim rectus (praescindimus ab ejus existentia) habetur per unionem conceptuum seu praedicatorum simplicissimorum, idest per conceptus duarum linearum, per conceptum *occursus* earumdem — modo perpendiculari — per conceptum seu praedicatum perpendicularitatis.

226. **Conclusio II.** — *Mens humana potest assequi veritatem scientificam proprie dictam.*

Prob. 1.°: Cum praedicatum conceptum a mente contentum in notitia subjecti cui ab ipsa mente tribuitur, habeat suam comprehensionem, (n. 73), oportet ut comprehendat sua praedicata in sui notitia inclusa, quae mens ipsi tribuere potest verissime veritatem logicam assequendo (n. praec.). Atqui ex hoc ipso quod de tali praedicato primo subjecto tributo affirmat unum vel plura praedicata, potest vere illa ipsa praedicata tribuere etiam primo subjecto (cf. n. 73 et 95); in qua affirmatione consistit veritas logica scientifica. Ergo mens potest assequi veritatem scientificam.

2.° Mens potest certe et vere cognoscere prima principia quorum praedicatum includitur in ipsa notione subjecti (n. praec.). Atqui ex veritatibus jam certe praecognitis, si leges sequatur supra expositas potest mens devenire certe in cognitionem conclusionis (cf. n. 92-99); in qua cognitione certe consistit veritas logica scientifica (n. 125 et 142). Ergo potest mens assequi veritatem logicam scientificam.

3.° Indubium est mentem nostram plura concipere universalia praedicata quasi simplicissima et generalissima objecta, uti sunt: Entitas, unitas, veritas, substantialitas, rationalitas, sensibilitas, activitas, linea, rotunditas etc. atque simul unire per judicia; sic autem unita per varia nomina exprimere, unde habetur ens corporem, sensibile, rationale, circulus, triangulus etc. Hujusmodi autem expressiones compositae plures conceptus quasi praedicata continent utpote ex eis compositae, et quamvis clarae sint illis qui studio hujusmodi compositiones fecerunt, quia ab ipsis de facili possunt iterum per analysim resolvi in sua elementa, tamen aliis et communiter hominibus obsurae sunt propter debilitatem intellectus, qui licet *unico actu* possit rationes illas universales simplices clare percipere, non tamen earum compositionem, praecipue si ex multis illis elementis simplicibus constent. At sicut per synthesim habetur illarum unio, et compositum (quod ordinarie est objectum sermonis inter homines) ita per analysim habentur illa objecta simplicia ex quibus compositum constat, quae objecta simplicia clare a debili virtute intellectus nostri concipiuntur, et ideo in illis compositis recognoscuntur; et clare apparet conformitas inter illas rationes simplices ab intellectu primitus clare perceptas et ipsum compositum tales rationes continens.

4.° Praeter compositiones veras saepe compositio-

nes falsae fiunt ab intellectu per hoc quod uniuntur ea quae sunt incompossibilia; et sic res seu objecta per hujusmodi compositiones explicantur et definiuntur sicut si diceretur: *Animal rationale quadruplex; circulus quadratus; summa angulorum trianguli aequatur tribus rectis.* Veritas autem aut falsitas harum per analysim praedicatorum dignoscitur sive immediate si praedicata sint simplicia, sive mediate si non sint simplicia ita tamen ut indigeant in simplicia resolvi — sic enim apparet veritas et falsitas — quae tota consistit in convenientia vel disconvenientia praedicati cum subjecto.

5.° Concedunt sceptici referri a coscientia tanquam factum certitudinem vulgarem; quam proinde admittunt et distinguunt a dubio, ab errore etc. Atqui eadem conscientia refert mentem saepissime saltem moveri ab aliquo *motivo* ad adsentiendum objecto cum certitudine; ergo sicut admittitur certitudo ita etiam motivum ejus admitti debet. — Insuper mens distinguit quando datur motivum et quando non datur, motivum sufficiens et non sufficiens, motivum immediatum et motivum mediatum sicut distinguit ipsam certitudinem vulgarem a dubio, ab opinione etc. — Adde quod mens naturalem habet aptitudinem ad veritatem adsequendam.

CAPUT XIII.

De actibus quibus mens veritatem assequitur

(ZIGLIARA, Crit. l. I. cap. un., art., I.; LIBERATORE, Log. Pars, alt., cap. I. a. I; DE MARIA. Logica Major, tract. un., Quaestio II. art. I. et II et III; HUGON, Log. Maj pp. 264 seqq.).

227. **Quaestio I.** — Veritatem posse hominem adsequi patet loculentissime ex dictis (n. 225); ideo nunc determinari debet quomodo sive quibus actibus veritatem homo consequitur.

228. **Conclusio I:** — *Veritas logica per simplicem apprehensionem* 1° *a mente habetur quidem;* 2° *sed imperfecto modo.*

Prob. 1ª *pars:* — Veritas logica nihil aliud est quam conformitas intellectus cum re intellecta. Atqui per simplicem apprehensionem habetur talis conformitas. Ergo per simplicem apprehensionem habetur veritas logica. — *Major* patet ex dictis (n. 125). *Minor* prob.: Simplex apprehensio est vera cognitio intellectus; sed cognitio vera sine conformitate seu sine ordine aut relatione ad objectum cognitum repugnat omnino; ergo per simplicem apprehensionem a mente habetur conformitas cum re intellecta.

Prob. 2ª *pars:* — 1° Simplex apprehensio in nobis importat imperfectam cognitionem; atqui veritas logica, sive conformitas intellectus, sequitur cognitionem. Ergo simplex apprehensio importat imperfectam conformitatem sive imperfectam veritatem logicam. — *Major* probatur ex eo quod simplex apprehensio in nobis ordinatur ad judicium; non enim per simplicem apprehensionem rei intelligimus ea quae ipsi rei conveniunt (hoc enim ad Deum et ad angelos pertinet), sed ea, quae rebus conveniunt, divisim et per plures actus apprehendimus et inde simul conjungimus per judicium, in quo perfecta cognitio consistit.

2° Aliquid dicitur esse perfecte in mente, cum est in ea secundum modum proprium ejus, idest per modum cognitionis, seu cum est in ea ut cognitum in cognoscente. Sed per simplicem apprehensionem veritas logica, idest ipsa conformitas quae est in mente ad rem apprehensam, non est in mente ut cognitum, quia ipsa non cognoscitur. Ergo est in mente imperfecto modo.

229. **Conclusio II.** — *Mens nostra simpliciter apprehendens* 1ª *est semper vera* per se : 2ª per accidens *potest ipsi inesse falsum.*

Prob. 1ª *pars :* — Simplex apprehensio, si consideretur *in se* et *per se* prout non includit aliquid extraneum, idest judicium, neque explicite neque implicite, est de objecto omnino simplici, non solum prout est in re, sed etiam secundum quod menti objicitur. Atqui actus qui refertur ad objectum omnino simplex errare non potest : aut enim tale objectum apprehenditur, et non est error ; aut aliud simplex apprehenditur loco illius, et tunc talis apprehensio est vera respectu hujus objecti apprehensi. Ergo mens nostra simpliciter apprehendens est semper vera *per se* (1).

Prob. 2ª *pars :* — Contingere potest ut in apprehensione simplici judicium contineatur ; sicut e. g. cum intellectus alicui rei definitionem applicat, aut cum efformat definitionem partes definitionis componendo ad invicem. Atqui in utroque casu potest esse falsitas. Ergo in simplici apprehensione quandoque per accidens, idest ratione judicii, potest esse falsitas. — *Prob. minor :* Intellectus potest definitionem unius rei alteri tribuere, ut si definitionem circuli tribuat homini ; vel definiendo aliquam rem potest componere partes quae simul componi et stare non possunt, ut si formet talem definitionem : *Animal rationale quadrupes.* Unde in apprehensione simplici qua intellectus apprehendit *animal rationale quadrupes*, est falsitas ratione compositionis, sive judicii inclusi (2).

230. **Conclusio III.** — *Veritas vel falsitas logica plene et perfecte habetur per judicium.*

Prob. : 1° Quaelibet propositio aut est vera, aut est

(1) Cf. S. Th. P. I. qu. XVII. a. 3 ; et qu. LXXXV, a. 6.
(2) Cf. S. Th. l. c.

falsa, simpliciter et absolute loquendo. Atqui propositio, cum sit signum judicii, non potest esse vera vel falsa, nisi quatenus exprimit judicium verum aut falsum. Ergo veritas et falsitas simpliciter et absolute habetur per judicium.

2° In omni judicio aliquod praedicatum aut affirmatur aut negatur convenire subjecto. Atqui si praedicatum quod affirmatur de subjecto ipsi subjecto convenit, aut quod negatur non convenit, habetur plena conformitas inter intellectum et rem de qua est judicium, et ideo plena *veritas* quae est ipsa *conformitas,* ut dictum est (n. 125). Si autem praedicatum quod affirmatur ab intellectu ipsi subjecto non convenit, habetur *difformitas* inter intellectum et rem, et ideo falsitas.

3° Ex hoc ipso quod intellectus aliquod praedicatum alicui subjecto convenire perspicit, oportet ut cognoscat conformitatem quae est inter *praedicatum cognitum* (ante judicium) sive in mente expressum et ipsum subjectum. Sed conformitas ista quae est inter praedicatum in mente expressum et ipsum subjectum de quo affirmatur, est ipsa conformitas quae est in intellectu. Ergo per judicium cognoscitur ipsa conformitas quae est in intellectu ad rem ; et ideo cognoscitur ipsa *veritas* quae non distinguitur a conformitate, idest per judicium *veritas* est in intellectu *ut cognita,* quod est esse in intellectu secundum proprium modum intellectus, et ideo modo perfecto (1).

231. **Quaestio II.** — Ad plene cognoscendam naturam veritatis quae habetur perfecte in judicio oportet intimius judicii scrutare naturam, quia ex falsa notione judicii ipsa ratio veritatis falsatur et pervertitur. Igitur quaeritur in praesenti an praedica-

(1) Cf. S. Th. P. I. qu. LXXX, a. 6. cum. Comm. Card. Cajet., et Bannes.

tum in judicio vere et proprie per actionem intellectus uniatur seu applicetur subjecto vel detegatur potius subjecto convenire seu an judicium sit perceptio seu apprehensio quo intellectus intelligit praedicatum esse identicum in subjecto et cum subjecto, vel sit actio vere unitiva seu applicativa praedicati extra subjectum omnino positi.

232. **Momentum hujus quaestionis.** — Haec quaestio maximi momenti est quia non desunt qui putant intellectum judicando duo conjungere quae sint separata ; unde ante judicium ponunt separata, post judicium conjuncta et identificata quasi unio et identitas sit ex ipsa unione, et ex ipso judicio intellectus. Hanc positionem afferre magnum inconveniens non animadvertitur et quidem perniciosissimum in scientiis : hinc enim errores subjectivismi, scepticismi, rationalismi, ontologismi etc.

233. **Requisita ad judicium.** — Recolendum est ad judicium efformandum seu habendum requiri: 1.° apprehensionem subjecti, et praedicati singillatim, 2.° comparationem utriusque.

234. **Conclusio.** — *Judicium est actus simplex, quo intellectus perspicit praedicatum convenire subjecto — non autem quo praedicatum subjecto conjungit quasi sit causa unionis.*

Et imprimis quod judicium sit simplex actus, quo intellectus perspicit seu intelligit praedicatum convenire subjecto conceditur et nulla est difficultas : — quod autem non conjungat praedicatum ipsi subjecto :

Prob : 1.° Intellectus supponit praedicatum esse subjecto unitum. Ergo ipse non conjungit quasi sit causa unionis. — *Prob. antec. :* Quando dico : Franciscus est doctus intantum dico et judico inquantum suppono in Francisco esse doctrinam ; unde si doctrina in eo

non esset et non praesupponeretur a meo intellectu non vere dicerem: Franciscus est doctus; idem patet esse dicendum de aliis praedicatis, puta quod est *homo, pictor, virtuosus* etc. Quod dicitur de hoc individuo quod est Franciscus, verificatur de qualibet re quoad ea quae de ipsa praedicantur ut vere et realiter ipsi convenientia.

2.° Judicium aut est immediatum aut mediatum; si immediatum praecipue analyticum, tum praedicatum continetur non solum in ipso subjecto sed in ipsa notione quam intellectus habet de subjecto. Ergo intellectus videt praedicatum jam esse unitum subjecto ante ipsum judicium; unde in judicio videt praedicatum praeconceptum contineri in subjecto; non ergo judicium est causa unionis. Si autem judicium est mediatum hoc est per ratiocinium deductum, tunc non videt et non affirmat praedicatum convenire subjecto nisi quatenus videt hoc praedicatum contineri in alio universaliori quod videt immediate et per se convenire eidem subjecto (n. 95).

3.° Si praedicatum proprie coniungitur ab intellectu per judicium ipsi subjecto sequitur quod subjecto conveniat accidentaliter, dependenter ab intellectu, non autem secundum se et essentialiter, unde judicia analytica et a priori nulla essent. Assumatur hoc exemplum: *Homo* est *animal;* manifestum est quod animal convenit *homini* essentialiter, independenter a mente mea; et hoc patet ex eo quod *homo* non pendet a mente mea, nam homo vere est in hoc vel illo individuo de quo praedicatur ut aliquid realiter conveniens ex sua natura; non enim Paulus est *homo* propter affirmationem meam vel tuam, sed secundum se; et nota quod *homo* realiter convenit ei et est perfectio realis et essentialis ipsius, imo est ipse *Paulus,* de ipso enim vere affimatur.

At si homo est objective aliquid reale in individuo hoc vel illo, etiam animal quod affirmatur de *homine* ut essentiale attributum ipsius, sine quo ipse *homo* evanescit, debet esse aliquid reale. Unde in illo judicio analytico supra relato subjectum *homo* et praedicatum *animal* sunt simul conjuncta in natura idest in ipsa re independenter a mente; non ergo judicium est ratio et causa unionis.

235. **Quomodo intellectus dicatur componere.** — Sicut per hoc quod intellectus dicitur dividere per analysim praedicatum a subjecto non significatur vere dividere per veram et objectivam seu realem separationem, sed dividere logice, quatenus judicat seu videt ea esse divisa non in re sed in actibus distinctis secundum quod unum apprehendit distincte et separatim ab alio, ita cum dicitur intellectus conceptus objectivos componere puta subjectum et praedicatum non significatur quod vere et realiter separata componat et uniat, sed significatur quod ea quae consideravit prius separatim ipsemet considerat et judicat essé unita; cognoscit ergo esse unita ea quae pluribus actibus separatim apprehendit (cf. n. 234).

CAPUT XIV.

Definitio et origo judicii analytici et synthetici

236. **Ratio capitis.** — In logica minori consideravimus judicium in ordine ad ratiocinium quoad ejus materialem structuram, ut ita dicam, et quoad connexionem et relationem quae est inter ipsa elementa judicii; de objectivitate judiciorum nihil diximus sed certe supposuimus judicia vera objectivitate gaudere, ut ipsa evidentia et quidem immediata testatur; unde hac evidentia ducti jam fundamenta

hujus objectivitatis categorias Aristotelicas recensentes, posueramus (n. 11-13). At subjectivismus judiciorum objectivitatem admittere recusat, quia, ut ipse ait, ex diligenti examine ea nulla objectivitate gaudere constat. Ideo de judiciorum objectivitate agere in logica materiali, quae critica audit, cogimur. Igitur nunc de judiciorum agimus objectivitate non quasi de ipsa dubitantes, res enim evidentissima est, sed ut fundamenta subjectivismi vana esse patefiat. Oportet ergo nunc intimius judicii perscrutare naturam, suppositis iis quae in logica minori exposuimus, judicii notiones et divisiones falsas aut aequivocas rejiciendo. Quod cum profectu juvenum fieri posse confido eo quod eorum mentes post ea quae in logica minori exposuimus sufficienter paratae inveniantur. Ne mireris, benigne lector, si diffuse hanc materiam pertractandam suscipio. Adverte omnes errores modernos philosophicos subjectivisticis positionibus Kantianis quasi fundamentis fulciri.

237. **Notio judicii analytici et synthetici tradita a Kantio.** — Emmanuel Kantius quem sequuntur Neo-critici et generatim subjectivistae, sternens principia suae doctrinae incipit fere statim a tradenda definitione judicii quod distinguit in analyticum et syntheticum. Sic igitur utrumque exponit (1). « Aut *praedicatum B,* pertinet ad *subjectum A,* sicut aliquid contentum (implicite) (2) in hoc conceptu A; aut B remanet omnino extra conceptum A, quamvis

(1) *Critica della ragion pura.* Introduzione IV. Traduz. Italiana di G. Gentile e G. Lombardo-Radice P. I. ed. Bari, Laterza, 1910.

(2) Implicitamente : sic vertit Gentile. — In alia versione Itala edita Paviae, a. 1820, sic vertitur : quantunque in maniera oscura o non appariscente — idest : quamvis obscure, aut non appareat in ipso subjecto contineri.

cum ipso connexionem habeat. — In primo casu judicium *analyticum*, in secundo casu *syntheticum* voco ». — Et inde concludit « Igitur judicia analytica illa sunt in quibus unio praedicati et subjecti cogitatur ut identitatem importans, synthetica vero illa in quibus habetur unio sine identitate. — Prima judicia (*analytica*), vocari possunt judicia analytica *explicativa* (1), alia *extensiva*, nam priora (analytica) per praedicatum nihil conceptui subjecti addunt, sed solum dividunt analysi conceptum illum in suos conceptus partiales qui in illo cogitabantur, (quamvis confuse); cum e contra posteriora (synthetica) addunt conceptui subjecti praedicatum quod in illo nullo modo cogitabatur neque analysi ulla deduci poterat ».

238. **Aequivocatio et confusio definitionis seu notionis judicii analytici et synthetici traditae a Kantio.** — Expositio judiciorum a Kantio posita licet aliquid veri habeat, tamen admitti non potest ut jacet, praecipue si consideretur et sicut de facto ponitur veluti fundamentum eorum quae inde exponuntur; quia aequivocatione laborat ac proinde erroribus et quidem perniciosissimis viam sternit. Et revera in illa notione immiscetur sine ulla cautela *subjectum* et *conceptum* subjecti ita ut ex uno ad aliud sine ulla distinctione fiat transitus, unde dicitur: « Aut praedicatum B pertinet ad subjectum A sicut aliquid contentum (implicite) in hoc conceptu A » etc. — Hic autem transitus ex *subjecto* idest ex *re* de qua affirmatur praedicatum ad conceptum perpetuo fit in doctrina Kantiana; quasi sci-

(1) Gentile vertit: *di esplicazione, di estensione.* — Altera versio cit. Prima judicia vertit: *rischiaranti*, alia *amplificanti* — idest *declarativa* — *amplificantia*.

licet id quod dicitur de *subjecto* seu de objecto de quo affirmatur praedicatum, dici possit de ipso *conceptu* sine ulla distinctione accepto, et viceversa. Cum e contra objectum seu subjectum judicii evidenter distinguatur a *conceptu*, qui est exclusive in *mente*. Et licet si sumatur objective identificetur cum subjecto, haec tamen *identitas* intelligi debet quantum ad id quod in conceptu continetur, non vero quantum ad id quod est *formale* in conceptu; unde cum grano salis admittenda est ob periculum confusionis et permixtionis conceptus seu modi quo intellectus concipit cum ipso objecto.

239. **Notio Kantiana judicii analytici est causa erroris.** — Insuper per hoc quod dicitur praedicatum contineri in *conceptu subjecti* habetur eadem confusio et aequivocatio quae periculosa est; nam aliquod *subjectum* per unum conceptum quandoque partialiter quandoque totaliter, quandoque perfecte quandoque imperfecte etiam ab eodem intellectu, et quidem per unum actum mentis, apprehenditur. Imo quandoque et saepe etiam ea quae distincta a natura subjecti sunt eodem conceptu concipiuntur; sicut cum dico: Paulus est doctus — dicere hoc non possem *sine temeritate* nisi in conceptu quem habeo de hoc individuo Paulo idest de hoc *subjecto*, contineretur conceptus doctrinae, imo sine falsitate dicere non possem nisi in ipso Paulo contineretur vere et proprie doctrina quae a me in eo esse concipitur — per illum actum quo judico. — Unde si acceptetur illa definitio sine ulla explicatione periculum est saltem incautis quod praefatum judicium et similia inter analytica computetur.

240. **Deficentia definitionis Kantii.** — Notio Kantiana judicii analytici in qua dicitur praedicatum contineri implicite in conceptu subjecti non est

exacta imo est deficiens. — Etenim in judiciis analyticis praedicatum non semper implicite sed quandoque explicite continetur in *conceptu subjecti ;* sicut si dicam : *Circulus* est *rotundus,* rotunditas enim in conceptu circuli explicite continetur (1).

241. **Ex definitione Kantiana duo errores notantur secuti.** — Ex hoc defectu alius sequitur idest quod non ponitur distinctio inter judicia analytica immediata et mediata, et hinc sequi videtur Kantii error quod scilicet in judiciis analyticis praedicatum non est nisi repetitio subjecti (2), et similiter alius error quod scilicet in nostris conceptibus ea omnia actu reperiri saltem confuse quae continentur latenter in ipsa natura subjecti ab intellectu nostro non perfecte cognita.

242. **Aequivocatio et falsitas definitionis judicii synthetici a Kantio traditae.** — Reprehensione non minus digna est definitio judicii synthetici in qua dicitur quod *praedicatum* B remanet *omnino extra conceptum* A — ob fere easdem rationes ; nam imprimis licet verum esse possit praedicatum non contineri in conceptu subjecti ante judicium, non tamen verum est non contineri dum efformo judicium ; quo enim jure affirmare possem praedicatum convenire subjecto si non conciperem ipsum esse in subjecto ? Unde haec definitio saltem aequivoca est. — Insuper contingere potest quod in ipsis judiciis analyticis praedicatum ante ipsum judicium non contineatur in conceptu subjecti ; etenim quando natura subjecti imperfecte vel partialiter concipitur a meo intellectu tunc contingere

(1) Fortasse hic defectus non in Kantium sed in ipsam versionem refunditur. — Igitur si hoc verum est notetur quod a Kantianis alii defectus superadduntur expositioni magistri.

(2) L. c.

potest quod aliquod praedicatum etiam essentiale ipsi subjecto, vere contentum in natura ipsius, in meo conceptu non contineatur si actu a me non concipitur; unde conceptum in hac hypotesi nullum habeo, licet possim habere et fortasse postea per deductionem habeam. Similiter si conceptus de subjecto est valde obscurus nulla vel admodum pauca praedicata in ipso contenta mihi exhibet; et falsum est adserere quod ea actu concipiam vel de illis habeam conceptum nisi fortasse in potentia; sed habere aliquid in potentia non est illud habere. — Unde non satis discernuntur imo confunduntur in definitionibus traditis judicia *analytica* et *synthetica*. Quot errores ex hac confusione oriri possunt et praecipue confusio *subjectivi* et *objectivi!*

243. **Absurditas definitionis judicii synthetici a Kantio tradita.** — Sed magis etiam reprehensione digna est illa propositio et definitio Kantiana illative deducta idest: « Synthetica judicia illa sunt in quibus habetur unio (subjecti et praedicati) sine identitate ». Haec enim non solum aequivoca sed falsa et absurda pronuntianda est, est enim evidentiae et sensui communi opposita. In quocumque enim judicio sive analytico sive synthetico exprimitur identitas praedicati cum subiecto, sicut cum dico: *Homo est rationalis, circulus est rotundus,* non est sensus quod *homo sit rationalitas* vel quod circulus sit *rotunditas*, sed quod homo est habens rationalitatem, circulus est habens rotunditatem; et similiter cum dico: *Paulus* vel *homo* est *virtuosus* vel *doctus* — non est sensus quod Paulus vel homo sit *virtus* aut *doctrina* — sed quod sit *habens* virtutem vel doctrinam. — Hae igitur sunt definitiones vel notiones fundamentales in quarum aequivocationibus et falsitatibus nititur tota *critica rationis purae,*

et tota doctrina subjectivistica etiam recentiorum. — Sed et hoc animadvertendum est quod ex illa promiscua acceptione *subjecti* seu objecti et *conceptus,* provenit fere omnia praedicata, quae rebus, hoc est subjectis in judiciis a mente tribuuntur, a subjectivismo considerari ut puros mentis conceptus ipsi subjecto a mente ipsa applicatos (cf. n. 192).

244. **Vera definitio judicii analytici et synthetici.** — Igitur ad auferendas omnes aequivocationes in definitione judicii analytici et synthetici oportet in subjecto judicii distinguere id quod *essentialiter* et necessario subjecto convenit ab eo quod ipsi convenit *contingenter,* sic cum e. g. dico: *Petrus,* vel *homo,* vel *corpus,* vel *nix,* potest considerari complexus omnium quae in hujusmodi subjectis singulis importantur, sive haec inseparabiliter et necessario in eis contineantur sive separabiliter et contingenter: *rationale* e. g. in homine continetur inseparabiliter, essentialiter et necessario; *esse doctum, virtuosum, mortale* vero non continetur inseparabiliter et essentialiter; similiter *albedo* in nive contingenter continetur; at congelatio continetur essentialiter ita ut ad naturam et constitutivum nivis pertineat. Ut igitur omnis aequivocatio auferatur non dicamus judicia analytica ea esse quorum praedicatum continetur in subjecto vel in conceptu subjecti, nam etiam accidentia possunt contineri in *subjecto* vel in *conceptu* subjecti, imo de facto haec saepe continentur in subjecto quidem explicite, in conceptu vero quandoque explicite quandoque implicite. — Innixi ergo praefata distinctione dicamus: *Judicia analytica ea esse quorum praedicatum continetur in natura subjecti essentialiter,* vel etiam *quorum praedicatum inseparabiliter et essentialiter convenit subjecto;* vel etiam quorum

praedicatum ex *ipsa natura subjecti deprehenditur.* — Synthetica vero judicia illa sunt *quorum praedicatum convenit subjecto contingenter;* vel non ex ipsa *natura subjecti sed ex experientia deprehenditur subjecto convenire.*

245. **Origo judiciorum analyticorum.** — Utrum vero judicia analytica omnino independentia ab experientia sint nec ne, non est hujus loci, ubi definitio traditur, determinare. Certum tamen est praedicatum non haberi ex speciali experientia, supposita cognitione subjecti; sed an subjectum habeatur ex experientia nec ne, non potest simplici affirmatione affirmari aut simplici negatione negari; sed debitae distinctiones sunt adhibendae. Certum tamen est apprehenso aliquo objecto vi cognitionis experimentalis, intellectum posse cognoscere naturam ipsius et ejus praedicata essentialia, et haec esse ab ipso inseparabilia, et impossibile esse quod auferantur ab eo quin ipsum destruatur. E. g. Apprehenso per cognitionem experimentalem hoc circulo, eo ipso apprehenditur rotunditatem esse ab eo inseparabilem, et similiter apprehenso per experientiam toto et parte, eo ipso per simplicem utriusque comparationem mens apprehendit totum esse majus sua parte, et apprehenso corpore, eo ipso apprehendit esse extensum. Imo inde per reflexionem super hujusmodi praedicata praedictis subjectis convenientia, apprehendi possunt alia praedicata his subjectis convenire, ut patet in demonstrationibus mathematicis, vel metaphysicis; quae in subjectis illis per unicum conceptum et directum non concipiebamus. Haec autem praedicata in uno objecto experientiae puta in hoc circulo inspecta, sine novo studio eo ipso videri in alio circulo et in alio et quocumque menti vi experientiae exhibito et possi-

biliter exhibendo, et circulo in genere planum est. Ad hoc enim sufficit vis intellectiva et abstractiva, distinctiva, comparativa, reflexiva eorum quae in objecto continentur. Vide ea quae explanavimus de universalibus (n. 175 seqq.).

246. **Absurditas illationis Kantianae.** — Ex quibus patet quam absurdum et illogicum sit ex ratione necessitatis et universalitatis deducere *judicia analytica* esse a spontaneitate mentis omnino subjectiva nihilque extra animam ipsam correspondere in objectis scilicet experientiae. Haec illatio tam absurda est ut ipsemet Kant inde logice cogatur profiteri objecta experientiae nullam realitatem habere extra subjectum sentiens, sed esse meras repraesentationes subjecti sentientis sicut contingit somniantibus et delirantibus. Verum mirum non est absurdam doctrinam profitentes unum absurdum configere ad aliud substinendum. — Sed de his infra; nunc sufficiat innuisse ut monstruositas doctrinae Kantianae appareat jam in suis exordiis et fundamentis.

Caput XV.

De identitate praedicati et subjecti in judiciis

247. **Quaestio proponitur.** — Distinximus (n. 58, 237 et seqq.) judicia nostra in analytica et synthetica; imo notavimus Kantium admittere praeter judicia praefata etiam judicia *synthetica a priori*; quam sententiam breviter rejecimus (n. 60). Igitur nunc naturam horum judiciorum et vim determinare intendimus.

248. **Doctrina Kantiana circa judicia mentis nostrae.** — Putat Kant judicia analytica nullam omnino habere dependentiam sive ordinem ad objecta

experientiae, quia includunt necessitatem et universalitatem, quae duae notae in ipsa experientia non inveniuntur, neque proinde ab ea talia judicia esse possunt neque ordinem ad ipsam habere. Unde a sola mente sunt et quidem *a priori*. Talia sunt judicia omnia quae absolute universalia sunt ut nullam exceptionem admittere possint (1). Unde omnia judicia quorum subjectum est universale sicut et praedicatum sunt analytica: e. g. *homo est rationalis, animal est substantia* etc. — Judicia vero synthetica ea dicuntur quorum praedicatum ex ipsa experientia colligitur ipsi subjecto convenire. — Ad haec Kant addit judicia synthetica a priori quae ait esse illa quorum subjectum est ex experientia sed ipsum praedicatum non colligitur ex experientia, quia in objecto experientiae non continetur, sed est forma seu purus conceptus mentis (cf. n. 192, 243) et *a priori* affigitur seu applicatur a mente ipsi subjecto ex quadam vi naturali et quasi mechanice ; tale est judicium : *Omne quod accidit vel incipit esse causam habet* (2).

249. **Identitas praedicati et subjecti in judiciis non semper admittitur a Kantio.** — Quamvis Kant adserat in judiciis quae ipsemet vocat analytica a priori affirmari identitatem praedicati cum subjecto, negat tamen hanc identitatem affirmari in judiciis quae ipsemet vocat *synthetica a priori,* idest illa judicia quorum subjectum habetur ex experientia, praedicatum vero ex ipsa ratione pura ut e. g. *Petrus est homo, rationalis, animal* etc. (cf. n. praec) (3). Aliis terminis docet praedicatum judicii analytici contineri in conceptu subjecti, sed praedicatum judicii syn-

(1) KANT La ragion pura, tomo I. Introd. II.
(2) Ib. IV.
(3) Ib. tom. I., n. IV.

thetici quod est juxta Kantium etiam *a priori* non contineri, sed a mente ipsa subjecto uniri. Contra hanc doctrinam Kantianam quam Kant nullo modo probat et quae est fundamentum totius subjectivismi, negationis objectorum, reductionis eorum ad simplices repraesentationes sensibiles et eorum omnium quae Kant docet in critica rationis purae, diversae conclusiones subjiciuntur.

250. **Conclusio I.** — *In omni judicio affirmativo adseritur identitas praedicati cum subjecto.*

Prob. 1°: In omni judicio tria habentur elementa idest *subjectum*, *copula* seu verbum, et *praedicatum ;* et hoc aut explicite sicut cum dico : *Homo est animal, Petrus est homo, sol resplendet, nix est alba,* aut implicite sicut cum dico : *Scribo ;* quae propositio aequivalet huic *ego sum scribens,* quae proinde in antecedenti de primo adiacente continetur (cf. n. 63). Atqui copula *est* designat identitatem inter ea quae unit et intantum unit inquantum sunt identica ; unde non potest poni inter *duo* quae sunt distincta, et multo minus quae sunt diversa sine absurditate ; proinde non potest dici : *homo est asinus, lapis est albedo,* neque *homo* est *anima* vel est *caput,* etc.

2° Simplex unio non sufficit ad hoc ut unum possit dici quod est aliud, secus omnia quae sunt unita possent sibi invicem affirmari. Ergo judicia sive analytica sive synthetica identitatem praedicati cum subjecto important.

3° In judiciis hoc constanter reperitur quod praedicata expressa nomine abstracto nunquam possint praedicari de subjecto expresso nomine concreto ; unde non potest dici : *Petrus* vel *homo* est *humanitas* aut *rationalitas* aut *doctrina, sapientia* etc. Atqui si sufficeret simplex unio ad hoc ut possent conjungi per copulam *est,* illa omnia praedicata no-

mine abstracto significata possent vere et sine repugnantia uniri per copulam *est* et praedicari. Ergo ad judicium non sufficit simplex unio sed requiritur identitas.

4° Praedicatum expressum nomine concreto ipsum subjectum semper importat quando propositio est vera; e. g. cum dico : *Homo vel Petrus est animal* vel *albus* idem est ac si dicam : *Homo vel Petrus est habens animalitatem,* vel *albedinem; habens enim animalitatem* vel *albedinem designato* homine vel Petro est vere homo etc. — parum autem refert quod homo vel Petrus etiam alia praedicata includat; non enim per hoc negatur identitas inter hominem et habens animalitatem, aut albedinem. — Hoc tamen requiritur ut quidquid est in praedicato, *sive necessasio sive contingenter* (ut animalitas in animali, et albedo in albo) sit etiam in subjecto (1).

---

(1) Hanc differentiam assignat S. Thomas inter compositionem quae est in rebus et quae fit ab intellectu judicante : « Differt compositio intellectus a compositione rei, nam ea quae componuntur in re sunt diversa. Compositio autem intellectus est signum identitatis eorum quae componuntur. Non enim intellectus sic componit ut dicat quod homo est *albedo ;* sed dicit quod *homo est albus,* idest *habens albedinem.* Idem autem est subjecto, quod est homo, et quod est habens albedinem. Et simile est de compositione formae et materiae. Nam *animal* significat id quod habet naturam sensitivam, *rationale* vero quod habet naturam intellectivam ; *homo* vero quod habet utrumque ; *Socrates* vero quod habet omnia haec cum materia individuali. Et secundum hanc identitatis rationem intellectus noster unum componit alteri praedicando ». (P. I. qu. 85. a.V. ad 3.[m]). En natura compositionis, (seu judicii), quam facit intellectus, graphice et evidentissime descripta ; et quam unusquisque in semetipso verificare potest. Quam distat ab illa compositione quam Kant et subjectivistae inducunt ! Compositio quam inducit Kant a nullo verificari potest ex naturali analysi judiciorum suorum, sed est factus illius aprioristicae et abstrusae positionis qua finguntur illae categoriae apriori-

251. **Conclusio II.** — *Judicia analytica sunt ea quorum praedicatum continetur in natura subjecti* 2° *non autem necesse est ut contineatur in idea subjecti;* 3° *imo plura dantur judicia quorum praedicatum includitur in idea subjecti quae tamen sunt synthetica et a posteriori.* — Natura subjecti est id quod per definitionem exprimitur, et in definitione sive explicite sive implicite continetur logice; per ideam vero subjecti intelligitur repraesentatio sive conceptio illius.

Prob. 1ª *pars.:* Judicia analytica ea dicuntur quae habentur per analysim naturae ipsius subjecti quatenus scilicet praedicatum ex definitione sive im-

---

sticae de quarum praexistentia conscientia omnino silet, et quam ratio nullo modo probat, imo quae omnino rationi repugnat, ut dicetur suo loco. Sed mirum est quod Kant totum aedificium doctrinae suae *de critica rationis purae* super fundamentum tam labile superstruat et nullius roboris, et etiam magis mirum quod *exitus criticae suae* rationis purae, quam ex his principiis concludit *nullum valorem objectivum habere* (1), absurditatem suarum cathegoriarum et consequenter totius doctrinae subjectivisticae non patefecerit aut saltem suspicionem non ingesserit suae menti! Nam illae categoriae cum sint puri conceptus rationis purae certe a sola ratione pura ponuntur. Igitur hoc argumentum confici potest ex ipsa doctrina Kantiana ad inanitatem et absurditatem ejusdem doctrinae ostendendam: Aut illae categoriae habent valorem objectivum ita scilicet ut sint in mente et a mente vere et objective et ut tales sint retinendae, vel non. Si non sunt objective verae, ergo sunt purae fictiones, chimerae rationis, atque proinde absurditates; quibus superstruitur totum Kantianae doctrinae aedificium absurdissimum; si autem dicantur objective verae, tunc admittitur in principio valor objectivus *rationis purae*, et inde procedendo ab hac positione tanquam objective vera pervenitur ad negationem cujuslibet valoris objectivi ejusdem rationis. Idest contradictoria logice affirmantur, hoc est si illae cathegoriae ponantur objective verae inde concluditur non esse objective verum fundamentum totius doctrinae subjectivisticae! Est ne haec doctrina philosophia? Et tamen Kant uti philosophiae pater a pluribus modernis proclamatur!

mediate sive mediate colligitur. Atqui praedicatum quod ex definitione naturae subjecti colligitur in ipsa natura subjecti continetur. Ergo.

Prob. 2ª *pars:* Multa sunt saepe judicia quorum praedicatum continetur in ipsa natura subjecti, tamen non continetur in idea naturae subjecti. Atqui hujusmodi judicia sunt vere analytica. Ergo. — *Prob. major* ex eo quod per ideam naturae subjecti non omnia cognoscuntur quae in subjecto continentur; saepe enim subjectum multa comprehendit in se ad quae cognoscenda multae ideae successive requiruntur, sicut e. g. idea hominis, idea animae, idea mundi non potest repraesentare ne confuse quidem omnia quae in hujusmodi subjecto continentur: unde nonnisi per ratiocinium plura praedicata possunt cognosci. Et hoc patet etiam in mathematicis. — In virtute utique continentur sed non actu.

Prob. 3ª *pars:* Plura subjecta judiciorum nostrorum cognitione experimentali cognoscuntur, sicut e. g. *Petrus, nix* etc: et similiter ea plurima quae in his subjectis continentur, vel quae eis conveniunt, e. g. quod Petrus sit statura *pusillus*, aut naturae *gracilis*, quod nix est *alba*. Atqui saepissime eodem conceptu seu eadem idea apprehenditur et cognoscitur subjectum experimentale et ea quae in ipso sunt et ei conveniunt quoque experimentalia et contingentia; sic eodem conceptu et idea apprehendo Petrum et ipsum esse parvum, nivem et ejus albedinem etc. quae cognitio importat judicium syntheticum. Ergo in conceptu seu *idea subiecti* quandoque continetur praedicatum etiam quoad judicia synthetica. *Confirmatur* ex eo quod plurimi conceptus quos de objectis experimentalibus habemus compositi sunt seu plures notas sive conditiones et circumstantias etc. referunt de ipso objecto.

252. **Observatio.** — Quamvis quandoque promiscue usurpetur sequens duplex modus loquendi idest: *Praedicatum continetur in conceptu subjecti*, et: *Praedicatum continetur in natura subjecti;* tamen non est usurpandus cum loquimur cum subjectivistis promiscue, sed cum usurpatur primus, debita declaratio facienda est, praecipue cum est sermo de iudiciis *analyticis*, aut *syntheticis*.

253. **Conclusio III.** — *In omnibus judiciis sive analyticis sive syntheticis ad hoc ut sint vera oportet ut praedicatum praecontineatur in ipso subjecto.* — Adverte ante probationem quod non dixi praedicatum debere praecontineri in *natura* subjecti, sed in *subjecto*, aliud enim est praedicatum praecontineri in natura subjecti, quod est proprium judiciorum analyticorum, aliud praecontineri in *subjecto* in quo potest esse aliquid accidentale ad *naturam* subjecti non pertinens, sicut cum dico in Petro esse *doctrinam*. Itaque (cf. n. 244).

Prob. conclusio 1°: De judiciis analyticis constat ex dictis (n. 244); sed probatur de omnibus generatim: Quando mens affirmat in judicio aliquod praedicatum ipsi subjecto convenire, vel affirmat quia supponit jam convenire, vel quia ipsa est causa sive ratio quare ei conveniat. Atqui ipsa mens non est causa seu ratio quare praedicatum conveniat subjecto, et hoc tum in judiciis analyticis quam syntheticis; nam secus *mens* per judicium quod facit, esset causa omnium e. g. quod Petrus est homo, est doctus, est stultus, est dives, item quod mundus sit magnus, temporaneus vel aeternus, circulus sit rotundus, quod totum sit majus sua parte. etc. idem dicendum esset de omnibus judiciis; unde generatim esset causa et ratio *quod omne ens sit id quod est;* ideo mens humana esset fons et principium omnium intelligibilium

et omnium entium, unde esset infinita. Ergo remanet quod mens supponat praedicatum praecontineri in subjecto cum ipsa affirmat.

2° Judicium nihil aliud importat quam cognitionem per quam mens videt et affirmat aliquam proprietatem e. g. albedinem, virtutem etc. esse vel non esse in aliquo subjecto. Sed cognitio supponit illud ad quod refertur seu illud quod cognoscitur tamquam terminus. Ergo.

3° Quoad judicia quae Kant vocat synthetica a priori in quibus praedicatum est *universale* quod Kant vocat ideam puram, e. g. *homo*, *animal, substantia* etc. patet etiam ex iis quae supra statuimus de realitate universalium in singularibus (cf. n. 194).

4° Ratio quare a Kantio negatur ideas universales posse haberi ab experientia in hoc sita est quia universalia non sunt in objecto experientiae utpote ipsi objecto experientiae repugnantia ita scilicet ut omnino ipsis disconveniant. Atqui haec ratio nulla est in ipsa doctrina Kantiana, nam ex facto ipso quo universales conceptus a mente ipsa objectis experientiae conjunguntur ita ut possint effici vera judicia convenientiam praedicati et subjecti (idest objecti experientiae et ideae illius universalis quae ipsi obiecto applicatur) exprimentia, admittitur nullam esse repugnantiam inter hujusmodi objecta. Ergo concludendum est nullam esse repugnantiam in conjunctione illorum objectorum; hoc enim ipsum a doctrina Kantiana supponitur dum adseritur a mente humana conjungi et ex hac conjunctione cognitionem et scientiam haberi. Unde nulla est ratio negandi *universalia* objectis singularibus convenire, et quia mens ineluctabiliter docet ea ipsis convenire, independenter a semetipsa, hoc omnino admittendum est nisi sine ulla ratione velimus esse absurdi dictamini ipsius mentis contradicendo.

5° Neque dicas quod si universalia ponantur convenire singularibus per hoc quod applicantur ipsis a mente, sequitur quod solummodo modo transitorio idest dum a mente applicantur, singularibus conveniant, cum e contra si dicantur ipsis convenire eis independenter a mente, ponantur stabiliter convenire, quod concedi non potest; nam ex hac responsione confirmatur argumentatio nostrae thesis. Et revera non est quaestio in praesenti de *tempore* quo illa universalia singularibus conjungantur; parum refert si conjungantur per unum instans vel decem aut triginta, vel per mensem aut per annos; certum tamen habetur in doctrina Kantiana in quocumque tempore posse illa universalia a mente connjungi, et non solum a mente mea sed cujuscumque hominis, imo eadem mens sine repugnantia potest persistere in conjunctione illa per aliquod tempus et per plura tempora. Insuper si dicantur illa convenire solum dum mens actu ea singularibus applicat praeter absurda supra notata sequetur etiam quodlibet singulare esse *id quod est*, solum eo momento quo mens judicat illud esse vel non esse. Unde hoc judicium : *Petrus est homo*, *doctus*, *virtuosus* etc. erit verum solummodo quando a mente profertur. Quid absurdius dici potest ?

254. **Conclusio IV.** — *Judicia quae Kant vocat synthetica a priori verum habent valorem objectivum.*

Prob.: In judiciis quae Kant vocat *synthetica a priori* subjectum experientiae continet vere independenter a mente ipsum praedicatum, idest naturam universalem, quae proinde non est purus conceptus mentis, sed aliquid objectivum a mente ipsa independens et a mente ipsa praesuppositum, ut patet ex dictis (n. 194 et n. praec.). Atqui judicia quorum praedicatum est aliquid objectivum a mente independens et a mente

ipsa in subjecto praesuppositum habent valorum objectivum. Ergo judicia quae Kant vocat synthetica a priori habent valorem objectivum.

2° Tota ratio quare hujusmodi judiciis negatur objectivitatis valor est quia praedicata utpote necessaria et universalia dicuntur non posse esse ab objectis experientiae. Atqui haec ratio nulla est. Ergo. — *Prob. minor:* Si praedicata illa necessaria et universalia seu si conceptus necessarii et universales non possunt esse ab objectis experientiae, quia haec sunt contingentia et particularia, tunc ob eamdem rationem neque a mente ipsa esse possunt, nam etiam actus mentis, imo et ipsa mens est contingens et particularis. Quando itaque Kant concludit: Ergo sunt ab aliquo particulari seu singulari, quod est ipsa mens, contradicit principiis positis in sua argumentatione. — Unde illogica omnino est et contradictoria sua argumentatio. Insuper in sua argumentatione supponit praeter mentem non esse aliquid a quo esse possint illae formae, ideo supponit verum subjectivismum.

3° Kant in sua argumentatione supponit etiam mentem nostram esse veracem et non errare dum enuntiat objecta experientiae esse contingentia et particularia, in qua suppositione innititur tota sua positio conceptuum seu formarum in mente *a priori*, imo in ea innititur tota sua critica rationis purae. Atqui eadem mens nostra dum testificatur objecta experientiae esse contingentia et particularia testatur simul ea realitatem habere independenter a mente, in eis contineri praedicata *necessariam* connexionem habentia cum objectis illis et inter sese ea esse similia et sic includere verum fundamentum universalitatis. Ergo Kant cum admittit formas *a priori* seu conceptus illos universales ob attestatam sibi a mente singularitatem et contin-

gentiam objectorum experientiae illogice procedit, contradicit testimonio suae mentis, et dum ipsum sequitur admittendo sibi ipsi repugnat (1).

255. **Obj.** — Conceptus *necessitatis et universalitatis* idest *necessitas et universalitas* non possunt haberi ab experientia; idem dicendum est de omnibus judiciis. universalibus et necessariis. Atqui conceptus qui ex experientia haberi non possunt admittendi sunt *a priori* in mente nostra ab ipsa spontanee procedentes.

---

(1) S. Thomas jam solverat argumentum quo Kant illaqueatus mansit et quo innititur tota sua doctrina seu critica rationis purae. En argumentum: « Intellectus est necessariorum et semper eodem modo se habentium; sed corpora omnia sunt mobilia, et non eodem modo se habentia. Anima ergo per intellectum corpora cognoscere non potest (P. I. qu. 84. a. I, 3) Videamus argumentum sub forma Kantiana adlatum: Experientia apprehenditur uno aut alio modo rem aliquam existere; at non apprehenditur rem aliquam aliter esse non posse. Atqui intellectus apprehendit rem aliquam aliter esse non posse (idest necessario esse). Ergo intellectus non ex experientia sed ex semetipso habet seu efformat judicia in materia necessaria (cf. n. 65, 71), idest analytica, quae proinde sunt *a priori* omnino ab ipso intellectu. Eodem fere modo arguit Kant quoad universalitatem. (Cf. Kant l. c. Introd. II). — Argumentatio Kantii et quam sibi proponit Angelicus quoad substantiam eadem est. In argumento adlato a S. Thoma potest deduci haec conclusio Kantiana: Ergo omnia judicia intellectus sicut omnes conceptus non referuntur ad corpora exteriora, sed sunt *a priori* ab ipsa mente. — In utraque argumentatione negatur *necessitatem* et *universalitatem* esse in objectis experientiae extra intellectum, idest in corporibus, ut dicit S. Thomas. Et in hac negatione stat tota vis argumentationis. — Audiatur nunc responsio S.Thomae: « Ad tertium dicendum quod omnis motus supponit immobile. Cum enim transmutatio sit secundum qualitatem, remanet substantia immobilis; et cum transmutatur forma substantialis, remanet materia immobilis. Rerum etiam mutabilium sunt immobiles habitudines; sicut Socrates, etsi non semper sedeat, tamen immobiliter est verum quod quando sedet, in uno loco manet. Et propter hoc nihil prohibet de rebus mobilibus immobilem scientiam habere ».

Ergo et omnia judicia quae important necessitatem et universalitatem sunt ponenda in mente et a mente a priori et nullo modo ex experientia (1).

Resp.: Dist. maj.: Non sunt ab experientia quasi scilicet ex collectione singularium factorum *transeat* vel *concedo;* non sunt ab objectis experientia exhibitis *subd:* Immediate *conc.*, non sunt ab experientia mediantibus aliis conceptibus necessitatis et universalitatis conceptus praecedentibus et ab ipsa experientia aliquo modo derivatis *nego.* — Si conceptus necessitatis et universalitatis essent primi conceptus omnes alios antecedentes, fortasse argumentum aliquam vim haberet. At si ponatur hos duos conceptus non esse primos, sed alios conceptus priores supponere conclusio nullam vim habet. Qua de re a Kantio tria essent probanda ut conclusio vim haberet; 1.° deberet probari quod hi duo conceptus sunt omnino primi et alios non supponunt; si autem non probetur hoc, debet probari saltem quod a conceptibus anterioribus non procedunt; et in eis nullum fundamentum habent; 2.° ab alio principio per modum efficientis operante in mente originem non habere; 3.° vel saltem directe probari deberet quod immediate ab ipsa mente spontanee procedant independenter ab illis. — Nunc autem haec non probantur, imo oppositum est omnino dicendum, nam multi sunt conceptus qui hos duos praecedunt (n. 181); et hoc tam evidens et certum est ut ab ipso Kantio admittatur; nam enumerans conceptus quos a priori in mente seu in ratione pura ponit, loco *duodecimo* recenset conceptum necessitatis (2), conceptum vero universalitatis non recenset sed universalitas in ipsa necessitate fundamentum habet, unde ipsemet Kant docet

(1) Ita Kant, l. c. P. I. § II.
(2) Ib.

hos duos conceptus sibi invicem inhaerere et esse inseparabiles omnino (1). — Tandem Kant in hac sua argumentatione supponit existentiam et possibilitatem rerum seu ipsas res in earum possibilitate et existentia consideratas nullam realitatem habere, imo ponit ipsam realitatem inter puros mentis conceptus (ib. pag. 112) et in hac suppositione et positione suum argumentum fundamentum habet: sed hoc est supponere id quod est probandum, idest esse verum subjectivismum in tota sua extensione; sicut est supponere necessitatem et universalitatem in *realitate objectorum* extra mentem existentium nullum fundamentum habere. — Quaerimus etiam a Kantio, si realitas ponitur mentis purus conceptus, quaenam est realitas quam ipse negat? Non certe realitas subjectiva. Et si est realitas *objectiva* quo conceptu a mente intelligitur, non ne conceptus omnino subjectivi sunt? (2).

256. **Conclusio V.** — *Judicia quae Kant vocat synthetica a priori sunt vere analytica.*

Prob.: Ad judicium analyticum habendum non requiritur ut praedicatum contineatur explicite in conceptu subjecti, sed sufficit ut contineatur implicite (cf. n. 237, 240) (3); seu melius: Ad judicium analyticum sufficit praedicatum contineri in natura subjecti, (n. 244). Atqui in omnibus judiciis quae a Kant vocantur synthetica a priori praedicatum continetur in natura subjecti, et saltem implicite vel virtualiter continetur in conceptu subjecti. Ergo judicia quae a Kantio vocantur synthetica a priori sunt vere analytica. — *Prob minor:* Sit hoc judicium *Petrus* est *homo*,

(1) Ib. (pag. 112) § X.
(2) Ib. l. c. P. I. § II.
(3) Hoc docet ipsemet Kant l. c.

animal, vivens, etc. (vel sit quodlibet individuum de quo affirmatur aliqua natura vel attributum). — In hoc individuo Petro seu in natura ipsius continetur *homo, animal, vivens* et quodlibet attributum seu praedicatum, quod sub his contentum possit vere de ipso individuo Petro praedicari (n. 73, 194), imo continetur, saltem implicite vel virtualiter in *conceptu* hujus individui *Petrus,* ita scilicet ut si de ipso Petro negetur ipsemet conceptus Petri destruatur. Unde si ego loquens de Petro cum aliqua persona plura narrem de illo fortasse mirabilia, et inde dicam quod Petrus ille de quo mirabilia narravi non est *homo, animal, vivens, substantia* etc. totus sermo meus evanescit et ego ridiculus fio, quia scilicet non remanet fundamentum eorum quae dixi idest *conceptus* ille Petrum referens removetur omnino. — Hoc autem non esset nisi haec omnia in ipsa natura Petri et in conceptu ipsius Petri saltem implicite continerentur (cf. n. 244).

2.° Si praedicatum *homo, animal,* etc. non contineretur in natura Petri et implicite in ejus conceptu, sequeretur quod Petrus (idem dicatur de quolibet individuo humano, imo de qualibet re individua respectu suorum attributorum) antequam a mente mea affirmaretur esse hominem, animal etc., non esset vere homo, animal etc. Et hoc multo magis sequeretur si poneretur quod haec attributa essent puri mentis conceptus (cf. n. 194).

3.° Argumentatio facta valet etiam de omnibus aequationibus aritmeticis et mathematicis ex hoc ipso quod membra ponuntur aequalia ; quomodo, quaeso, duo membra dici possunt aequalia si unum membrum in suo conceptu saltem implicite non continet aliud membrum ? non enim ex mente mea dependet quod una quantitas alteri quantitati aequa-

tur vel ipsam excedat. Nam hujusmodi duo membra si abstracte accipiantur non important nisi unam et eamdem omnino quantitatem aliis et aliis signis expressam. Diversitas ergo stat in signis non in quantitate ipsa. Unde confunduntur signa cum quantitate et cum conceptu ipso!!... — Sed directe

Prob.: Accipiatur exemplum a Kantio ipso relatum. Sit haec proposito $7 + 5 = 12$. — Dico quod omnia elementa quae sunt in primo membro hujus aequationis et quidem ut simul conjuncta idest sub uno conceptu expressa, continentur etiam in secundo membro et vice versa saltem implicite. Atqui illae propositiones in quibus omnia elementa contenta in natura praedicati seu in conceptu praedicati, continentur in natura vel in conceptu subjecti saltem implicite, sunt analyticae, nullo autem modo syntheticae. Ergo praefata propositio exprimente aequationem est analytica. Idem dicatur de omnibus propositionibus aequationes mathematicas exprimentibus, eadem enim est ratio. — Itaque declaratur *major.* — Omnia elementa quae habentur in uno membro continentur in altero, idest in conceptu unius continentur in conceptu alterius. — Analyzetur 1.^{m} membrum, idest subiectum et statim invenitur quod constat ex *unitatibus,* et similiter secundum membrum. — Igitur accipiantur singillatim unitates et habebitur $7 = 1 + 1 + 1 + 1 + 1 + 1 + 1$; accipiantur elementa quae continentur in alia parte et habebitur $5 = 1 + 1 + 1 + 1 + 1$. — Inde analyzetur 12 et habebuntur eadem elementa idest $12 = 1 + 1 + 1 + 1 + 1 + 1 + 1 + 1 + 1 + 1 + 1 + 1$. — Nunc uniantur simul elementa priora τοῦ 7 et τοῦ 5 + et comparentur cum istis et habebitur omnimoda *identitas* non solum implicite, sed etiam

explicite conceptuum praedicati et subjecti aequationis. Idem potest verificari in omnibus aequationibus.

257. **Obj.** — Cum enunciavi subjectum in illa propositione idest: *quinque plus septem*, cogitavi quidem quod *septem* esset conjungendum *quinque* in illa summa proposita $7 + 5$; at non cogitavi quod haec summa aequatur duodecim (1).

Resp.: Dist. ultimam partem propositionis: *Non cogitavi* quod haec summa $7 + 5$ aequatur 12, *explicite* et formaliter seu actualiter, *transeat*; *implicite et virtualiter nego.* — Haec propositio a Kantio addita est in secunda sua editione (2) ad probationem suae argumentationis cujus vis tota ex hac parte ultima a nobis distincta pendet, et tamen in aequivocatione omnino posita est. — Concedimus ultro libenterque primum membrum aequationum mathematicarum non continere semper *explicite* formaliter in suo conceptu secundum membrum; sed omnino negamus non continere *implicite* aut virtualiter. — Unde explicite cum ponitur primum membrum non cogitatur secundum, at ex hoc non sequitur in conceptu primi non contineri secundum *implicite.* Et tamen continentia implicita praedicati in conceptu subjecti sufficit ad judicium analyticum habendum ut omnes concedunt et sicut ipsemet KANT in ipsa sua *definitione* judiciorum analyticorum affirmat (cf. n. 237). — Igitur argumentatio Kantiana sophistica est in aequivocatione fundamentum habens, fit enim transitus a continentia implicita ad explicitam. In hac sophistica et erronea argumentatione tota critica rationis purae et tota doctrina subjectivistica fundamentum habet. — Sed

(1) ITA KANT: *Critica della ragion pura*, l. c., trad. Ital. a G. Gentile e G. Lombardo. — Tip. ed. Laterza. Bari, 1910.

(2) Ib. nota.

alia aequivocatio notanda est in doctrina Kantiana; videlicet confunditur experientia quae in omnibus judiciis nostris admiscetur tanquam conditio cum ipsa experientia ut causa judiciorum. — Unde ex eo quod conceptus numeri septem habetur ex additione unitatis mediante supputatione digitorum Kant concludit quod habetur a posteriori, idest ex experientia, et non animadvertit quod tunc etiam conceptus *quinque* et eorum unio est effectus experientiae, et similiter *duodecim* et ipsa comparatio vel additio est ex experientia. — Neque animadvertit Kant quod quaestio non est neque esse potest de formatione horum numerorum, sed de nexu ipsorum seu de convenientia in eodem conceptu, haec enim *convenientia* a sola mente apprehendi potest supposita formatione illorum numerorum ex repetitione unitatis; at haec *convenientia* apprehenditur per simplicem analysim conceptuum idest, singulas partes examinando, et in unum colligendo elementa subjecti — et inde elementa praedicati; et tandem simul comparando, sic enim apparet identitas conceptuum utriusque. — Dicimus ergo quod experientia est *conditio* requisita ad hoc ut illi conceptus in uno videantur convenire et identificari; non autem quod est ratio et causa unionis.

258. **Conclusio VI.** — *Judicia quae Kant vocat pura seu analytica a priori habent valorem objectivum.*

Prob. 1° Demonstratione apodictica sicut praecedens conclusio: Judicia analytica a priori ea sunt quorum subjectum et praedicatum sunt universalia quae habent valorem objectivum. Atqui judicia quorum subjectum et praedicatum habent valorem objectivum ita ut non sint simplices conceptus mentis, habent valorem objectivum. Ergo judicia quae Kant

vocat analytica a priori habent valorem objectivum. — *Minor* patet. — *Prob. maj* ex eo quod, ut probatum est in praecedentibus (n. 194 et 248), universalia habent valorem objectivum; e. g. *homo, animal, substantia, lapis, corpus, virtus, albedo* etc. habent valorem objectivum, quia sunt in singularibus independenter a mente, unde non sunt puri conceptus mentis. Proinde si universalia ex hoc quod sunt aliquid objectivum, uniantur simul ad judicium efformandum sequitur quod judicium habeat valorem objectivum, nam per affirmationem exprimitur identitas subjecti et praedicati alio et alio conceptu apprehensi.

2° Cum dico: *Petrus* est *homo*, oportet ad veritatem propositionis ut *homo* vere contineatur in *Petro* et quidem quoad omnia praedicata; unde si de homine ipsi Petro conveniret sola *animalitas* non autem rationalitas, Petrus non esset *homo*, sed animal irrationale, brutum, idest vel asinus, vel canis etc., similiter si Petro de homine non conveniret neque *animalitas*, neque *rationalitas*, *Petrus* neque esset animal sed solum vivens, aut corpus. Unde manifestum est quod ad hoc ut Petrus sit homo necesse sit ut ei vere et realiter conveniant omnia quae homini objective conveniunt (cf. n. 73). Hoc autem non esset nisi illa omnia praedicata quae conveniunt homini et Petro importarent aliquid reale objectivum independens a mente ipsa. Ergo praedicata omnia quae conveniunt homini, in homine ipso important, sicut in se homo importat, aliquid reale objectivum independens a mente in Petro; hujusmodi autem praedicata sunt, *animal*, *vivens*, *substantia*, *ens*, *aliquid* etc. Ergo haec omnia praedicata utpote continentia aliquid objectivum independens a mentis consideratione cum possint adinvicem praedicari, sunt elementa judiciorum objectivorum.

259. **Judicia pura seu analytica prout ponuntur a doctrina Kantiana non dantur.** — Ex dictis sequitur quod judicia pura seu analytica omnino a priori eo modo quo ponuntur a Kantio non dantur et sunt purae chimerae. Nam quodlibet subjectum vel praedicatum judiciorum analyticorum importat aliquid in ipso objecto experientiae contentum quod quidem est ipsi objecto experientiae intrinsecum et essentiale: ita e. g. *homo* est quid intrinsecum ipsi Petro, ut dictum est; in conceptione enim Petri continetur ipse *homo*, nam Petrus ex semetipso importat *ordinem ad ratiocinandum* non ex mente mea ipsi applicante ideam meam; nunc autem illud quod importat ex se *ordinem* ad *ratiocinandum* est homo ipse. — Similiter *animal* continetur in ipso Petro qui importat *ordinem* ad *sentiendum;* sicut etiam *vivens*, nam Petrus ex se se non ex quadam applicatione a mente mea facta ipsi, neque a mea cognitione habet *aptitudinem ad exercenda opera vitae* vel habet ut *de facto* exerceat; ex sese etiam importat *substratum*, in quo et ex quo sunt opera ipsa vitae, hoc est *substantiam;* tandem ex hoc quod ex se se habet aptitudinem ad agenda opera vitae oportet ut ponatur *esse* et quidem in *se*, non autem ex eo quod a mente mea concipitur vel ei applicatur forma quaedam idealis. Unde haec omnia praedicata idest *homo, animal, vivens, substantia, ens, doctus* important in hoc objecto experientiae *Petro* aliquid a mente mea independens ipsi intrinsecum, reale, objectivum. — Quod dicitur de Petro oportet ut dicatur de praedicatis quae aliis rebus tribuuntur. — Quia igitur omnia praedicata, ex quorum terminis efficiuntur omnia judicia etiam quae a Kantio dicuntur analytica a priori, important aliquid (puta rationem qualitatis, vel substantiae, aut saltem rationem entis) ipsis rebus experimentalibus intrinsecum, eis conve-

niens independenter à mentis consideratione, sequitur quod non sint omnino a priori a sola mente. Unde judicia analytica omnia in rebus seu in objectis experientiae fundamentum habent, et ideo non sunt a priori omnino a sola mente procedentia ut vult Kantius (1).

(1) Falsa et absurda est accusatio quorundam positivistarum contra scholasticos. Quidam redarguunt scholasticos quasi procedentes a principiis omnino abstractis independenter ab objectis sensibilibus et quasi rejicientes methodum experimentalem; sed ex dictis patet absurditas et ignorantia redarguentium; nam scholastici dependenter ab ipsis objectis experientiae ponunt esse illa principia ipsa; unde experientiam non aspernuntur sed venerantur. Objecta enim experientiae ponunt veluti fundamentum totius cognitionis; non tamen per *exclusionem vis intellectivae abstrahentis*. Unde vis abstractiva omnino admittenda est. Non enim scientia sine abstractione est possibilis; sublata enim abstractione non remanent nisi ipsa facta contingentia isolata quae sic scientiam nullam constituere possunt. Abstractionem autem mentis non ponunt vacuam quasi sit negatio realitatis aut objectivitatis, sed ponunt ipsam esse *actum* quo intellectus aliquam proprietatem considerat in objecto aliquo aliis non consideratis. Hic actus abstractivus successive circa diversas proprietates repetitur; unde habentur distincti conceptus, non quidem vacui, sed proprietates diversas in objectis sensibilibus, seu experientiae vere existentibus importantes, quas proprietates per tales conceptus adinvicem intellectus confert et considerat in ordine ad ipsa objecta sensibilia; et sic habentur judicia ipsa analytica et synthetica et generatur scientia non chimerica sine objectis sicut per conceptus aprioristicos Kantianos, sed scientia vera quae est de objectis veris et realibus, sicut sensus communis, ipsa conscientia et ratio ineluctabiliter et evidentissime testantur. Haec autem judicia possunt summopere multiplicari mediante cognitione experimentali quatenus intellectus attentione et abstractione alias et alias proprietates colligit et ad invicem confert. Et sic habentur scientiae variae secundum diversitatem objectorum sive experimentales sive rationales, quae tamen non a priori constructae reputandae sunt, sed ex ipsis objectis experientiae sunt repetendae per vim intellectus, cujus est proprietates rerum adinvicem conferre, relationes mutuas perscrutari atque patrimonium cognitionis augere.

260. **Quo sensu debent intelligi judicia a priori.** — Ex dictis patet judicia a *priori* non hoc sensu absurdo dici debeant quod mens habeat ex semetipsa omnia objecta quasi puros conceptus ipsius ab ipsa spontanee emanantes, nihil autem objectivum independens a sua conceptione repraesentantes, sicut ipse Kant supponit; neque dicuntur *a priori* et universalia quasi a mente colligantur plura objecta et postea efficiatur unum universale judicium, sed quia vi abstractionis apprehensis in singulari aliquo (vel aliquibus) quibusdam notis universalibus, inde ex simplici eorum comparatione sine ullo discursu mens perspicit eorum convenientiam vel disconvenientiam (cf. n. 245).

261. **Valor primorum principiorum.** — Ergo prima principia etiam per conceptus universalissimos expressa non sunt vacua, sed habent valorem objectivum; unde etiam hoc principium: *Ens quodlibet est sua propria natura* habet valorem objectivum. In hoc principio implicite et virtualiter continentur omnia universalia secundum eorum objectivitatem, et omnes definitiones e. g.: *homo est animal rationale.*

262. **Radix erroris subjectivistici.** — Radix erroris subjectivismi si considerentur judicia quae a subjectivistis dicuntur synthetica a priori et quae sunt fundamentum hujus doctrinae, in eo consistit quod *modus* quo uniuntur termini in propositione efformanda transfertur ad ipsum judicium quo dicuntur uniri conceptus et objecta ipsa. Nam ex hoc ipso quod termini, idest subjectum et praedicatum, propositionis adinvicem distincti et separati realiter, in unum conjunguntur conjunctione materiali ut duorum quorum unum non est aliud, putatur idem fieri in ipso judicio; quasi duo conceptus quorum unus sit omnino extra alium et diversum ab alio.

uniantur simul et quasi misceantur, ut res diversae ante ipsum judicium. Quod quam sit absurdum dicere nemo non videt; nam cum intellectus dicit: *Petrus est animal,* vel *homo,* vel *doctus* nihil aliud facit quam videre, seu constatare et animadvertere id quod continetur in conceptu praedicati, contineri idipsum in conceptu quem nunc habet de subjecto, (cf. n. 234), vel praedicatum contineri in subjecto — non autem illa conjungit quasi disparata et diversa. — Distinguat ergo subjectivismus in judiciis terminos ipsos materialiter sumptos ab eo, quod, ab iis significatum, in ipso intellectu est, in quo diversimode se habet ac in terminis illis; nam quae intellectus apprehendit prius per distinctos conceptus, ea inde per unicum actum atque per unicum conceptum videt seu judicat et dicit esse identica; et inde per distinctos et diversos terminos exterius designat, qui proinde conjungi debent simul ad illam identitatem significandam aliis, quibus fortasse illa identitas non apparet.

Caput XVI.

De sensibus ut sunt media sive criteria cognitionis

(Zigliara, Crit., l. II, c. I; Liberatore, log. pars. alt., c. II. art. I et II; Lepidi, Cosmolog. pag. 10 s. qq.; Lorenzelli, Psycholog. sensitiv. lect. II; Hugon, crit. t act. II. qu. III.a. II.; Mancini, Critica, pag. 114 seqq.); Ausonio Franchi, Ult. Crit. P. I, pag. 122-180.

263. **Ratio capitis.** — Adserta mentis nostrae possibilitate consequendi certo veritatem, dicendum est de mediis veritatis adsequendae seu de veritatis criteriis. Quae criteria alia sunt intrinseca, ut evidentia, alia extrinseca, ut auctoritas humana; et cri-

teria intrinseca alia sunt subjectiva, nempe facultates cognoscitivae, alia sunt objectiva, scilicet veritates quibus ut principiis in ratiocinando utimur ; in omni enim cognitione duo essentialiter sunt : *ratio cognoscens* et *objectum cognitum*. De quibus omnibus dicendum est. Incipimus a criteriis subjectivis, in quibus primum occurrit de facultatibus sensitivis considerandum, et ideo de his loquimur in praesenti capite, in sequentibus autem de aliis.

264. **Criterii notio.** — *Criterium* graece, idem latine sonat ac *instrumentum judicandi, vis judicandi, id e quo judicium circa rem aliquam petimus,* si verbum verbo reddas. Communiter autem *criterii* nomine intelligitur *norma,* seu *motivum,* seu *quia (il perchè) ;* seu *ratio quae mentem inducit ad assentiendum alicui veritati.* Ut si quis quaereret a me undenam certus sim de mea existentia, responderem : *quia conscientia meam existentiam refert ;* haec causalis est, hoc in casu, *criterium* meae certitudinis relate ad meam existentiam. Quod a recentioribus dicitur criterium, a scholasticis *objectum formale* dicebatur.

265. **Sensus externi.** — *Sensus externi* quinque enumerantur, videlicet : *visus, auditus, olfactus, gustus,* et *tactus.* Dicuntur *externi* quia organa quibus actiones exercentur extrinsecus patent, ut *oculi, aures, nares, palatus* et *organismus tactus* per totum corpus diffusus. — Actio sensuum *generice* dicitur *sensatio*, quae varia nomina specifica sortitur, ut *visio, auditio* etc. — Organa sensus *sensoria* dicuntur, quae non sunt *sensus*, remanent enim in cadavere in quo amplius *sensus* non est : unde sensus proprie sunt *organa sensoria animata.* Denique objecta ad quae terminatur *sensatio* dicuntur *sensibilia,* non quia *sentiunt,* sed quia *sentiuntur.*

266. **Sensibile proprium et sensibile commune.** — Objectum autem sensus aliud est *proprium*, aliud *commune;* dicitur *proprium* illud quod ab uno sensu tantum percipitur; e. g. *color* est objectum proprium respectu *visus*, quia a solo *visu* percipitur; et *sonus* est proprium objectum respectu *auditus* etc. Illud autem quod percipitur a pluribus sensibus dicitur objectum *commune* respectu illorum sensuum; e. g. *extensio* percipitur a *visu* et a *tactu*, item *motus*, *numerus* etc. et ideo dicuntur sensibilia *communia* respectu *visus* et *tactus*.

267. **Duo advertenda circa sensibile proprium et sensibile commune.** — Duo tamen advertenda sunt: 1.° quod quilibet sensus *primo* et *per se* respicit objectum proprium; e. g. *visus colorem;* obiectum autem commune respicit *per se, sed non primo* e. g. *visus* percipit *primo colorem* et ratione coloris ipsam *extensionem;* et ideo licet non *primo*, tamen vere percipit extensionem ut distinctam a colore et a luce; neque homo alia facultate indiget distincta a visu ad percipiendam extensionem aut motum etc. et ideo visus per se percipit tale objectum.

2.° Adverte acceptandum non esse ut semper infallibile unius sensus testimonium respectu objecti communis, nisi alterius sensus testimonium accedat; e. g. *respectu remi in aqua positi*, qui quandoque videtur fractus, et fractus tamen non est. Ut error corrigatur, alius sensus, nempe tactus, adhibendus est.

268. **Sensibile per accidens** illud dicitur quod statim per interiorem facultatem percipitur in objecto, quod percipitur aliquo sensu externo; e. g. homo per visum dicitur *hominem* percipere, et tamen per visum non percipit nisi colorem, extensionem, figuram, non autem substantiam, vitam hominis etc. Haec enim omnia nonnisi interiori facultate apprehendi possunt, puta intellectu vel sensu aliquo interno. Si enim

homo ipsam substantiam per visum perciperet, sicut percipit colorem, figuram, extensionem, nunquam aut saltem rarissime falleretur, sicut fallitur cum videt imaginem Petri in speculo perlucido non advertens speculum, aut videt coloratum, putans esse Petrum et est statua Petri.

269. **Advertenda circa sensibile per accidens.** — 1.° Ad hoc ut aliquid dici possit *sensibile per accidens,* oportet ut conjungatur ei, vel ut accidat ei quod est sensibile per se; sicut e. g. *homo,* qui est aliquid *sensibile per accidens,* conjungitur *albo,* vel *accidit albo,* aut *nigro.*

2.° Requiritur ut sit apprehensum per se ab alia potentia distincta ab ipso sensu, a quo dicitur sentiri per accidens; et talis potentia vel est intellectus vel alius sensus, sive externus sive internus; sicut *dulce* est *visibile* per accidens, non quasi ipsa dulcedo videatur, sed quia, cum *album* videtur, per aliam facultatem ipsa *dulcedo* etiam apprehenditur, puta per intellectum aut per alium sensum (1).

270. **Normae ad evitandos errores circa sensibile.** — Circa sensibile commune, ut diximus, potest esse error respectu unius sensus. Circa sensibile per accidens etiam potest esse error, si sensibile per accidens consideretur in sua natura determinata: e. g. videns coloratum potest errare putans esse Petrum, aut hominem, aut animal: at si sub communi ratione consideretur, difficilius error esse potest: si autem sub ratione communissima, aut nullus, aut difficillime. Haec a sensu communi dictantur.

Requiritur autem ut error vitetur sive circa sensibile *proprium,* sive *commune,* sive *per accidens,* ut sensus sit rite dispositus 1.° *in se ipso,* 2.° *respectu*

(1) Cf. S. Th. sup. lib. *de anima* lect. XIII.

medii, 3.° *respectu objecti. In seipso,* quia si sensus e. g. aegritudine afficiatur non est aptus ad recipiendas impressiones objecti sensibilis sicut oportet; unde, ut ait S. Aug. (1), e. g. palato non sano poena est panis, qui sano suavis est, et oculis aegris odiosa lux, quae puris est amabilis; *respectu medii,* nam nimia lux obcaecat visum, potius quam illuminet; *respectu objecti,* quod nempe sit in debita et proportionata distantia; objectum enim nimium distans non videtur, sicut non videtur si nimium oculis appropinquetur.

271. **Quaestio.** — Sensus externos referre nobis corpora, ut realiter existentia extra nos, factum est certissimum, quod a nullo in dubium vertitur. Quaeritur ergo an sensus sint veraces; scilicet quaeritur an nos testimonio sensuum externorum innixi, tuto sine erroris periculo realem corporum existentiam ut certam retinere possimus.

272. **Idealismus.** — Non pauci ex antiquis philosophis ante Socratem, ut Democritus, Anaxagoras, Empedocles, nihil a nobis sciri posse dixerunt, aut percipi, negantes, aut in dubium corporum realitatem objectivam vertentes. Neque desunt recentiores philosophi illorum veterum sectatores, quos inter recensetur Berkeley (1684-1753), David Hume (1711-1776), Kant, et etiam Malebranche, qui docet nonnisi fide innixa auctoritate divinae revelationis nobis constare de corporum existentia. His addi possunt Taine, Foillée et plures alii. — Hi philosophi *subjectivistae* dicuntur, et eorum doctrina *subjectivismus.* Dicuntur etiam *idealistae*, quia corporum realitatem negantes nonnisi ideas, aut sensationes agnoscunt, dicentes objecta ideis aut sensationibus

(1) Conf. De Civ. Dei l. VII, c. XVI, n. 22.

non correspondere ut ab iis distincta. Tamen Berkeley cum suis asseclis licet neget corporum obiectivitatem, non tamen omnino subjectivas esse dicit illas sensuum affectiones, ponit enim eas ab aliqua causa exteriori idest a Deo ipso in sensibus produci. — Imo non desunt qui licet sensus nonnisi proprias affectiones percipere doceant, tamen existere corpora concedunt quae a nobis ope ratiocinii cognoscantur. — Hanc sententiam tenent Cartesiani et inter recentiores Reid, Maine, Cousin, etc. Contra quos sit :

273. **Conclusio :** *Sensus externi sunt veraces, hoc est criteria veritatis, in referenda realitate corporum extra nos existentium.*

Prob. : Sensuum externorum veracitatem evidenter probant tum *natura ipsa nostra,* tum *ipsa organa sensoria,* tum *intrinseca natura sensationis.* Ergo sensuum externorum veracitas in referenda corporum realitate extra nos existentium est certissime retinenda. — *Consequentia patet.* — *Probatur antecedens* per partes :

1.ª *Sensuum externorum veracitatem ipsa nostra natura demonstrat.* — Nam ipsa nostra natura ita se committit testimonio sensuum circa realem corporum existentiam, ut stultus haberetur ille, qui ita se gereret quasi ipsa corpora a sensibus relata non extarent; unde de ipso Pyrrhone scepticorum duce, haec Diogenes Laërtius in eius vita narrat : « Aliquando cane irruente perturbatus (Pyrro), exprobanti dixit, *difficile esse prorsus hominem exuere ;* pugnandum tamen quoad ejus fieri possit, primum quidem rebus contra ipsas res, *sin minus, certe ratione* ». Nisi ergo (ex ore scepticorum) natura humana exuatur, sensuum veracitas negari non potest.

2.ª *Ipsa organa sensoria demonstrant sensuum externorum veracitatem.* — Sensus nobis inesse eosque exer-

ceri per elaboratum pulcherrimumque organismum extrinsecus patentem nonnisi dementissimus negat. Sed ad quid praefatus organismus exterius patens, nisi ad impressiones sensibilium externorum excipiendas? Ad quid oculos nisi ad videndam pulchritudinem corporum, quae extra nos sunt? Ad quid aures nisi ad audiendum? Ad quid tactus nisi ad percipienda dura vel mollia? Deme ab organismo relationem naturalem ad sensibilia externa, et simul ipsius organismi naturalem dispositionem, omnino inutilem et ridiculam ponis. Posita ergo sensuum existentia, eorum veracitas omnino admittenda est.

3.ª *Ipsa sensatio denique sensuum externorum veracitatem demonstrat.* Certum est a sensibus externis ipsa sensibilia ut extrinseca mihi repraesentari. Haec autem repraesentatio aut est a solo organismo, aut ab ipsis objectis externis sensibilibus ipsum organismum afficientibus et determinantibus. Atqui non a solo organismo sive a subjecto sentiente esse potest. Ergo a sensibilibus objectis extrinsece existentibus ipsum organismum afficientibus et determinantibus. — *Prob. minor* dupliciter: 1.° quidem quia impossile est explicare quomodo objectum sensationis tam vivide ut quid extrinsecum exhibeatur, cum ipse organismus sive ipsa facultas sensitiva sit exclusive in subjecto sentiente et ab ipso, si ipsa sensatio ponatur exclusive subjecti sentientis modificatio. — 2.° *Prob.* eadem *minor* ex eo quod ego me sentio esse omnino indeterminatum in meo organismo ad sentiendum unum objectum vel aliud, puta lucidum B vel lucidum C, et tamen quoties sentio actualiter, aliquid non indeterminatum, sed determinatum sentio. Atqui haec determinatio aut est a sensu aut ab objecto extrinseco sensum determinante; non autem potest esse a sensu, qui natura sua est indeterminatus et indifferens, ut patet.

Ergo remanet ut sit ab objecto extrinseco exteriori, quod proinde existit. Aut ergo negandum est factum sensationis, quod et sceptici concedunt aut admittendum est objectum extrinsecum et realiter existens.

274. **Objectivitas sensibilium quae a sensibus referuntur.** — In praesenti non est sermo de natura corporum quae a sensibus referuntur an scilicet corpora sensibus percepta sint substantiae vel phaenomena, aut qualitates, aut vibrationes etc. haec enim determinare non ad sensum sed ad intellectum pertinet, qui non unius tantun sensus sed omnium sensuum testimonio utitur, et praecipue proprio lumine quod supra omnem sensum est procedit ad judicandum. Igitur ad propositum nostrum sufficit si argumenta relata probent (sicut vere et invictissime probant), extare objecta sensibilia exterius a quorum impressionibus et actionibus sensus nostri afficiantur et determinentur ad illa objecta sentienda (1).

275. **Notanda pro solutione difficultatum.** — Ad solvendas omnes difficultates prae oculis habeatur quod dictum est (n. praec.); et insuper quod objectivitas sensibilium exhibetur tanquam factum evidentissimum; quod proinde praesupponi debet omnibus quaestionibus ad hujusmodi objectivitatis naturam explicandam, unde objectivitas haec certissime et inconcusse habita tanquam lux et initium praedictarum discussionum deservire debet; nam ex claris ad obscura illustranda procedere debemus; ita scilicet ut obscura non admittantur ut vera nisi mediantibus cognitionibus anterioribus claris, clara et illustrata evadant. Omnis ergo illatio quae veritati illi objectivae opponitur rejicienda est. — Unde omnes quaestiones respicientes et naturam sensationis, et modum

(1) Cf. Luigi Chiesa. — La *Base del Realismo* etc. pag. 151 segg.

agendi corporum in animum et ipsam naturam objectorum sensibilium etc. statutam objectivitatem in praesenti thesi, non impetunt imo neque ipsam tangunt. — Potius enim negandae sunt theoriae et explicationes quae inducuntur ad praefatas quaestiones solvendas, quam haec objectivitas, quia illae tanta claritate qua haec gaudet, gaudere non possunt (n. 117). Haec prae oculis habeantur in solvendis difficultatibus; sufficiunt enim ad omnes difficultates solvendas quasi generalis responsio, licet fortasse alia responsio in promptu non habeatur.

276. **Quomodo est veritas in sensu.** — Sicut in mente est simplex apprehensio, in qua conformitas ad rem apprehensam consideratur, ita in facultate sensitiva est apprehensio quae dicitur *sensatio.* — Sed sensatio dupliciter considerari potest: 1.° ut est *affectio sensitiva*, et sic sensus dum sentiunt, sunt vere affecti, et habent veritatem, idest veram affectionem; quae veritas dici potest veritas ontologica, et est verum objectum rationis sive intellectus; 2.° potest considerari ut est *objectiva,* idest non ut est affectio sensus, sed ut importat apprehensionem objecti; et ideo ut dicit ordinem et relationem ad objectum ipsum referendo vel repraesentando; et sic in sensibus consideratur quaedam conformitas ad objectum, ad similitudinem conformitatis quae est in mente; non tamen haec conformitas quae est in sensu cognoscitur ab ipso, sicut conformitas quae est in intellectu cognoscitur ab intellectu per judicium quod est proprium intellectus. Et ideo in sensu non est veritas ut cognitum in cognoscente, sed solum ut in quadam re vera, idest veritas *ontologica*, et ut importatur simplex relatio conformitatis ad objectum sensibile ut dictum est. Sed tamen sensus intellectui errandi occasio esse possunt circa objectum commune, aut per

accidens, quia non semper referunt sicut est, et ideo secundum hoc falsitas esse potest in eis.

277. **Solvuntur objectiones.** — *Obj.* 1.ª Posita objectiva realitate sensationis externae, sequitur quod corpora agant in animum. Atqui corpus in animum agere non potest. Ergo neganda est externae sensationis objectivitas.

Resp.: Dist. maj.: Sequitur quod corpora agant in animum separatum, *nego;* corpori unitum, seu in organismum animatum, *conc.;* et *contrad. minorem:* Corpus non potest agere in animum separatum, *transeat;* in organismum animatum, *nego* et *nego conseq.* Sensibilia, licet non possint agere in animum immediate et directe, qui simplex est, tamen agunt in organa animata: ex qua actione sequitur in sensu illa affectio quae sensatio dicitur, quae, utpote veritas facti, negari non potest quantumvis difficilis sit ejus explicatio. *Transmisi* autem *minorem,* quia licet sensibilia, naturaliter, virtute propria agere non valeant in animum separatum, tamen agere possunt ut instrumentum divinae virtutis; insuper ad nostram quaestionem non pertinet an sensibilia in animum a corpore separatum agere possint (cf. n. 267).

Obj. 2.ª Sensatio est quid subjectivum, seu quid immanens in nobis. Atqui quod est hujusmodi nequit ad reale objectivum seu extra subjectivum transferri. Ergo sensatio non potest protendi ad corpora extra nos existentia, quae sunt quid extra-subjectivum.

Resp.: Dist. maj.: Sensatio, ut est affectio sentientis est quid subjectivum, *conc.;* ut est cognitio, *nego.* Et distinguo pariter *minorem:* quod est totaliter subjectivum nequit etc., *conc.;* Quod est aliquo modo subjectivum et aliquo modo objectivum, *nego.* — Sensatio dupliciter considerari potest: 1.° ut est affectio seu impressio in sensu recepta; et sic est aliquid subjecti-

vum se tenens ex paste sensus, in quo est et manet; 2.° ut est apprehensio sive ut est cognitio; apprehensio autem sive cognitio est semper alicujus rei quae apprehenditur aut cognoscitur; et ideo sensatio hoc modo considerata importat ordinem in sensu ad aliquid quod est extra sensum sive ad aliquid extra-subjectivum.

Obj. 3.ª Sensus externi testantur qualitates quibus sensus ipsi afficiuntur, ut puta calidi, frigidi, etc. inesse corporibus. Atqui tales qualitates corporibus non insunt. Igitur sensuum externorum testimonium fallax est.

Resp. Dist. maj.: Sensus externi testantur etc. si qualitates illae accipiantur ut sunt affectiones subjecti sentientis, *nego;* si accipiantur ut sunt causae talium affectionum, *conc.;* et, *contrad. min., nego coneq.* Certe sensatio calidi e. g. aut frigidi est in subjecto sentiente, puta in me; sed sensationis causae sunt in rebus ipsis, quae impressiones affectionasque producunt. — Deinde in praesenti non est nobis quaestio cum idealistis de natura corporum; unde non quaerimus quaenam qualitates in corporibus sint etc., sed exclusive de corporum existentia est sermo; et ideo haec objectio extra quaestionem vagatur (Cf. n. 267).

Obj. 4.ª Somniantes et delirantes adserunt se videre et sentire, ut extra se existentia, quae nullo modo existunt. Igitur, a pari et nos vigilantes, timere et consequenter dubitare jure possumus circa ea quae nobis ut extrinsecus existentia videntur.

Resp. 1.°: *Nego consequentiam* et *paritatem.* Nos enim sensu communi ducti differentiam maximam, non paritatem, inter vigilantes, dormientes et delirantes esse censemus. Unde miramur idealistas ad hujusmodi facta confugere. Dormientes et delirantes testes adhibent? 2.° Delirantibus ea ut vera apparent quae vera obje-

ctive non sunt, propter defectus existentes in sensibus; est igitur in illis exceptio, quam non sine maxima injuria rationis et providentiae divinae sceptici in regulam generalem convertunt. 3.° Dicimus nos hic non agere de phantasmatibus quae nobis dormientibus occurrunt, sed de externa sensatione : quam diversam esse a sensationibus phantasticis in ipso somnio habitis, unusquisque non solum in vigilia, sed etiam in ipso somnio aliquando discernit; etenim somniando non raro dubitamus utrum somnia sint somnia vel realitates; quod in vigilia non accidit; imo in vigilia de somniorum inanitate judicium ferimus. Concedimus etiam imaginationem non solum in somniis sed etiam in vigilia esse causam erroris. Pro cujus intelligentia quaedam de imaginatione, sive de phantasia dicenda sunt.

278. **Notio phantasiae.** — Nomine *phantasiae* intelligitur : *animae nostrae facultas reproducendi in semetipsa sensibilitatis externae objecta, seu species objectorum, ipsis objectis absentibus.* Species objectorum, quae a phantasia reproducuntur *phantasmata* vocantur. Inter externam sensationem et phantasiam hoc interest discrimen, quod illa nonnisi a rei praesentia excitatur; e contra phantasia res ipsas jam per sensationem externam expertas absentes reproducere potest, vel rerum species in ea conservatas componendo, novas species conficere, ut e. g. *montis* species componendo et *auri*, potest speciem *montis auri* conficere.

279. **Phantasia in nobis consociatur exercitio intelligentiae, et inde pericula erroris.** — Quamvis phantasia omnino ab intelligentia distinguatur, tamen de facto constat quod quemlibet intelligentiae actum in praesenti vitae statu phantasia comitatur, ut quilibet in seipso experiri potest; et licet phanta-

smata per se sint ordinata ad nostram intelligentiam coadjuvandam, gravissimi periculi tamen intelligentiae esse possunt. Ratio hujus est, quia non pauci confundunt imaginationis objectum cum objecto intelligentiae, et ideo admittere nolunt nisi quod imaginatione metiuntur, quo nihil funestius in scientiis (1).

280. **Normae contra imaginationis pericula.** — Ut ergo periculum erroris ex imaginatione, sive phantasia proveniens evitetur, necesse est 1.° reflexione uti, qua elementum phantasticum a rationali elemento discernatur; 2.° quia imaginationis officium est objecta, ipsis objectis absentibus vel etiam non absentibus, reproducere, ideo numquam vi phantasticae repraesentationis adserenda est praesentia aut existentia alicujus objecti, sed testimonium sensuum externorum expectandum est, vel judicium intellectus per attentam reflexionem habitum ; 3.° ab judiciis proferendis prudenter abstinendum est quoadusque deferveat tumoltuosus impetus ardorque imaginationis (2).

Caput XVII.

De aliis criteriis subjectivis

(Zigliara, Crit. lib. II, c. I, a. III, IV ;
Liberatore, Log. pars alt., Cap. II, Art. III, IV et V ;
Hugon, Log. Maj. pag. 315 seqq. ; Mancini, Critica, pag. 123 seqq.).

281. **Quid est conscientia.** — Nomine *conscientiae* in praesenti intelligitur *facultas qua homo proprias affectione spercipit.* A scholasticis *sensus intimus* dicebatur ; ipsi enim vocabulo *conscientiae* exclusive utebantur ad designandam proximam regulam humanarum actionum.

(1) Cf. Zigliara, *Crit.* lib. II, c. I, a. II ; Goudin, Log. min., II pars , a. IV, § II.
(2) Cf. Zigliara et Goudin, l. c.

282. **Duplex conscientia.** — Duplex conscientia distinguitur in homine : *sensitiva* et *intellectiva*. Conscientia *sensitiva* affectiones sensibiles renuntiat; *intellectiva* autem 1.° renuntiat actiones partis rationalis, mentis scilicet et voluntatis, 2.° actiones partis sensitivae. Conscientia sensitiva communis est homini et aliis animalibus ; conscientia intellectiva vero, ea ratione qua renuntiat actiones partis intellectivae, est communis homini et substantiis spiritualibus.

283. **Objectum conscientiae.** — Ex definitione tradita liquet quodnam sit objectum conscientiae : idest *affectiones animae* sive *hominis* exclusive renuntiare; et ideo ad conscientiam non pertinet harum affectionum investigare naturam aut causas aut relationes, sed existentiam tantum renuntiare, eas ut facta quaedam actualiter existentia in nobis testificando ; alia vero investigare ad rationem pertinet. — Ex his patet : 1.° sensationem ipsam, quae objecta ab affectionibus distincta refert, non esse conscientiam ; 2.° patet conscientiam simul cum affectionibus referre ipsum subjectum quasi per accidens, idest ratione talium affectionum; nam testificari, sive referre alicujus subjecti affectiones est ipsum subjectum ut affectum testificari ut factum quoddam.

284. **Quaestio.** — Quaestio quae nunc solvenda proponitur est an conscientia circa proprium objectum sit veritatis criterium ; idest quaeritur an ratio vel homo possit retinere factum, quod conscientia renuntiat, tanquam certum sine errandi periculo.

285. **Conclusio.** — *Conscientia intra limites proprii objecti est veritatis criterium.* — Dico *intra limites proprii objecti* ad solvendas difficultates quae contra conscientiae testimonium moventur ; hae enim objecta aliarum facultatum respiciunt.

Probatur ergo *conclusio:* Conscientiae veracitas, sive ex natura objecti quod refert, sive ex natura ipsius conscientiae consideretur, non potest in dubium revocari quin simul dubio ipso affirmetur. — Ergo conscientia intra limites proprii objecti est criterium veritatis. — *Consequentia* patet. — *Prob. antec.* quoad utramque partem:

1.ª *Ex natura objecti quod refert:* Hujusmodi objectum non est aliquid ratiocinatione deductum, sed factum quo nihil immediatius, nihil intimius, nihil vividius animum afficere potest; quia objectum seu factum illud est ipse animus affectus. Atqui factum, eo ipso quod afficit animum, non potest non afficere; et eo ipso quod animus afficitur illo facto, impossibile omnino est ut fallatur in affirmando se esse affectum. Pone dubium conscientiae testimonium; et in hac hypotesi factum afficiens animum seu objectum conscientiae erit ipsum dubium; ac proinde ex ipsa objecti ratione negari non potest conscientiae veracitas circa suum objectum testandum quin simul ipsa negatione manifestissime affirmetur.

2.ª *Ex ipsa conscientiae natura:* Namque, si quis dubitet de conscientiae testimonio, aut scit dubitare, aut nescit: non datur medium. Si nesciat, stulte loquitur et non est curandus; si scit, procul dubio scit se dubitare per testimonium conscientiae, quam ipse necesse est habeat ut criterium veritatis ad affirmandam suam dubitationem: nempe conscientiae natura talis est ut ejus veracitas in renuntiandis propriis objectis non possit verti in dubium, quin ipso dubio simul invictissime probetur.

286. **Intelligentiae et rationis notio.** — Unica facultas intellectualis cognoscitiva in anima humana existit, quae variis nominibus designatur secundum

diversa officia ad quae natura sua ordinatur. Haec facultas dicitur *conscientia* quatenus affectiones animi nostri refert, ut supra dictum est; dicitur *intelligentia* vel etiam simpliciter *intellectus,* secundum quod immediate et sine discursu nonnullas veritates illico intelligit, ut sunt, e. g. prima principia seu judicia per se nota; dicitur *ratio* secundum quod discursu seu ratiocinatione ab una veritate ad alteram veritatem intelligendam (nam intelligentia seu intelligere est finis ratiocinii) vel a principiis ad conclusiones procedit. Haec proprie et formaliter loquendo: usu tamen venit ut promiscue hujusmodi nomina usurpentur. Nos vero strictiori sensu nuper explicato adsumimus. Et duo quaerimus: 1.° Utrum intelligentia in suis judiciis possit esse errori obnoxia, quod idem est ac quaerere utrum possit esse criterium veritatis, 2.° Utrum idipsum dicendum sit de ratione.

287. **Conclusio I.** — *Intelligentia non potest esse errori obnoxia in judiciis sibi propriis.*

Prob.: Intelligentia stricte accepta respicit solum prima principia per se nota, seu efformat solum illa judicia quorum praedicatum includitur in ipsa notione subjecti. Atqui in hujusmodi judiciis errare non potest. Ergo intelligentia in judiciis sibi propriis errare non potest. — *Probatur minor:* Ex hoc ipso quod praedicatum includitur in ipsa notione subjecti jam cognoscitur certissime tale praedicatum convenire subjecto; et ideo error in tali judicio esse non potest.

Confirmatur: Intelligentia aut habet notionem subjecti cum debet efformare judicium, aut non habet; si non habet, nullum judicium efformare potest, et ideo non potest errare; si autem habet, eo ipso cognoscit praedicatum, quod in notione ipsa subjecti includitur. Ergo nullo modo errare potest in suis judiciis.

288. **Conclusio II.** — *Ratio humana in judiciis mediatis per ratiocinationem inferendis* PER SE *non fallitur, at falli potest* PER ACCIDENS.

Prob. 1.ª *pars :* 1.º Falli *per se* est falli ex intrinseca sua natura. Atqui ratio humana non potest falli ex intrinseca sua natura. Ergo ratio humana non fallitur *per se.* — *Major* patet; explicatur enim quid intelligatur per *τό falli per se.* — *Prob. minor:* Deficere ab eo ad quod aliquid ex natura sua ordinatur, non potest ei convenire ex intrinseca sua natura, sive per se. Sed errare seu falli est deficere a veritate, ad quam ex natura sua ratio humana essentialiter tendit et ad quam essentialiter ordinatur. Ergo errare seu falli rationi humanae non competit ex sua intrinseca natura, seu per se.

2.º Nulla res tendit ex intrinseca sua natura ad opposita ut opposita sunt. Sed si ratio humana per se falleretur, ex intrinseca sua natura tenderet ad opposita ut opposita sunt, idest ad veritatem et ad errorem. Ergo ratio humana per se non fallitur.

Prob. 2.ª *pars :* Falli *per accidens* est falli non ex intrinseca natura rationis, sed ex aliqua causa quae impedit rectum exercitium rationis, prout etiam per accidens defectus contingunt in aliis agentibus naturalibus. Atqui hujusmodi impedimenta dari posse, imo de facto dari in processu rationis humanae, constat ex ipsius rationis erroribus. Ergo ratio humana in judiciis mediatis per ratiocinium inferendis falli potest per accidens.

Confirmatur : Ratio humana de facto fallitur, ut ex experientia patet. Sed non fallitur per se. Ergo per accidens. Insuper falli et errare rationis, est a veritate, ad quam ratio per se tendit, deficere. Sed deficere ab eo, ad quod quis tendit per se, non potest nisi accidentaliter ei convenire. Ergo ratio

humana fallitur per accidens. Ut magis declarentur ea quae probavimus, alia conclusio statuenda est.

289. **Conclusio III.** — 1.° *In demonstrationibus mens ex necessitate adsentitur veritati conclusionis demonstratae.* 2.° *In argumentatione probabili mens non ex necessitate conclusioni adsentitur.*

Prob. 1.ª *pars :* In demonstrationibus mens necessario adsentitur veritati praemissarum. Atqui adsentiens necessario veritati praemissarum adsentitur etiam veritati conclusionis a praemissis deductae evidenter per demonstrationem. Ergo in demonstrationibus mens necessario adsentitur veritati conclusionis. — *Prob. min.:* Adsentiens necessario veritati praemissarum adsentitur etiam necessario veritati, ex cujus negatione sequitur evidenter negatio veritatis ipsarum praemissarum. Sed in demonstrationibus, ex negatione veritatis conclusionis demonstratae sequitur evidenter negatio veritatis praemissarum. — Ergo adsentiens necessario veritati praemissarum adsentitur etiam necessario veritati conclusionis demonstratae.

Prob. 2.ª *pars :* Mens non potest firmius adhaerere conclusioni quam praemissis. Atqui in argumentatione probabili mens nostra non ex necessitate adhaeret veritati praemissarum ; non enim praemissae sunt evidenter certae. Ergo in argumentatione probabili mens non ex necessitate adsentitur conclusioni.

290. **Solvuntur difficultates contra veracitatem intelligentiae.** — *Obj.* 1.ª Quidam philosophi inficiati sunt prima principia per se nota, ut Heraclitus ex antiquis, et Hegel ex recentioribus negarunt veritatem ipsius principii contradictionis, videlicet : *Impossibile est idem simul esse et non esse*

secundum idem. Atqui hujusmodi philosophi errarunt procul dubio in intelligentiae judiciis. Ergo intelligentia in judiciis efformandis errare potest.

Resp.: Dist. maj.: Inficiati sunt voce vel scripto ad animi ostentationem, *concedo;* intima intellectus persuasione, *nego;* et, *trasmissa minori, nego consequentiam.* — Aristoteles (agens contra Heraclitum in IV Metaph.) ait non esse necessarium ut quidquid aliquis verbis dicit, mente etiam teneat vel etiam opinetur. Et S. Thomas (in I Posterior. Analyticorum lect. XIX) addit: « Nihil est adeo verum quin voce possit negari, nam et hoc principium notissimum quod non contingit idem esse et non esse quidam ore negaverunt. Quaedam vero adeo vera sunt quod eorum opposita intellectu capi non possunt, et ideo interiori ratione eis obviari non potest, sed solum exteriori, quae est per vocem ».

Obj. 2.ª Veracitas intelligentiae probari non potest nisi supponendo veracitatem intelligentiae, quod est petitio principii. Igitur veracitas intelligentiae ad minus incerta est.

Resp.: Neg. conseq.: Nam ea quae sunt per se manifesta probari non possunt; nec sequitur ea non esse vera, aut esse dubia, imo ideo hujusmodi sunt certissima quia deserviunt ad alia probanda, quae per se nota non sunt. Neque nos dedimus rigorosam demonstrationem veracitatis intelligentiae, sed eam declaravimus ope reflexionis per quaedam notissima et admissa apud omnes, ex quibus liquet absurditas negantium intelligentiae veracitatem. Neque includit circulum vitiosum declarare intelligentiam directam per intelligentiam reflexam, quia non idem per idem declaratur.

Obj. 3.ª Solus Deus est infallibilis. Igitur humanae intelligentiae deneganda est infallibilitas.

Resp. : Dist. antec. : Solus Deus est infallibilis infallibilitate imparticipata et absoluta, *concedo ;* solus Deus est infallibilis per exclusionem infallibilitatis ab ipso Deo aliis participatae, *nego.* Et *contradistinguo consequens:* Humanae intelligentiae deneganda est infallibilitas imparticipata et absoluta, *concedo ;* participata et relativa, *nego.* — Intelligentia nostra non circa omnes veritates est infallibilis, sed circa quaedam tantum ; idest circa ea quae ipsa respicit, ut patet ex dictis ; Deus autem circa omnes. Insuper intelligentia nostra, quia a Deo derivatur, est ens per participationem, et ideo etiam infallibilitatem participat ; imo ex eo quod ipsa infallibilitatem participat, sequitur eam esse finitam et quoad aliquas tantum veritates infallibilem.

291. **Objectiones contra rationis humanae veracitatem.** — *Obj.* 1.ª Ratio suis ratiociniis nullam veritatem intactam reliquit, omnesque errores patrocinata est. Ergo non est habenda ut veritatis criterium.

Resp. : Dist. antec. : Ratio *natura sua et per se* nullam veritatem intactam reliquit, *nego ;* ratio *per accidens* et ex abusu, quatenus a recta et legitima argumentatione deviat ex defectu reflexionis, ex incuria etc., *conc. ;* et *nego consequens.*

Subsumes : Atqui ratio humana *per se* idest ratiocinando legitime, nullam veritatem intactam reliquit. Ergo nulla data distinctio. — *Probo minorem subsumptam :* Tunc ratio dicitur legitime ratiocinari cum ex principiis certis ac evidentibus suas conclusiones infert. Atqui nullum est principium tam certum, ut ex eo oppositae conclusiones, idest vera et falsa conclusio deduci non possit. Ergo *per se* ratio humana errorem deducit, et ideo *per se* nullam veritatem intactam reliquit.

Resp.: Nego minorem subsumptam, et ad ejus probationem, *concessa majori, nego minorem* et *consequentiam.* Nam ex vero antecedente numquam potest deduci falsum (n. 92), nisi ob fallaciam argumentationis.

Obj. 2.ª Mentem nostram mutari in suis judiciis nemo negat. Atqui haec mutatio prodit rationis fallibilitatem. Ergo idem quod prius.

Resp.: Dist. maj.: In quibusdam judiciis, *concedo;* in omnibus, *nego. Dist.* pariter *minorem:* fallibilitatem circa quaedam, *concedo;* circa omnia, *nego.* — Ratio humana mutatur in rebus probabiliter cognitis, non autem in certis. Et licet quandoque deficiat etiam in his quae sibi certissima videntur, hoc non *per se,* sed *per accidens* contingit, idest vel propter praejudicia, vel ob passiones aut argumentationem sophisticam etc.

Pro aliis difficultatibus solvendis adverte: 1.° A nobis naturaliter et certissime cognosci quasdam veritates, ut sunt prima principia *per se nota,* ut ex prima conclusione hujus capitis patet, ex quibus ratio naturaliter ad alia cognoscenda procedit; 2.° ex his veritatibus nonnullas alias deduci a ratione immediate, vel quasi immediate sine ope memoriae; 3.° posse ex conclusionibus deductis et memoria retentis alias conclusiones deduci; et licet memoria quandoque falli possit, tamen ratio potest tales conclusiones memoratas ad trutinam revocare, idest cum primis principiis iterum comparare; 4.° veracitas rationis ex intima natura humana dictatur.

Caput XVIII.

De criteriis objectivis quae sunt: evidentia, et prima principia

(Joann. a S. Thomas log. q. 26. a. 4; Sanseverino Dynamil. Cf. Zigliara, Crit., lib. II. cap. II, art. I et II; Liberatore, Log. Pars. alt., cap. III, art. III et Cap. V; Per. *Div. Th.* vol. 4, pag. 367 seqq.; Hugon, Log. Maj. c. pag. 329 seqq.; Mancini, Critica, pag. 138).

292. **Evidentiae notio communis.** — *Evidens* nomen est communissimum, cujus significatio clarius intelligitur quam valeat explicari. Quid enim, dicimus, est hoc evidentius? Per quod significamus rem ita patere, esse manifestam, visibilem cuique intuenti, ut de ea inter omnes convenire necesse sit. Est autem res evidens evidentia, sicut est vera veritate, bona bonitate, lucida luce etc. *Igitur* evidentia abstracte sumpta est *veritatis perspicuitas menti cognoscenti.* Vocatur etiam *lumen objectivum.*

283. **Evidentia objectiva et subjectiva.** — Evidentia dividitur in *objectivam* et *subjectivam,* licet stricte loquendo evidentia semper aliquid *objectivum* designet. Evidentia objectiva jam definita est; idest: *rei perspicuitas menti affulgentis.* Evidentiae subjectivae nomine intelligi potest: *clara perceptio ipsius objecti intellectui praesentis in sua perspicuitate.* — Hinc evidentia objectiva eadem est ac *certitudo objectiva,* et evidentia subjectiva est ipsa *certitudo subjectiva.* Simpliciter tamen et stricte loquendo, certitudo designat aliquid *subjectivum,* idest firmitatem adhaesionis, et evidentia aliquid *objectivum,* ut explicatum est, non tamen designat aliquid objectivum sine ordine ad subjectum, sed cum ordine ad

subjectum, idest ad cognoscentem seu ad mentem, inquantum importat aliquid menti fulgens quod movet mentem ad adsentiendum; importat ergo etiam evidentiam ex parte subjecti seu subjectivam. Quam partem autem habeat in evidentia objectiva intellectus agens non est huius loci definire.

294. **Evidentia immediata et mediata.** — Evidentia, alia est *immediata*, alia *mediata*. Evidentia immediata est *perspicuitas rei per se ipsam menti affulgentis;* sicut est perspicuitas primorum principiorum et factorum, quae tum sensatione externa, tum conscientia perspiciuntur. Evidentia vero mediata est *perspicuitas quam res aliqua respectu nostri non habet per se, sed per aliud;* sicut conclusiones non ex se habent perspicuitatem, *sed ex principiis*.

295. **Evidentia intrinseca et evidentia extrinseca.** — Evidentia dividitur etiam in *intrinsecam* et *extrinsecam*. Evidentia intrinseca est perspicuitas rei sive per se, sive per aliam rem, in qua implicite continetur, menti affulgentis; evidentia extrinseca est perspicuitas scientiae et veracitatis dicentis vi cujus aliquam rem cognoscimus.

296. **Conclusio I.** — *Evidentia objectiva est firmissimum criterium veritatis.*

Prob.: Criterium est norma seu ratio qua mens inducitur ad assentiendum alicui veritati. *Atqui* norma firmissima procul dubio dicenda est veritas ipsa menti per se manifesta et per se trahens ad se mentis assensum; et veritas hoc modo menti manifesta est, ut supra explicavimus, ipsa evidentia objectiva. *Ergo* evidentia objectiva est firmissimum veritatis criterium. — Hinc communiter dicimus: *Res patet, res est evidens, claret meridiana luce:* quibus verbis existimamus satis superque assignare rationem qua, seu *τό quia*, adhaeremus firmiter alicui veritati.

297. **Corollarium.** — Ex his sequitur: evidens evidentia *objectiva* esse verum et esse evidenter verum evidentia objectiva et evidentia subjectiva; nam quod est evidenter verum evidentia objectiva, est etiam verum evidenter evidentia subjectiva, secus res sua perspicuitate non affulgeret menti, quod est contra definitionem evidentiae objectivae. Sed quod est evidenter verum evidentia subjectiva, non ex hoc est verum evidentia objectiva; ratio est quia quod apparet nobis esse verum, in se potest esse falsum.

298. **Principia demonstrationum.** — Nomine principii generice et universaliter loquendo intelligitur *id a quo aliquid procedit quocumque modo* (1) sive accipiatur in ordine rerum, hoc est in ordine *ontologico;* sive in ordine cognitionis idest *logico;* unde id a quo procedit aliqua nostra cognitio dici potest principium cognitionis. Quia ergo conclusiones procedunt ex praemissis, ideo praemissae dici possunt principia. Tamen in logica proprie loquendo *principia* dicuntur illae propositiones quae eo ipso quo enuntiantur, ut ineluctabiliter verae evidenter apparent e. g.: *Totum est majus sua parte; quae sunt eadem uni tertio sunt idem inter se; quidquid a mente concipitur aut est aut non est* etc. — Haec dicuntur prima principia quia non indigent ut in alia principia resolvantur ut habeatur evidentia et assensus, sicut indigent conclusiones scientiarum, sed iis uti possumus ad conclusiones deducendas et demonstrandas, vel in ea resolvuntur conclusiones seu veritates quae non sunt per se notae et evidentes.

299. **Principia demonstrationum a priori seu analytica et in ordine facti seu a posteriori.** — Principia demonstrationum quaedam dicuntur a priori

(1) S. Thomas, P. I. qu. XXXIII, a. I. c.

seu analytica, et sunt ipsae propositiones quae exprimunt judicia *analytica immediata;* verificantur autem in puro ordine ideali seu possibitatis etiam praescindendo ab existentia rerum quibus forte applicantur. — Haec principia vocantur etiam metaphysica (cf. n. 70): e. g. *Totum aequatur summam omnium suarum partium.* — *Aliquid non potest simul esse et non esse* etc. — *Omne ens est id quod est.* — Principia prima in ordine facti sunt illae propositiones immediate evidentes quae aliquod factum experimentale exprimunt et dicuntur *synthetica;* ut e. g. *Ego cogito.* — *Mundus existit.* — *Sol illuminat.*

300. **Prima principia relative et absolute.** — Prima principia aut sunt talia idest prima in aliquo genere vel ordine tantum vel simpliciter; in aliquo ordine tantum primum principium est illa propositio per se et immediate nota in quam resolvuntur quaedam conclusiones tantum, puta alicujus scientiae, vel partialiter, vel totaliter consideratae; vel est illud quod saltem implicite ab hujusmodi conclusionibus praesupponitur; absolute autem *primum* est illud quod ab omnibus conclusionibus omnino praesupponitur saltem implicite vel quod sua universalitate etiam principia alia antecedit.

301. **Prima principia et quaerenda circa ipsa.** — Prima principia absolute ergo illae veritates per se notae dicuntur, in quas omnes conclusiones demonstrationum resolvuntur vel quas omnes conclusiones saltem supponunt et ei innituntur. Demonstratio autem duplex est directa et indirecta (n. 149); ed ideo quatuor quaerimus in praesenti: 1.° principium aliquod in quod sive explicite sive implicite resolvuntur omnes conclusiones demonstrationis directae; 2.° principium aliquod in quod sive explicite sive implicite resolvuntur omnes conclu-

siones demonstrationis indirectae ; 3.° principium aliquod in quod sive implicite sive explicite resolvuntur omnes conclusiones tum demonstrationis directae, tum indirectae; 4.° an prima principia sint veritatis criterium.

302. **Conditiones requisitae ad rationem primi principii.** — 1.ª Est primum principium debere esse propositionem non negativam, sed affirmativam. Ratio est quia prius est affirmatio, quam negatio ; imo negatio affirmationem supponit et ei innitur. Ex hoc sequitur quod demonstratio positiva potior est et dignior et prior demonstratione negativa. Nam per primam cognoscitur quid res sit, per secundam quid res non sit. 2.ª Conditio est ut circa primum principium nullus possit errare, seu ut sit notissimum, nam homo non decipitur nisi circa ea quae ignorat ; ratio est quia conclusioni non assentimur nisi vi principii ; si ergo primum principium non sit notissimum, non potest nobis esse ratio demonstrandi conclusionem. 3.ª Conditio est ut primum principium non sit conditionalis propositio, sed absoluta ; ratio est quia propositio conditionalis praesupponit absolutam, et per ipsam cognoscitur; et ideo non est per se nota, sed ex suppositione. 4.ª Conditio est ut primum principium sit indemonstrabile et quasi cognitum per naturam ; si enim per demonstrationem cognosceretur, esset conclusio, aliud principium praesupponens.

Recentiores diversimode proponunt has conditiones : 1.° quod sit *indemonstrabile,* seu non innitatur alio principio; 2.° quod sit *necessarium,* ita ut, ipso sublato, caetera eo ipso corruant ; 3.° quod sit *firmissimum,* ut ipso admisso, saltem indirecte alia affirmentur et probentur.

Dices: Inopportune in praesenti de primis principiis fit sermo, cum haec ad metaphysicam pertineant.

Resp.: Agere de primis principiis ut sunt criteria veritatis ad logicam pertinet; agere autem de his ut sunt res quaedam, pertinet ad metaphysicam.

303. **Conclusio I.** — *Primum principium a priori in demonstrationibus directis seu ostensivis est:* OMNE ENS EST SUA PROPRIA NATURA. — Seu omne ens est id quod est.

Prb.: In demonstrationibus directis et ostensivis solummodo definitiones, sive completae, sive incompletae sumantur, habent rationem principii; nam in his demonstrationibus concluditur praedicatum convenire subjecto ex explicatione naturae ipsius subjecti, et ex definitione subjecti universalioris, sub quo subjectum conclusionis continetur (n. 95). Ergo universalissimum, et ideo *primum principium* in eis est illud sub quo definitio cujuslibet subjecti continetur. Atqui principium sub quo definitio cujuslibet subjecti continetur est hoc: *Omne ens est sua propria natura;* ergo hoc ipsum est primum principium in demonstrationibus directis et ostensivis. — *Prob. minor:* Sub expressione *omne ens* quodlibet subjectum continetur; insuper definitio semper naturam subjecti quod definitur includit, puta cum dico *animal rationale,* quod est definitio hominis, natura hominis exprimitur; definitio lapidis naturam lapidis exprimit. Natura ergo sic indeterminate seu universaliter sumpta exprimit definitionem cujuslibet entis; et ideo principium relatum: *Omne ens est sua propria natura* definitionem cujuslibet *entis* (eo modo quo haberi potest definitio *entis,* nam *ens* definiri proprie non potest ut patet ex n. 48) exprimit.

Confirmatur: De hoc principio omnes conditiones adsignatae verificantur; nam 1.° est propositio affirmativa; 2.° est notissimum, a nullo enim negari potest; 3.° est propositio absoluta; 4.° est indemonstra-

bile, cum aliud principium universalius non supponat; et ideo 1.° non innititur alio principio; 2.° ipso corruente, caetera principia quae ponuntur ut definitiones corruunt; 3.° ipso admisso, saltem indirecte alia principia, quae sunt definitiones, probantur.

304. **Conclusio II.** — *Primum principium in demonstratiouibus indirectis est illud contradictionis:* IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE ET NON ESSE SECUNDUM IDEM.

Prob.: In demonstratione indirecta non ostenditur res ut est in se ipsa, hoc est per principia ipsam constituentia quae complectitur definitio, sed per principia extrinseca, quae tantummodo dicunt rem ita esse debere, vel ipsi convenire aut non convenire unum, aut alterum praedicatum, quia secus absurdum cogeremur admittere. Atqui absurdum nihil est aliud quam affirmatio et negatio ejusdem praedicati de eodem subjecto simul et sub eodem respectu, quod est *impossibile;* et haec *impossibilitas* generatim exprimitur per principium contradictionis: *Impossibile est idem simul esse et non esse secundum idem.* Ergo dictum principium contradictionis est primum in demonstrationibus indirectis.

305. **Conclusio III.** — *Abstractione facta a speciebus demonstrationum, sed simpliciter loquendo primum principium est principium contradictionis.* — Non loquimur de cognitione Dei aut Angeli, sed de scientia nostra.

Prob.: Illud simpliciter dicendum est principium primum quod; 1.° ita est *indemonstrabile*, ut nullo alio principio innitatur; 2.° ita *necessarium,* ut ipso sublato, nihil intactum in ipsa mentis cognitione relinquatur; 3.° ita *firmum*, ut per ipsam sui negationem affirmetur et per ipsum omnia alia principia seu affirmativa seu negativa, si resolvantur, firmitatem

habeant et demonstrentur demonstratione saltem extrinseca et declarativa. *Atqui* hujusmodi est principium contradictionis. Igitur ipsum habet in scientiis rationem primi principii. — *Major* constat ex dictis supra. — *Minor* declaratur:

1.° Est *indemonstrabile* et non habet principium respectu nostri prius se, quo innitatur. Nam cum omnis demonstratio supponat subjectum et praedicatum, supponit etiam ens, sive esse essentialiter distinctum a non esse, sive a non ente, sicut etiam affirmationem essentialiter distinctam a negatione, et ideo supponit principium contradictionis, idest: *Impossibile est idem simul esse et non esse secundum idem;* et ideo hoc principium est indemonstrabile, et prius quocumque alio principio.

2.° Est ita *necessarium,* ut eo sublato, caetera corruant. Nam, sublato hoc principio contradictionis, esse est simul non esse, veritas est simul non veritas, cognitio est simul non cognitio, demonstratio est non demonstratio, certitudo est non certitudo, conscientia est non conscientia, moralitas est idem ac non moralitas, etc.; et ita nihil omnino intactum remanet neque in ordine realitatis, neque in ordine idealitatis.

3.° Supponimus quod qui negat principium contradictionis aliquid admittat, saltem esse distingui a non esse; nam secus aut ut stultus aut tanquam lapis habendus est; et vana omnino, imo et nulla ejus locutio sive affirmatio, sive negatio. — Unde dicimus quod principium contradictionis est ita *firmum,* ut negari non possit quin ipsa negatione affirmetur; insuper caetera principia per ipsum demonstrantur, saltem demonstratione extrinseca et explicativa. Nam si ipsum negatur, etiam negatur dari primum aliquod principium demonstrationis: tunc

enim quaelibet veritas posset esse et non esse; imo esset et non esset ipsum primum principium demonstrationis. Et revera, si quis negaret principium contradictionis, non utique negaret, nisi quia illud crederet esse falsum, sed non crederet, neque diceret illud esse falsum, si retineret illud esse simul verum. Ergo negando principium contradictionis, ejus veritas ipsa negatione admittitur. — Deinde probantur per illud caetera principia; nam definitio ipsa quam primum principium in demonstrationibus directis esse diximus, si debeat a nobis probari, probatur ultimo per hoc quod secus esset natura illa definita, et non esset simul talis ut supponitur, quod est in medium afferre ipsum contradictionis principium.

306. **Animadversio Kantii circa formulam principii contradictionis.** — Quamvis principium contradictionis Kant admittat nobiscum, tamen formulam supra propositam: *Impossibile est aliquid simul esse et non esse secundum idem*, rejicit. Imprimis dicit τὸ *impossibile* esse superfluum; et improbat particulam *simul* quia, ut ipse ait, haec denotat tempus, cum e contra veritas propositionis apodicticae idest necessariae ex ipsa natura subjecti et praedicati resultare debeat; unde nostrae formulae hanc substituit: *Quod subjecto repugnat, subjecto non convenit* (1).

307. **Critica.** — Sed respondetur quod formula clarior et magis expressiva et rationabilior quam sit illa quae a nobis supra proposita est, inveniri non potest, nam τὸ *possibile* et *impossibile* adhibentur optime ad indicandam simplicem associabilitatem et dissociabilitatem idearum quae ex ipsa natura subjecti et prae-

(1) KANT. *Critica rationis purae*. P. I, *Analytica trascendentalis* l. II, Sect. I.

dicati resultat (1). Imo *τὸ impossibile* ita clare indicat insociabilitatem idearum inter subjectum et praedicatum ut non solum a doctis sed etiam a rudibus et indoctis clarissime intelligatur; et ideo ab iis etiam communiter ad illam indicandam adhibetur; unde forma a nobis exposita ab omnibus omnino intelligitur; quod de aliis formulis quae illi substituantur, dici nequit. Particula autem *simul* et *secundum idem* optime et sapientissime adhibentur non ad indicandum tempus hoc vel illud, sed ad hoc ut sub principio contradictionis omnes propositiones non solum analyticae et in materia necessaria, sed etiam experimentales et in materia contigenti clarissime et sine ulla explicatione intelligantur comprehensae; ut omnibus omnino convenire intelligatur et applicetur. Unde *τό simul* non restringit principium illud ad tempus, sed indicat clare sub ipso contineri propositiones omnes etiam quarum veritas dependet a tempore, unde clare includit omne tempus. Formula autem Kantiana licet exprimat verissimum principium, tamen non clare et sine ambiguitate exprimit principium contradictionis in tota sua universalitate acceptum, sed ambiguitati subjecta, indigere potest explicatione. Nam repugnare subjecto *proprie* loquendo dicimus illud praedicatum quod nullo modo et nunquam ei convenire potest.

308. **Quo sensu principium contradictionis est primum.** — Principium contradictionis non dicitur primum quasi de facto omnes nostrae conclusiones in ipsum resolvantur; sed dicitur primum quia veritas illius in omnibus conclusionibus imo in omnibus propositionibus subauditur implicite; ita scili-

(1) Cf. S. Th. P. I, qu. XXV. a. 3.

cet ut ex negatione ipsius nihil firmum maneat in nostris cognitionibus, quia neque ipsemet conceptus universalissimus entis securus est; si enim ens dum est potest simul non esse, et cum non esse identificari, utrumque dici poterit de quacumque re *quod est et quod non est.* Omnes ergo propositiones verae et falsae simul erunt. Omnis ergo nostra cognitio et locutio vana erit.

309. **Conclusio IV.** — *Prima principia demonstrationum sunt firmissima veritatis criteria.*

Probatur, vel melius *declaratur conclusio:* Nam nequeunt non esse criteria veritatis principia illa quae ita vera sunt, ut absque aperta repugnantia idearum non possint negari, et quorum negatio importat negationem principii contradictionis. Atqui hujusmodi sunt prima principia, ut patet. Ergo sunt criteria veritatis.

Confirmatur: Evidentia in genere objective spectata est criterium firmum veritatis. Ergo a fortiori evidentia immediata. Ergo et prima principia quae gaudent evidentia immediata; nam evidentia conclusionum derivatur ex evidentia principiorum.

310. **Affirmatio praedicati de subjecto in judicis analyticis per se notis non est mera tautologia ut putat Kant.** — Nam cum subjectum multa comprehendat (n. 73) quae unico actu intellectus percipere plene non possit praecipue ea quae latenter ipsi subjecto conveniunt, ideo mens circa unam notam seu proprietatem subjecti actum suum colligit atque ipsam convenire subjecto explicite considerat, aliis neglectis, ea intentione et profectu ut plurimas notas quae praedicato, quod subiecto tribuitur, sive latenter sive clare conveniunt, possit in ipso subjecto contemplare et cognoscere; hinc non solum metaphysica sed etiam scientia mathematica pura

habetur quae ex principiis analyticis omnino dependet. Insuper saepe proprietas quae alicui subjecto convenit per ipsam generalem et ordinariam considerationem subjecti in ipso non attingitur a mente, ideo ad hunc defectum supplendum mens ipsum praedicatum talem notam exprimens subjecto tribuit ut ad hanc notam considerandam et ejus relationes ad alias proprietates percipiendas se ipsam colligat quas secus non perciperet; imo aliae scientiae etiam quae dicuntur positivae omnino dependent ab hujusmodi judiciis analiticis veluti a principiis sive implicite sive explicite (cf. n. 113). Tria ergo requiruntur ad scientiam: *experientia, principia* quae efficiuntur per conceptus universales ab objectis experientiae abstractos et unio seu *applicatio principiorum* quibus inferantur conclusiones scientiarum.

311. **Quid de Kantiana propositione: Omnis nostrae cognitionis extensionem et profectum ex judiciis syntheticis desumi.** — Si haec propositio ita intelligatur quod ex judiciis analyticis simul collatis non habeantur verae illationes seu conclusiones scientificae, certae scilicet et objectivae, sicut a multis positivistis intelligitur, omnino falsa est haec propositio nam et in mathesibus puris omnes conclusiones per judicia analytica habentur; omnes autem concedunt ipsis positivistis non exclusis matheses puras rationem verae scientiae habere. Idem dicendum est de conclusionibus metaphysicae generalis, cujus objectivitas quidquid in contrarium blaterent positivistae omnino admittenda est nisi omnis scientia penitus auferatur; quippe et matheses principiis metaphysicae generalis innituntur.

Caput XIX.

De doctrina Kantiana et Hegeliana

(Zigliara, Critica lib. II, cap. II, art. III et IV; Period. *Div. Thom.*, vol. VI, pag. 171 et seqq.; Ausonio Franchi l. c. n. 22-34; Pesch Le Kant'sme).

312. **Ratio capitis.** — Quamvis ea quae disseruimus sufficientissima sint ad refutandam doctrinam subjectivisticam Kantii, non absonum erit ob rei gravitatem oculis subjicere breviter quasi reabsumendo doctrinam ipsam cum praecipuis argumentis quibus ejus absurditas demonstretur; insuper quia negata entis objectivitate sicut negata manet in doctrina Kantiana et sicut ab ipso Kantio explicite negatur (Kant l. c. § 12), logice sequitur negatio ipsius principii contradictionis et identificatio esse et non esse quod est ut ita dicam basis et fundamentum Transcendentalismi ab Hegelio excogitati et super doctrina Kantiana exstructi; ideo etiam de doctrina Hegeliana aliquid dicendum est.

313. **Doctrinae kantianae expositio.** — Diximus supra idealismum empiricum, sen empirismum realitatem corporum negare, aut in dubium vertere (n. 152 et 171). Docet enim ipse ea, quae a sensibus nostris percipiuntur non esse nisi quasdam apparentias, sive quaedam phaenomena subjectiva eo ferme modo quo sunt illa, quae nobis dormientibus in somniis apparent. Unde experientia, sive cognitio nostra experimentalis non est nisi subjectiva et phaenomenalis.

Eamdem doctrinam admittit Kant, qua ex parte in objectis experientiae, utcognitioni subjiciuntur, realitatem idealimus non admittit, sed ea esse quaedam phae-

nomena sensus ait. Verum in objectis experientiae (quae juxta ipsum sunt phaenomena quaedam sensus, non realitates) duo elementa distinguit, videlicet elementum singulare et elementum universale: e. gr. mens nostra apprehendit *Petrum* vel *Franciscum ;* et insuper apprendit ipsum esse *hominem,* vel *substantiam,* vel *animal. Petrus* est res singularis et contingens: sed *homo,* vel *substantia,* vel *animal* non est quid singulare, sed universale; nam convenit non solum *Petro,* sed et *Francisco,* et omnibus individuis. Insuper *Petrus* est quid contingens: unde ipse nascitur hodie et postea moritur; sed *homo* vel *substantia,* vel *animal* non moritur, nam semper eodem modo concipitur, neque aliter concipi potest: et ideo est quid necessarium. Et tamen mens concipit ipsum esse in *Petro.* Igitur mens nostra in objectis phaenomenalibus per experientiam habitis duo elementa distinguit, idest elementum *singulare et contingens* et elementum *universale et necessarium.* Elementum universale et necessarium dicitur forma; puta *homo, substantia animal* etc. dicuntur formae. Sed quaerit Kant: undenam sunt illae formae? Respondet: non ab objectis experientiae quae sunt singularia et contingentia; ergo a mente ipsa. Unde, sicut singularia illa sunt phaenomena sensationis, ita illa universalia sunt phaenomena, modificationes et formae mentis a qua spontanee, seu naturaliter profluunt, et ideo sunt formae pure subjectivae proinde non a posteriori, idest non ab experientiae objectis, sed a priori habitae; et antecedunt nostram cognitionem experimentalem. Ideo 1.° a mente profluunt, et percipiuntur hujusmodi formae per simplicem apprehensionem; 2.° percipiuntur sive producuntur phaenomena objectorum contingentium et singularium a sensibus nostris; 3.° a subjecto, puta a me,

quasi spontanee conjunguntur formae illae cum objectis, sive cum phaenomenis sensationis. — Sed hujusmodi formis subjectivis quae a mente spontanee profluunt respondent ne objecta intelligibilia realia extra mentem? Respondet Kant: Nescimus; nam objecta intelligibilia (quae Kant *noumena* vocat) in se (dato quod sint) sunt transcendentia vires humanae cognitionis. Tamen, inquit Kant, naturali et praepotenti impulsu mens nostra fertur ad tribuendam realitatem hujusmodi intelligibilibus, puta *Deo, animae humanae* etc., licet ex altera parte necesse sit ut fateatur illa objecta transcendere omnino suam facultatem. Hinc *antinomiae* rationis humanae, hoc est legis adversum legem repugnantia in mente nostra. Quibus ex principiis sequitur:

1.° Omnes cognitiones tum sensus, tum intellectus, non esse de objectis realibus extra cognoscentem existentibus, sed de objectis apparentibus ipsis (ut contingit in somniantibus et delirantibus circa objecta sensibilia).

2.° Sequitur quod objecta non sint leges et mensura nostrae cognitionis, sed e contra mens et nostra cognitio sint lex et mensura objectorum etiam experientiae, quia objecta experientiae fiunt intelligibilia, et ideo elevantur ad ordinem scientificum per hoc quod a mente eis applicantur illae formae subjectivae, quae ab ea sponte profluunt.

Haec doctrina Kantii nihil novi continet. Est enim eadem doctrina, vel melius, idem omnino error, qui traditus fuerat a Protagora et ab Aristotele refutatus.

314. **Conclusio.** — *Doctrina Kantii, seu idealismus criticus, admitti nullatenus potest.*

De fundamento quo nititur Kant, idest de ejus doctrina qua parte ad pura phaenomena subjectiva

reducit omnem cognitionem sensitivam nihil est dicendum, cum sufficiant ea, quae supra de veracitate sensuum externorum edisseruimus (n. 172). Neque in praesenti dicendum nobis est de *intelligibilibus* seu de *noumenis* de quibus alibi redibit sermo, sed unice edisserendum est de *formis* kantianis, quatenus a mente nostra spontanee profluere asseruntur, quod omnino repugnare contendimus.

Prob. 1.° argumento ad hominem contra Kantium. Ratio qua formae praedictae a Kantio non ponuntur esse ab objectis sensibilis experientiae est quia objecta experientiae sunt contingentia et individua. Atqui pari ratione etiam ipsum subjectum cognoscens individuum est et contingens. Ergo si formae illae nequeunt esse ab objectis sensibilis experientiae, neque a subjecto cognoscente esse possunt, puta a Petro, aut ab anima ejus; et ideo ruit fundamentum idealismi critici.

2.° Si hujusmodi formae ponantur esse a spontaneitate mentis, aut sunt in anima a principio *extrinseco*, aut verius a principio *intrinseco*, nempe ab essentia ipsius animae. Si a principio *extrinseco*, procul dubio hoc principium est objectum aliquod extramentale, idest extra mentem existens cujus formae kantianae sunt similitudines, seu repraesentationes, seu ideae, et ad quod essentialiter per ideas istas terminatur cognitio: consequenter *noumena*, seu entia intelligibilia ut in se sunt, non solum nos non latent, sed principaliter et primo a nobis intelliguntur. Si sunt a principio *intrinseco* (ut revera ponitur in doctrina kantiana) necesse est ut formae illae: 1.° aut sint simplices subjectivae modificationes animae quibus nullum objectum correspondet; et in hoc casu habetur quod ratio *veri* et *falsi* est quid mere subjectivum et varium se-

cundum diversam modificationem individuorum et diversas apparentias, ut logice inferebat Protagoras; et erit verum quidquid apparebit esse, et falsum quidquid apparebit non esse; et ideo continget idem esse verum et falsum prout uni videbitur verum, alteri videbitur falsum: hoc autem importat negationem principii contradictionis quod Kant nobiscum admittit, licet aliter illud proponat; 2.º aut necesse est ut eaedem formae sint quid objectivum, et in hac secunda hypothesi principium totius objectivitatis est ipsa mens humana, quasi forma formarum, seu intelligibilium, vel idea omnium. Sunt autem illae formae, vel ideae, vel intelligibilia infinita. Est igitur mens humana infinita. Quod est praecise Pantheismus egoisticus quem Fichte, Kant discipulus, intulit ex doctrina magistri.

315. **Systema Hegel.** — Hegel (1775-1831) Empirismo Humii et criticismo Kantii suam suffecit philosophiam speculativam. A transcendentibus incipit, idest ab *ente*, sive ab *esse*, quod est maximum inter transcendentia. *Esse*, ait ipse, importat maximam indeterminationem, nam nullum ens determinatum, imo nullam speciem, nullum genus determinate designat; unde *ens*, vel *esse* non dicit e. g. Petrum, non dicit hominem, non animal.... non substantiam; et ideo importat negationem cujusque entis, idest maximam *negationem*. *Esse* sic acceptum dicitur *esse purum*, quasi expoliatum sive purificatum quacumque determinatione. Item *Non esse sic simpliciter sumptum* importat etiam maximam indeterminationem; nam non est negatio hujus aut illius determinati entis individualis, aut specifici aut generici, sed est negatio entis absolute; et ideo importat *maximam negationem*. Inde concluditur quod *esse* indeterminatissimum simpliciter acceptum, utpote non existens

ut tale a parte rei, est *idem* ac *non esse* indeterminatissimum simpliciter acceptum. Unde *τὸ esse purum* et *τὸ non esse purum* quamvis ut distincta primo aspectu menti exhibeantur, tamen realiter non distinguuntur, et ideo sunt *aliquid unum,* vel conveniunt in aliquo uno communi; nam ea quae concipiuntur ut distincta primo aspectu, et tamen a parte rei non sunt distincta, in aliquo uno convenire concipiuntur quasi communi. Illud autem in quo *esse et non esse* conveniunt non potest esse nisi *τὸ fieri,* etenim *fieri* statum medium inter esse et non esse designat, ut patet. Dum enim res fit, non est adhuc in suo termino, et ideo non est. Sed ex alia parte dicitur *esse in fieri;* igitur *fieri* importat *esse* et *non esse.*

316. **Refutatio.** — Quando dicimus *esse,* licet importetur quid indeterminatissimum, tamen directe importatur *affirmatio;* et licet indirecte importetur *negatio,* non tamen *negatio* entitatis et absoluta, sed negatio determinationis, aut individualis, aut specificae, aut genericae. Insuper esse est aliquid positivum; et licet *esse abstractum,* idest separatum ab individuis, non existat, tamen vere et realiter in aliquo individuo *esse* existit quod mens in individuo apprehendit, licet fortasse non apprehendat individuum. *Non esse* autem sic simpliciter acceptum non solum dicit *negationem* cujuslibet determinationis, sed imo primo dicit negationem cujuslibet entitatis, et ideo cum mens *non esse* apprehendit, non habetur aliquid quod mens apprehendit et exprimit, sed, *apprehenso esse,* ipsum removet negando.

Insuper in hac dotrina habetur negatio principii contradictionis, ut Hegel ipse et Hegeliani concedunt; nam, si identificetur *esse* et *non esse,* sequitur quod aliquid est et non est simul. At, hoc concesso,

sequitur subversio cujuslibet scientiae, et idem erit esse doctum et ignorantem, sapientem et stultum, moralem et immoralem etc.; quae esse cumulum adsurditatum evidens est (1).

Caput XX.

De Criteriis extrinsecis, videlicet de magisterio divino et humano

(Zigliara, Crit. lib. II, Cap. III, Art. I, II et III; Liberatore, Log. Pars alt, cap. III, art. V et VI), De Maria, Lorenzelli, Hugon, Germano, C. Willems.

317. **Quid est magisterium et auctoritas.** — Actus quo magister communicat veram notitiam discipulo dicitur *magisterium*. Sed quod discipulus retineat ut vera ea quae a magistro proponuntur, et communicantur, duplici ratione contingere potest; vel quia hujusmodi proprio lumine intellectus videt esse connexa cum primis principiis et per se notis, quamvis forte nunquam vidisset nisi magister proposuisset; aut proponuntur a magistro ut discipulus ea retineat innixus magistri auctoritate, quae regit, ut unicum criterium, adsensum discipuli. In prima hypotesi habetur *visio*, in secunda habetur *fides*.

318. **Definitio visionis et definitio fidei.** — *Visio* definiri potest: *Adsensus mentis veritati vel immediate manifestae, vel manifestae per principia intrinseca ex quibus infertur.* Et *fides* est: *Mentis adhaesio alicui veritati neque in se immediate, neque in suis principiis intrinsecis manifestae, sed in principio extrinseco quod est auctoritas dicentis*, quae proinde est *criterium adsensus*.

(1) Cf. nostram Intr. ad Sacr. Theol., p. I, c. II.

319. **Duplex magisterium : divinum et humanum.** — Magisterium, sicut et auctoritas, duplex est : *divinum* et *humanum,* secundum quod veritas aut a Deo aut ab homine proponitur.

320. **Conditiones quibus auctoritas magisterii praedita esse debet, ut fide dictis alicujus adhaereamus.** — Ut fidem dictis alicujus magistri adhibeamus, requiritur ut nobis suasum sit de ejus *scientia* et de ejus *veracitate.* Nam, si ipse habet scientiam, non fallitur, et si habet veracitatem, non fallit. Imo quo major est nostra certitudo (cf. n. 129) de ejus *scientia* et *veracitate,* eo major est ejus actoritas et firmius motivum adsentiendi iis quae dicit. Si nostra certitudo de dicentis *scientia* et *veracitate* est moralis, ejus auctoritas non poterit gignere, respectu eorum quae adserit, nisi certitudinem moralem ; si autem nostra certitudo sit metaphysica, certitudinem metaphysicam aut certitudini metaphysicae aequivalentem gignere poterit (cf. n. 130).

321. **Conclusio.** — *Auctoritas divina* 1.° *est firmissimum veritatis criterium, ita ut* 2.° *sit sufficiens ad gignendam certitudinem mataphysicam, quae* 3.° *superat quamlibet certitudinem mataphysicam.*

Prob. 1.ª *pars :* Illud est firmissimum veritatis criterium quo mens nostra inniti potest ad adsentiendum firmissime alicui veritati sine ulla errandi formidine. Atqui hujusmodi est auctoritas divina. Ergo auctoritas divina est firmissimum veritatis criterium. — *Major* patet ex natura criterii. — *Prob. Minor:* Tunc enim mens nostra firmissime inniti potest auctoritate dicentis ad adsentiendum veritati quae dicitur, cum est certissima de scientia et veracitate dicentis. Atqui mens nostra certissima est de scientia et veracitate Dei, cum Deus sit omnisciens (est enim ipse idea archetypa et creatrix

intelligentia, a qua sunt omnia, tum in ordine idealitatis, quam realitatis), et sit ipsa veracitas, cum sit sanctitas per essentiam. Ergo auctoritate Dei dicentis firmissime inniti potest mens nostra ad adsentiendum rei ab eo dictae vel manifestatae.

Prob. 2.ª *pars:* Auctoritas dicentis tantam potest causare certitudinem in audiente circa ea quae dicit, quanta est certitudo audientis circa scientiam et veracitatem dicentis. Atqui certitudo audientis hominis circa scientiam et veracitatem Dei est metaphysica. Ergo auctoritas Dei dicentis potest in eo cui veritatem manifestat causare certitudinem metaphysicam.

Prob. 3.ª *pars:* Motivum seu criterium natum ad gignendam in nobis certitudinem est verum. Ergo quanto aliquod ens est magis verum, tanto magis natum est firmius esse criterium et majorem certitudinem gignere. Atqui auctoritas divina, cum sit ipse Deus, non solum est vera, sed etiam ipsa essentialis prima et infinita veritas et principium totius veritatis, et ipsius rationis cognoscentis. Ergo divina auctoritas est de se sufficiens ad gignendam certitudinem quae quamlibet aliam certitudinem metaphysicam superet.

322. **Objectio.** — Potior est certitudo quae est de rebus visis quam de non visis. Atqui certitudo fidei divinae est de non visis. Ergo non potest esse potior certitudine naturali metaphysica.

Resp.: Dist. maj.: Ex parte evidentiae, *conc.:* ex parte firmitatis adsensus, *subdist:* De rebus non visis, manifestatis tamen ab auctoritate primae et essentialis veritatis, *nego;* manifestatis ab auctoritate humana, *conc. Et dist. pariter minorem:* Certitudo fidei supernaturalis est de rebus non visis, sumpta visione large, ut est cognitio, *nego;* sumpta visione

stricto sensu, *subdist.:* Fidei certitudo est de rebus non visis in speciali, *conc.;* in generali, *nego.* — Distinctio *majoris* patet ex dictis in probatione conclusionis. Distinctio *minoris* patet ex eo quod de rebus ab alio manifestatis veram cognitionem habemus; imo habemus etiam visionem in generali, scimus enim scientia proprie dicta esse vera in generali ea, quae adseruntur a scientia et veracitate praedito.

323. **Auctoritas humana duplex.** — Natura humana potest dupliciter considerari: 1.° prout est communis cunctis hominibus; 2.° prout est individuata in uno vel altero, puta in Petro, in Francisco, aut etiam in diversis. Sub hac secunda consideratione natura humana non eodem modo in omnibus reperitur, quia in uno est magis vel minus perfecta perfectione accidentali superaddita; e. g. per scientiam perficitur humanitas Petri, non autem humanitas Pauli. At primo modo considerata humana natura eadem est in omnibus nullam differentiam includens, aut diversitatem habens. Hinc duplex *auctoritas* in humana natura distingui etiam potest: 1.° auctoritas quae competit ipsi humanae naturae, prout est communis cunctis hominibus; 2.° auctoritas quae convenit humanae naturae individuatae in hoc, vel in illo, aut in diversis. Prima auctoritas dicitur *sensus communis,* secunda autem constituit proprie *auctoritatem humanam.*

324. **Amplior explicatio sensus communis.** — *Sensus communis* de quo loquimur est naturae rationalis inclinatio ad quaedam judicia aut ad quasdam veritates admittendas, quae ubique et semper communiter retinentur. Hujusmodi veritates sunt quae neque studio, neque reflexione, neque experientia indigent; e. g. *Deus existit, parentes sunt*

honorandi etc. Sensus naturae communis, utpote naturalis inclinatio, omnibus et singulis intrinsecus inest; et licet sit quid naturae humanae intrinsecum, quia tamen nonnisi ex aliorum constanti et universali consensu dignoscitur utrum hujus singularis hominis judicium revera sit ex sensu naturae communi, ideo inter criteria extrinseca reponitur.

325. **Conditiones requisitae ad objectum sensus communis.** — Cum natura non abundet in superfluis, ipsa tribuit inclinationes naturales ad ea quae sunt necessaria, sed non ad ea quae rebus nullo pacto necessaria sunt; ideo sensus communis, datus a natura ad cognoscendam veritatem, nonnisi ad eas veritates se extendit quae humanae vitae communiter sunt necessariae aut valde utiles. Insuper difficiles veritates reflexionem et studium requirunt, et quia inclinatio naturalis reflexionem non includit, ideo sensus communis ad veritates *faciles* ordinatur. Igitur sensus communis respicit *necessaria vitae et facilia;* hinc tres conditiones seu characteres essentiales quoad judicia sensus communis requiruntur, videlicet: *constantia* esse debent, *universalia, communia.*

326. **Conclusio I.** — *Sensus naturae communis circa proprium objectum est firmissimum veritatis criterium.*

Prob.: Judicia sensus communis ab intima natura rationali dictantur. Atqui quod ab intima natura dictatur non potest non esse verum. Ergo judicia sensus communis non possunt non esse vera, et ideo ipse sensus communis est criterium veritatis. — *Major* patet ex dictis in praenotamine. — *Prob. minor* ex quintuplici capite. — 1.° Quia quod ab intima natura est, ab auctore naturae est, nempe a Deo,

qui, cum sit essentialiter veritas, non potest per naturales inclinationes inditas naturis creatis easdem in errorem impellere; 2.° Insuper inclinatio naturalis est ad necessaria vitae; falsum autem aut error non est vitae humanae necessarius, sed noxius; 3.° Quia, ut scimus ex conscientia et natura ipsius intelligentiae, haec ad veritatem tendit ut ad propriam naturalem perfectionem; porro tendere natura sua ad veritatem et natura averti a veritate seu errare, sunt omnino contradictoria; 4.° Quia universalis consensus, qui est una ex dotibus sensus communis, ratio nulla adsignari potest nisi veritatis evidentia, qua omnes homines constanter, universaliter et semper afficiuntur, vel alia causa, quae evidentiae aequiparetur; quo fit ut non veritas ex sensu communi, sed sensus communis ex veritate omnibus evidenti ac nota constituatur; 5.° Quia si non est ratio sufficiens ad adsentiendum objecto tanquam vero consensus omnium mentium multo minus erit dictamen rationis in individuo particulari; et ideo nullus homo poterit tuto propriae rationi se committere; unde non remanet nisi scepticismus absolutus (1).

327. **Conclusio II.** — *In rebus scientificis auctoritas humana, per se loquendo, est infirmissimum criterium veritatis.*

In primis patet haec conclusio, si ad scientiam ingenerandam applicetur; nam auctoritas humana, ut auctoritas est, nullam scientiam causare potest, sed fidem; scientia enim est cognitio per demonstrationem habita (n. 142). Probanda est ergo conclusio simpliciter de adsensu causando:

Prob.: Ratio humana, licet per se non fallatur, fallitur tamen quandoque per accidens et quidem

(1) Cf. Ausonio Franchi, *Ultima critica*, p. II. n. 156.

multis de causis (n. 288, Concl. II). Atqui quamvis ille qui acquirit scientiam ex proprio studio possit habere certitudinem de diligentia adhibita circa aliquam conclusionem ab ipso deductam ad evitandas causas accidentales erroris, tamen non potest habere nisi quamdam probabilitatem ordinarie et communiter loquendo an alius homo eamdem diligentiam adhibuerit et an in errorem inciderit conclusionem scientificam inferendo. Ergo auctoritas humana nonnisi infirmissimum veritatis criterium in rebus scientificis esse potest.

328. **Conclusio III.** — *Per accidens auctoritas sapientium in rebus scientificis est veritatis criterium.*

Prob.: Cum nullum aliud criterium suppetat, homo etiam infirmo criterio utitur et eo innititur ad veritatem inveniendam; nam melius est, simpliciter loquendo, in quosdam errores per accidens incidere ad inveniendo veritatem, quam in plena et absoluta ignorantia versari. Atqui rudibus nullum aliud criterium suppetit ad veritates scientificas habendas, quam auctoritas sapientium, et cuilibet alicujus scientiae ignaro nullum pariter criterium suppetit ad veritates illius scientiae acquirendas. Ergo auctoritas sapientium potest esse criterium sive motivum veritatis in praedicto casu. Unde naturaliter loquendo videmus rudes et ignaros alicujus scientiae, naturali inclinatione se committere his qui reputantur sapientiores, et illorum dictis fidem adhibere. Imo contingit ut in rebus difficillimis, quas nos propria ratione penetrare non valemus, in sapientium sententiam propendamus. Insuper contingere potest ut plures homines studiosi et docti conveniant in aliqua una et multis veritatibus seu positionibus adserendis: et tunc criterium aqquirere et habere potest majorem vel minorem firmitatem.

329. **Conclusio IV.** — *In re facti auctoritas humana generatim inspecta est criterium veritatis seu moralis certitudinis.*

Prob. 1.° Ex sensu naturae communi. Nam fidem esse praestandam res facti narrantibus communitur homines retinent, utpote se committentes aliorum dictis. Ergo sensus naturae communis invictissime dictat auctoritatem humanam in re facti esse motivum seu criterium firmi adsensus, seu certitudinis.

Prob. 2.° Si humana auctoritas non esset criterium certitudinis in rebus facti, societas ipsa in suis fundamentis everteretur, et vita more pecudum esset transigenda. Ergo auctoritas humana in rebus facti est criterium veritatis seu certitudinis. — *Prob. antec.:* Si humana auctoritas non esset criterium certitudinis in rebus facti, liberi non tenerentur diligere et honorare parentes, neque parentes tenerentur diligere, alere et educare filios, et alia plura similia inconvenientia contingerent. Atqui hoc importat subversionem et destructionem societatis humanae, et vitam hominum pecudum more, imo deterius, ducere. Ergo si auctoritas humana in rebus facti non esset criterium certitudinis, ipsa societas a fundamentis everteretur. — *Declar. major.:* « Quaero enim, inquit S. Augustinus, si quod nescitur credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi eosque mutua pietate diligant quos parentes suos esse non credunt? Non enim ratione ullo pacto sciri potest, sed interposita matris auctoritate de patre creditur, de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest aliusque supponi nonne potest decepta decipere? » (1.° lib. de utilitate credendi ad Honoratum c. 12 n. 26).

Prob. 3.° Ex ipsa hominis natura. Natura enim nostra, ut conscientia testatur, maxime reluctatur men-

dacio et ad veritatem tum inquirendam tum manifestandam potenter impellit. Ergo nisi aliunde contrarium constet (et undenam constare id possit paulo infra declarabimus) natura nostra ad veracitatem prona, etiam in aliis quibus eadem natura specifica inest, eamdem veracitatem libenter admittit, ne contra propriam conscientiam, innati et connaturalis vitii semetipsam falso accuset, alios accusando.

CAPUT XXI.

De arte critica

(ZIGLIARA, Crit. l. II. c. III, a. IV; LIBERATORE, log. Pars. alt. Appendix ; ROSSELLI, Logica quaest. XXV; DE MARIA, PESCH, SCHIFFINI, LORENZELLI, in logica).

330. **Veracitas est criterium scientiae.** — In multis, quamvis non in omnibus, veracitas est criterium ad cognoscendam scientiam. Nam nonnulla occurrunt in humana vita in ordine facti circa quae homo aut quam difficillime aut etiam nullo modo errare potest: unde si quis sit verax, ejus scientia ex ipsa narratione dignoscitur certissime. Quocirca quam plurimum interest veracitatem narrantis cognoscere. Unde sit:

331. **Conclusio I.** — *Veracitas alicujus testis in concreto cognoscitur praecipue* 1.° *ex probitate vitae,* 2.° *ex amore veritatis qui in ipso apparet.*

Prob. 1.ª *pars.:* Mendacium cum vitae probitate stare nullo modo potest. Ergo veracitas alicujus testis cognoscitur ex probitate vitae; unde quanto major est probitas vitae alicujus testis, tanto magis ipse fidem meretur, utpote a mendacio magis alienus.

Confirmatur ex eo quod judex, cum exigit juramentum ab aliquo teste in confirmationem veritatis, nonnisi in probitate vitae confidit.

Prob. 2.ª *pars.* : Veracitas nihil est aliud quam inclinatio seu propensio in aliquo ad veritatem aperiendiam et aliis manifestandam. Atqui amor sincerus veritatis importat propensionem, seu inclinationem ad veritatem aliis aperiendam. Ergo ex amore veritatis qui apparet in aliquo cognoscitur veracitas illius. — *Minor*, quamvis sit per se manifesta, potest tamen declarari: 1.° ex facto ipso quo scimus eos qui veritatem sincere diligunt ad ipsam veritatem manifestandam summopere esse propensos; 2.° ex illo principio *bonum est diffusivum sui.*

Quaeres : Undenam cognoscitur in aliquo amor sincerus veritatis ? — *Resp. :* Amor sincerus veritatis in aliquo cognoscitur 1.° si aperte de omnibus loquatur, nullaque arcana affectet quae apta sint ad fraudes tegendas ; 2.° si neque odio, neque amore partium, neque praejudiciis, neque passionibus, neque superstitionibus detineatur; 3.° si non potentium adulatio, non vilitas animi, non utilitas personalis, sed animi rationalis libertas, magnanimitas, constantia, tum in prospera, tum in adversa fortuna, tum quaedam, ut ita dicam, sui negligentia, ut veritatis fulgor unice appareat, scriptorem vel oratorem moveant.

332. **Conclusio II.** — *Scientia testis humani in concreto cognoscitur potissimum* 1.° *ex natura rei narratae,* 2.° *ex praecognita testis perspicacitate,* 3.° *ex ejus experta prudentia*

Declaratur conclusio : Cognoscitur 1.° scientia testis humani, supposita ejus veracitate, *ex natura rei narratae*, quae potest esse talis, ut testis falli nullo modo possit ; at si incredibilia, contradictoria misceat, tunc scientiam in eo non esse satis est manifestum, sicut etiam si narret ea quae ei constare non possunt. 2.° *Ex praecognita testis perspicacitate* scientia etiam cognoscitur : nam si testis sit ingenii perspicacis, diligens,

cautus in observando et in judicando, non facile decipitur, neque in his quae videt, neque in his quae ab alieno testimonio accipit. 3.° *Ex ejus experta prudentia.* Nam prudens neque propriis, neque alienis praejudiciis commovetur, omnia ratione examinat, non est levis in proferendis judiciis, omnia cribrat; ex quibus omnibus ejus cognitio de rebus de quibus narrat sufficienter apparet.

333. **Artis criticae definitio.** — *Ars critica* nihil est aliud quam *ars judicandi de aliorum scriptis.* Circa scripta aliorum multa occurrunt examinanda, ut recte de eis judicari possit; sed praecipua haec sunt, videlicet: 1.° *auctores*, 2.° *authentia et incorruptio*, 3.° *interpretatio*, quae *hermeneutica* communiter dicitur.

334. **Autores seu scriptores.** — Auctores considerari possunt: 1.° in se, 2.° in ordine ad facta quae narrant, 3.° in modo narrandi.

335. **Conclusio I.** — *Si auctores considerentur in se, illi, per se loquendo praeferendi sunt, qui sunt magis probi, qui sunt prudentiores, perspicaciores.*

Prob.: Auctores merentur fidem ex eo quod sunt scientia et veracitate praediti. Atqui illi qui sunt magis probi, prudentiores, perspicaciores, sunt majori veracitate et scientia praediti. Ergo hi majorem fidem merentur, et ideo praeferendi sunt aliis. — Confirmatur ex eo quod qui magis probi, prudentiores, perspicaciores sunt, ex hoc ipso majoris gravitatis argumenta praebent.

336. **Conclusio II.** — *Auctores seu historici coaevi praeferendi sunt illis qui factis ipsis sunt posteriores; et praeferendi sunt qui fuerunt testes oculati auritis.* — Haec conclusio supponit historicum habere conditiones supra requisitas.

Prob. 1.ª *pars.:* Auctores coaevi facta potuerunt non solum a vulgo accipere, sed etiam per se ipsos experiri, vel audire ab iis qui experti sunt, aut saltem verificare per alios qui esperti sunt vel qui experiri potuerunt; et e contra ii qui fuerunt posteriores factis et iis qui potuerunt experiri, nonnisi a vulgo acceperunt, neque potuerunt verificare; Sed qui per seipsos experti sunt aut ab iis, qui experti sunt, acceperunt vel potuerunt verificare, majorem fidem merentur quam ii qui nonnisi a vulgo acceperunt et quam ii qui non potuerunt verificare. Ergo majorem fidem merentur coaevi, et posterioribus praeferendi sunt.

Prob. 2.ª *pars.:* In testibus oculatis, idest in videntibus facta, sufficit veracitas ut fidem mereantur; in auritis autem, idest in illis qui ab aliis acceperunt, requiritur etiam prudentia (quae difficilius cognoscitur) ne a narrantibus decipiantur. Ergo majorem fidem merentur oculati quam auriti.

337. **Conclusio III.** — *Simplex historicus praeferendus est et poetae et oratori.*

Prob.: Historicus ad veritatem factorum prodendam totus deditus esse debet; e contra poeta ad delectandum, orator autem ad persuadendum per commotionem affectuum, quae duo postrema possunt obtineri etiam sine veritate. Sed majorem fidem meretur cujus principalis intentus est veritatem prodere, quam ille cujus finis non est ipsa veritas, sed aliud, quod quandoque, imo et saepe, potest obtineri etiam sine veritate. Ergo simplex historicus praeferendus est poetae et oratori, per se loquendo.

338. **Authentia et incorruptio librorum.** — Cum aliquis liber ad scriptorem pertinet cui tribuitur dicitur *authenticus*, secus dicitur *suppositit,* vel

spurius. Si conservatur qualis ab auctore scriptus est, dicitur *incorruptus*, secus dicitur *corruptus, maculatus, interpolatus*.

339. **Conclusio I.** — *Authentia alicujus libri cognosci potest:* 1.° *per auctoritatem, seu* ex *testimonio aliorum;* 2.° ex *tempore;* 3.° ex *doctrina;* 4.° ex *stylo*.

Prob. 1.ª *pars:* Authentia alicujus libri est quaedam *veritas facti,* nam liber aliquis dicitur authenticus ex eo quod *vere* scriptus est ab auctore cui tribuitur. Atqui veritas facti potest cognosci certe ex auctoritate gravissimi historici, praecipue si alii graves historici hoc ipsum confirment. Ergo ex testimonio aliorum authenticitas alicujus libri cognosci potest.

Prob. 2.ª *pars:* Contingere potest ut in aliquo libro alicui auctori tributo narrentur quaedam quae nonnisi post mortem illius auctoris cognosci potuerunt; sicut etiam contingere potest ut modus scribendi, aut etiam verba nonnisi posterioris temporis sint propria. Atqui in tali hypothesi manifestum est ea non posse esse ab auctore cui talis liber tribuitur. Ergo potest cognosci talem librum aut non esse authenticum, aut fuisse corruptum. — Hoc tamen non valet de scriptoribus divinitus inspiratis: nam, cum librorum eorum proprie auctor sit Deus, cui sunt praesentia omnia tempora, contingere potest ut etiam ea quae humanitus cognosci non potuerunt, in libris illis sint conscripta.

Prob. 3.ª *pars:* Contingere potest ut in diversis libris diversae, imo plures et multae contradictiones in doctrinis etiam fundamentalibus reperiantur. Atqui in hac hypothesi manifestum satis est tales libros saltem omnes non pertinere ad eumdem auctorem; et si constet aliunde unum eorum ad talem aucto-

rem pertinere, satis apparet alium alteri oppositum ad ipsum non pertinere. Ergo ex doctrina alicujus auctoris potest cognosci aliquem librum ad auctorem cui fortasse tribuitur non pertinere.

Prob. 4.ª *pars :* Homo scribendo seipsum manifestat, non solum in verbis exterioribus efformandis, idest in scriptura, ex qua facillime cognoscitur auctor, sed multo magis in modo exponendi et exprimendi proprios conceptus, ut patet ex experientia. Atqui modus exponendi proprios conceptus est stylus. Ergo ex stylo potest cognosci authenticitas vel non authenticitas alicujus libri. — Adverte tamen in diversa materia esse difficilius scriptorem cognosci, imo quandoque difficilimum.

340. **Conclusio II.** — *Incorruptio librorum potest cognosci :* 1.° *ex codicibus originalibus,* 2.° *ex concordantia vetustiorum codicum,* 3.° *ex auctoritate gravissimorum scriptorum,* 4.° *ex ipsa doctrina.* — Haec conclusio patet partim ex sese, partim ex probationibus conclusionis praecedentis.

341. **De hermeneutica.** — *Ἑρμενεία*, graece, idem est ac ars interpretandi sensum scriptorum, praesertim cum ex una in aliam linguam transferuntur. Circa versiones duo potissimum requiruntur: 1.ᵘᵐ peritia linguae ex qua et in quam liber vertitur: secus sensus auctoris nec recte colligitur si ejus lingua haud perfecte cognoscatur, nec redditur aliena lingua in quam transfertur; 2.ᵘᵐ peritia doctrinae: non enim verbum verbo reddendum est, sed sententia auctoris est exprimenda, quam ignoret vel pervertat necesse est, qui in doctrinis auctoris aut jejunus, aut non valde sit peritus. — Quoad vero rectam sententiarum interpretationem : 1.° emendatiores codices procurari debent, ut nullum sit dubium de genuina auctoris mente; 2.° modus scribendi attendatur, utrum scilicet

locutione propria vel methaporica suas sententias expresserit; 3.° tempus attendatur quo auctor scripsit, scopus quem sibi praefixit, vita, mores, doctrina, aliaque hujusmodi; 4.° non unum aut alterum verbum, vel una aut altera propositio, sed integra auctoris doctrina expendatur ad normam principiorum quibus ipse dirigitur; 5.° sensus auctoris non ex incidenti propositione, sed ex locis, in quibus materiam de qua agitur, ex professo versat, determinetur; 6.° propositiones, si quae sunt obscurae, per clariores explicentur, et in hoc sagacitas, prudentia, justitia et charitas sint norma nostrorum judiciorum in aliorum doctrina interpretanda (1).

Et haec de arte critica delibasse sufficiat. Cetera persequi ad alias disciplinas pertinet.

CAPUT XXII.

De supremo veritatis criterio

(ZIGLIARA, Critica, Lib. III, c. I; LIBERATORE, Log. Pars alt. Cap. III. Art. I, II, III et IV; PESCH, Log. t. II; JANET, Philos. n. 659, IV.; SCHIFFINI, Log. l. c.; MANCINI, Crit. q. VI; HUGON, Critica. pag. 356 et seqq.).

342. **Quaestio.** — Consideratis criteriis in seipsis, agendum est de praeeminentia criteriorum; idest quaeritur quodnam sit supremum criterium inter omnia. De existentia alicujus supremi criterii

(1) Monet clar. Pesch. (*Log.* pag. 209): « Vir bonus et cui cum veritas tum charitas cordi est dum aliorum sententias examinat diligenter cavebit ne adversarii sententiam nominibus invidiosis infamet ne eam cum invitorum hominum placitis conferat, ne invidiosa et minus accurate percepta consectaria ex adversarii sententia deducat ne maliguis eam suspicionibus premat; ne alia atque is reipsa docuit adversario affingat; ne quae indifferentia sunt in deteriorem partem accipiat; neve tandem admisceat ea quae ad rem de qua agitur nihil faciunt nec nisi creandae invidiae apta sunt ».

in genere dubitari non potest, et potest quasi a priori definiri; nam omnes certitudines in aliquo uno omnino conveniunt, idest in *exclusione formidinis errandi*, quae *exclusio* totalis et eadem debet esse in qualibet certitudine (n. 135), quamvis firmitas adsensus gradus admittat; et ideo oportet ut quaelibet certitudo aliquo motivo communi et universalissimo regatur. Sed quodnam sit hujusmodi criterium non a priori sed a posteriori dumtaxat definiri potest; non enim loquimur de subordinatione veritatum in seipsis, sed in ordine ad nostram cognitionem, seu in ordine logico. Hoc autem est quoddam factum quod nonnisi a posteriori determinari potest, idest experimento et observatione. Exinde patet quibusnam essentialibus conditionibus debeat gaudere supremum veritatis criterium.

Quarum 1.ª est ut ita sit *primum*, ut aliud non subaudiat a quo pendeat; 2.ª ita *necessarium*, ut, ipso corruente, cetera corruant; et consequenter 3.ª ita *transcendens* ut in omnibus aliis criteriis inveniatur; 4.ª ita *suppositum*, ut, ipso dato, mens normam habeat; ipso remoto, mens nullam aliam normam habere possit; eo ferme modo quo de primis principiis in nostris judiciis dictum est (n. 302).

343. **Systemata subjectiva quoad supremum criterium veritatis.** — Quidam reponunt supremum criterium veritatis in aliquo subjectivo; sed in adsignando hoc principio subjectivo inter se non conveniunt. Sunt autem sex sententiae:

1.ª Sententia est sensistarum antiquorum et positivistarum recentiorum, qui non distinguentes sensum ab intellectu, nonnisi objecta sensibilia agnoscunt, ad quae proinde limitant omnem nostram cognitionem; unde docent sensus esse mensuram, regulam totius nostrae cognitionis, et ideo criterium

supremum veritatis. Inter antiquos sensistas recensentur praecipue Leucippus, Democritus, Haeraclitus, Epicurus etc.; inter recentiores positivistas Augustus Compte quem sequuntur in Gallia Taine, Littre etc., in Anglia Darwin, Tindal, Stuard, Mill; in Italia Melchior Gioia, Josephus Ferrari, Ausonius Franchi seu Christophorus Bonavino, qui tamen postea quae docuerat retractavit, imo contra ea scripsit seipsum optime refutando.

2.ª Sententia reponit in conscientiae testimonio supremum veritatis criterium; et haec tribuitur Galluppio, sed falso.

3.ª Sententia reponit supremum criterium veritatis in fide caeca praestita naturali veracitati facultatum cognoscitivarum animi nostri. Hanc docuit Theodorus Jouffroy.

4.ª Sententia est Thomae Reid et Emmanuelis Kantii qui reponunt supremum veritatis criterium in *caeco instinctu naturae rationalis,* dicentes *caeco instinctu* a nobis admitti ut certissima principia illa universalia et immediata, unde judicia particularia et mediata per syllogismum deducimus, vel judicia contingentia rerum existentium, unde ad judicia universalia adsurgimus.

5.ª Sententia subjectivistica est *sentimentalismus,* qui reponit supremum veritatis criterium non in facultate cognoscitiva, sed in affectiva propensione animi nostri. Haec sententia est Jacobi (1743-1819) qui habetur ut parens scholae sentimentalis.

6.ª Sententia est pragmatistarum qui docent supremum veritatis criterium esse *Utile menti apparens subjectivo progressui hominis in operationum suarum intensitate* (1).

(1) Pragmatismus docet omnia problemata metaphysica ad unicum permanens et fundamentale problema ordinari quod

344. **Conclusio.** — *Supremum veritatis criterium nequeunt esse* 1.° *sensus,* 2.° *conscientia,* 3.° *fides caeca,* 4.° *instinctus caecus naturae rationalis,* 5.° *affectiva propensio animi nostri,* 6.° *utile subjectivo progressui hominis* etc.

Probatur 1.ª *pars,* videlicet: *Sensus non sunt supremum criterium veritatis.* — 1.° Si sensus essent supremum veritatis criterium, sola facultas sensitiva esset admittenda, non autem intellectus a sensu distinctus, ut sensistae et positivistae revera docent. Atqui omnino falsum est in nobis non adesse rationem, sive intellectum penitus a sensu distinctum, ut consensus generis humani docet, et ut in psychologia demonstrabitur. Ergo sensus non possunt adsumi tamquam supremum criterium seu norma veritatis.

2.° Qui docent supremum veritatis criterium esse sensum, admittere coguntur universam philosophiam concludi intra limites observationis sensibilis, et ideo intra facta sensibilia; et scientiam nihil aliud

---

hominum operationes respicit et earum evolutivum progressum perpetuum, atque in eorum solutione ab eo dependere. — Unde solutio problematum vera vel falsa dicenda est secundum quod confert vel non confert ad progressum hominis in suarum operationum evolutione progressiva — non autem vera vel falsa dicenda est quasi objecta realia solutioni quae datur correspondeant. — Igitur quidquid *utile* est ad hujusmodi subjectivum progressum hominis in suis operationibus *verum* et *bonum* est. Non autem verum est illud quod menti correspondet quasi quid reale objectivum extra ipsam. Igitur in pragmatismo supremum veritatis criterium est: *Quod utile* menti apparet ad subjectivum progressum hominis in operationum suarum intensificatione. Ideo expressiones veritatis non sunt nisi quaedam signa conventionalia et symbola quibus exprimitur status actualis progressus spiritus humani seu hominis non autem veritas objectiva. (Cf. *Rivista critica.* Il *Rinnovamento* - Milano - 1908 Gennajo-Giugno).

esse quam collectionem factorum. Atqui hoc est absurdissimum adserere, imo est contra ipsos sensistas et positivistas: nam in phaenomenis sensibilibus a nostra facultate cognoscitiva leges universales et immutabiles adinveniuntur, ut ipsimet positivistae considerare et animadvertere, sive velint, sive nolint, coguntur; quae leges, utpote universales et immutabiles, omnino distinctae sunt ab ipsis phaenomenis singularibus et mutabilibus. Ergo sensus non potest nisi absurdissime poni ut supremum veritatis criterium.

Prob. 2.ª *pars,* nempe: *Testimonium conscientiae non est supremum criterium veritatis.* — Supremum veritatis criterium totum complectitur ordinem nostrarum cognitionum. Atqui conscientiae testimonium non complectitur totum ordinem nostrarum cognitionum. Ergo testimonium conscientiae nequit esse supremum veritatis criterium. — *Prob. minor:* Conscientia non respicit nisi affectiones subjecti cognoscentis et ipsum subjectum cognoscens; non autem respicit objecta exteriora, vel quae per reflexionem et subtilem inquisitionem cognoscuntur, ut patet ex dictis (n. 283).

Prob. 3.ª *pars,* idest; *Fides caeca non potest esse supremum criterium veritatis.* — 1.º Supremum criterium seu norma certitudinis seu veritatis oportet ut antecedat omnem cognitionem et certitudinem. Sed fides caeca in naturalem veracitatem facultatum cognoscitivarum animi nostri non antecedit omnem certitudinem et cognitionem. Ergo fides caeca non est norma certitudinis et veritatis. — *Prob. minor.* Nam fides caeca in veracitatem naturalem facultatem animi nostri (si datur) est actus reflexus qui supponit perceptionem objectorum in facultatibus ipsis, et ideo cognitionem et certitudinem objectorum.

2.° Intellectus non adhaeret firmiter absque ulla errandi formidine nisi aut quia objectum apparet ei verum intrinsece, et ideo quia videt; aut quia ei apparet verum extrinsece ob scientiam et veracitatem dicentis quae ei appareat. Atqui per fidem caecam objectum neque intrinsece, neque extrinsece ob veracitatem dicentis, apparet. Ergo fides caeca non potest esse motivum seu norma veritatis.

Prob. 4.ª *pars,* nempe: *Instinctus caecus naturae rationalis non potest esse supremum criterium veritatis.* — Nam instinctus caecus Reidianus non datur. Et revera: instinctus caecus Reidianus in natura rationali nostra, juxta Reid, existit, et efformat judicia universalia et immediata, unde judicia particularia deducuntur per syllogismum, et insuper respicit sive efformat judicia contingentia rerum existentium, unde inductive adsurgimus ad universalia judicia empirica efformanda. Atqui hoc ponere omnino absurdum est: nam mens nostra circa prima principia universalia et per se nota, sicut et circa judicia contingentia, unde adsurgit ad judicia universalia empirica, evidentiam habet: et manifestissime perspicit praedicatum subjecto convenire, quod certe non esset si per instinctum caecum hujusmodi judiciis adsentiret. Ergo instinctus caecus Reidianus admitti nullatenus potest, et multo minus potest admitti ut norma veritatis seu nostrae certitudinis.

Dices: Ipsa spontaneitas qua efformantur praedicta judicia est norma seu criterium supremum veritatis; sive autem importet visionem, sive non importet, non refert.

Sed contra: nam ipsa spontaneitas, qua efformantur judicia praedicta, et potest dici sensus naturae communis, circa quaedam judicia in quibusdam hominibus vitiari potest, et de facto vitiatur, ut patet

ex experientia: quidam e. g. negant Dei existentiam, aut animae humanae immortalitatem. Atqui ipsa norma seu regula suprema vitiari non potest, secus enim deesset medium cognoscendi ipsam esse vel non esse vitiatam. Ergo ipsa spontaneitas, sive inclinatio naturalis, sive instinctus dicatur, nequit esse supremum veritatis criterium.

Insuper: hujusmodi spontaneitas non ad omnes veritates se extendit, sed ad communes, idest ad judicia, quae communiter cognoscuntur. Atqui supremum criterium veritatis ad omnes veritates se extendere debet. Ergo ipsa spontaneitas, sive instinctus, non potest esse supremum criterium veritatis. — Adde quod hujusmodi instinctus sive spontaneitas non cognoscitur primo et per se, sed secundo; idest per reflexionem et per aliud: et quidem ut est factum quoddam et ut est criterium. Ergo per aliud criterium, sive motivum cognoscitur ab eo distinctum et ab eo praesuppositum, et ideo non potest esse supremum criterium veritatis.

Prob. 5.ª *pars,* videlicet: *Affectiva propensio animi nostri non potest esse supremum veritatis criterium.* — 1.° Quod ab alio dirigitur non potest esse suprema norma, et ideo supremum criterium veritatis. Sed affectiva animi propensio a ratione dirigitur. Ergo affectiva animi propensio non potest esse supremum criterium veritatis. — *Declaratur minor:* Ut conscientia nostra testatur, affectiones sive propensiones animi ita a ratione diriguntur, ut facultatem appetitivam ad agendum contra ipsas affectiones flectamus.

2.° Supremum criterium quid firmum, et constantissimum, et universale sit oportet. Atqui affectiones sive propensiones animi non sunt quid firmum et constans, praecipue si universaliter loquamur. Ergo

affectiva animi propensio non est supremum criterium veritatis.

Prob. 6.ª *pars :* Idest: *Utile menti apparens subjectivo progressui hominis in operationum suarum intensitate non potest esse supremum criterium veritatis:* — *Utile* non est objectum intellectus, sed voluntatis cum in suo conceptu formali importet rationem boni quod dividitur in honestum, utile, delectabile; unde *utile* habet rationem medii ad finem. Atqui criterium veritatis praecipue supremum debet esse objectum intellectus formaliter ut tale. Ergo utile quocumque modo consideretur praecipue in ordine ad actiones ut hic ponitur non potest esse criterium et multo minus supremum veritatis.

2.° Insuper criterium veritatis non debet esse aliquid subjectivum ducens ad signa conventionalia et symbolica quibus exprimitur progressus subjectivus spiritus, sed ad ipsam *veritatem,* secus extra quaestionem vagatur dum adsignatur tale criterium. Atqui hujusmodi est criterium praefatum a pragmatistis assignatum. Ergo.

3.° Aut pragmatismus dum assignat illud criterium supponit hominem vere progredi in suis operationibus vel non, si non supponit tunc frustra assignat praefatum criterium pregressus hominis etc. esset enim criterium vanum, idest nullius rei, si autem supponit hominem vere progredi tunc quaerimus criterium hujus progressus quem verum supponit pragmatismus ante ipsum criterium adsignatum. Unde aliud criterium supponit pragmatismus ipse distinctum a criterio quod dicit esse *τό Utile* etc. et in quo hoc ipsum criterium fundamentum habet tanquam in criterio universaliori (1).

(1) Pragmatismus non solum supponit hominis verum progressum subjectivum in suis operationibus, sed etiam omnia

4.° Haec sententia in subjectivismo Kantiano fundamentum habet sed supra ostendimus subjectivismum Kantianum esse illogicum et absurditatibus plenum. Ergo haec sententia nulla ratione substineri potest.

345. **Exponuntur breviter systemata extrinseca circa supremum criterium veritatis.** — Quidam reponunt supremum veritatis criterium in aliquo extrinseco ; sed quia principia extrinseca unde paritur cognitio, plura sunt, ideo non omnes conveniunt in adsignando supremo criterio in aliquo extrinseco ; unde diversae recensentur sententiae.

1.ª Sententia est *revelationistarum*, quorum princeps videtur esse Daniel Huetius (1630-1721) episcopus Atrebatensis in Gallia. Is docuit rationem humanam sine divina rivelatione, cujus custos est catholica Ecclesia, non posse certitudine omnimoda consequi veritatem. Ex quo sequebatur divinam revelationem esse supremum veritatis criterium.

2.ª Sententia est De Lamennais, qui, supposito

---

problemata metaphysica esse subordinata huic progressui ; et criterium adsignat hujus subordinationis, seu motivum et quidem distinctum a criterio supra adsignato : En verba litteraliter versa : « Pragmatismus uti methodus inquisitionis philosophicae progreditur a quaesitu fundamentali quod unicum problema vitale nobis est studium hominis in suis operationibus et in earum progressivo eventu, omnia alia metaphysica problemata huic subordinantur » ; et assignat rationem hujus positionis subdens « quia solutiones quae traduntur aliud non sunt quam productio virium creativarum in esse nostro physiologico et psychico absconditarum, et ideo symbola variabilia quorum valor et veritas secundum quod exigentiis spiritualibus subjecti ea concipientis correspondent mensurari debeat ». — Sed quia etiam hoc motivum non est per se notum debet etiam aliud criterium adsignari. Unde criterium supra assignatum multa alia supponit et ideo primum esse non potest (cf. *Rivista critica* etc. l. c. nota praec.).

eodem principio, idest mentem humanam non posse veritatem adsequi sine divina revelatione, et constituto humano genere ut organo divinae revelationis, docuit concordem auctoritatem generis humani esse expressionem ejusdem divinae auctoritatis, et solummodo tali auctoritate innixam mentem nostram posse consequi omnimodam certitudinem; et hanc auctoritatem concordem generis humani quandoque sensum naturae communem appellat, quandoque rationem socialem vel publicam, modo universalem consensum.

3.ª Sententia fuit Patris Joachim Ventura qui primo eamdem doctrinam retinuit ac De Lamennais; sed postea temperavit concedendo rationem individualem certitudinem primarum veritatum, ut sunt prima principia abstracta, existentia subjecti cogitantis, posse consequi. Docuit tamen sensum communem in iis quae sensus communis sunt, et auctoritatem doctorum vel peritorum in respectiva arte vel scientia esse supremum veritatis criterium respectu veritatum, quae habentur mediate, idest per demonstrationem. Quae sententiae breviter per varias conclusiones refutandae sunt.

346. **Conclusio I.** — *Divina revelatio non potest esse supremum veritatis criterium, seu certitudinis naturalis.*

Prob.: Veritates quae accipiuntur per quodcunque magisterium, sive divinum sive humanum, aut certo tenentur quia in seipsis videntur, aut certo creduntur vi solummodo auctoritatis magisterii. Atqui in nullo casu magisterium divinum revelans potest esse supremum veritatis criterium. Igitur absolute negandum est supremum veritatis criterium in divina revelatione esse positum. — *Prob. minor:* Etenim si veritates quae ab alieno magisterio proponuntur vi-

dentur in seipsis, ratio seu criterium adsensus est ipsa veritas sive immediate, sive mediate, in principiis nempe intrinsecis percepta; si vero veritates non videntur in seipsis, haud certo creduntur nisi constet de scientia et veracitate loquentis: quae scientia et veracitas aliunde constare debent, quam ab ipsa auctoritate loquentis, ne circulo vitioso implicemur. Et ideo aliud criterium subaudit auctoritas dicentis.

347. **Conclusio II.** — *Repugnat absolute auctoritatem, seu consensum humani generis, esse supremum criterium veritatis.*

Prob.: Consensus generis humani subaudit aliud criterium in quo fundetur et a quo probetur; non est universale criterium; utrum et quando existat probari debet. Atqui quod est hujusmodi non potest esse supremum veritatis criterium. Ergo etc. — *Minor* constat. *Prob. major* per partes:

1.° *Subaudit aliud criterium in quo fundetur et a quo probetur:* Nam auctoritas humana est criterium extrinsecum cujus efficacia ad ingenerandam nobis fidem ex scientia et veracitate pendet. Atqui scientia et veracitas non auctoritate ipsa nobis nota esse debet, ne circulo vitioso implicemur, sed aliunde probatur. Ergo auctoritas humani generis subaudit aliud criterium in quo fundetur et a quo probetur.

2.° *Non est universale criterium:* Nam sensus naturae communis intra quosdam limites continetur, non enim ad omnes veritates extenditur, auctoritas vero humana pressius accepta ad res facti praecipue destinatur, non ad res scientificas in quibus non est nisi infirmissimum criterium veritatis (n. 327).

3.° *Utrum et quando existat probari debet:* Nam auctoritas generis humani aut respicit res facti, aut res scientificas, aut veritates sive judicia sensus

communis, quae omnibus innotescunt: si respiciat res facti aut res scientificas, antequam ut criterium adducatur, oportet ut probetur conditionibus debitis esse praeditam, idest *scientia* et *veracitate*, quae conditiones oportet ut probentur non auctoritate ipsa, secus haberetur circulus vitiosus, sed alio criterio. Si vero sermo sit de judiciis sensus communis, oportet ut elementa extranea amoveantur; nam sensus communis ut criterium nonnisi necessaria respicit. Unde alio criterio probandum est an a sensu communi tale judicium, de quo quaeritur veritas et criterium, dictetur nec ne. Adde quod sensum naturae communem esse criterium veritatis ut demonstretur necesse est; et reapse demonstravimus aliis argumentis non petitis a sensu communi (n. 326).

348. **Conclusio III.** — *Auctoritas peritorum sive sapientium nequit esse supremum criterium veritatis seu certitudinis mediatae.* — Adverte in primis sententiam oppositam huic nostrae conclusioni extra quaestionem, quam definire intendimus, vagari: nam nos quaerimus non de criterio relative supremo, puta circa certitudinem mediatam, sed de criterio absolute supremo respectu cujuslibet veritatis seu certitudinis.

Prob. ergo conclusio: Illa sententia opposita nostrae conclusioni contradicit facto, sibi ipsi, et naturae demonstrationis. Ergo admitti nequit. — *Conseq. patet.* — *Antecedens per partes probatur.*

1.° *Contradicit facto:* Etenim nemo, postquam per syllogismum demonstrativum intulit aliquam scientificam conclusionem, expectat consensum hominum aut auctoritatem doctiorum ut eam veritatem certo teneat. Imo videmus viros doctos, non excepto p. Ventura, defendere suas, quas ex principiis deduxerunt conclusiones scientificas, a calumniis adversariorum etiamsi doctrina sint praestantissimi.

2.° *Contradicit sibi ipsi:* Certe auctoritatem doctiorum hominum esse criterium veritatis in rebus scientificis non est principium per se notum: ergo demonstratione indiget. Atqui non potest demonstrari per auctoritatem doctiorum hominum, secus haberetur petitio principii et ideo nulla demonstratio. Ergo demonstratur per aliud criterium distinctum, quo innititur proinde auctoritas doctiorum hominum, et ideo non potest poni ut supremum criterium in veritatibus scientificis, nisi per apertam contradictionem.

3.° *Contradicit naturae demonstrationis:* Nam de ratione verae demonstrationis est ut mens evidenter inferat conclusionem ex praemissis evidentibus, per hoc quod ipsam videt necessario esse connexam cum praemissis; et ideo ex negatione conclusionis evidenter sequitur negatio principiorum, ac proinde mens de conclusione illata dubitare nequit. Ergo non est expectandum aliud criterium, e. g. auctoritas doctiorum, ut mens adsentiat conclusioni illatae ex praemissis: hoc enim non fieret nisi contradicendo naturae demonstrationis (1).

349. **Sententia Cartesii circa supremum criterium veritatis.** — Cartesius posuit *ideam claram et distinctam* esse supremum veritatis criterium. Sed quid intellexerit per ideam claram et distinctam incertum est. Igitur per ideam claram duo possunt intelligi, vel aliquid subjectivum, quasi subjecti cogitantis modificatio subjectiva, seu *id quod nobis* videtur, et in hoc sensu intellecta sententia cartesiana admitti nequit, utpote idealismum et subjectivismum inducens (n. 272); vel potest intelligi ipsum

(1) Vide LAMENNAIS. *Essai sur l' indifference;* BALMES, *Philosoph. fondam.* liv. I; MERCIER, *Critériologie,* liv. III etc.

objectum intelligibile in sua objectiva veritate menti praesens et mentis ad se adsensum trahens, et in hoc sensu explicata non differt a nostra quam defendimus sententia, et consistere in evidentia objectiva demonstrabimus.

350. **Prima principia non sunt supremum veritatis criterium.** — Quidam reponunt supremum veritatis criterium in primis principiis demonstrationum: sed neque haec sententia probatur, nam prima principia fundantur in cognitione transcendentalis *entis, unius* etc. Insuper ipsa non sunt motivum sufficiens ad trahendum adsensum circa omnes veritates, cum saepe quis cognoscat principia, neque tamen mens ejus moveatur ad conclusiones, et cum multae sint veritates quibus non propter principia adhaeremus quasi conclusionibus ex eis deductis sed ut sunt veritates experimentales immediate cognitae. Concedimus tamen prima principia esse criteria respectu conclusionum quae nonnisi, per principia cognosci scientifice et evidenter possunt, ut saepe docet S. Thomas.

351. **Conclusio.** — *Evidentia objective spectata est supremum veritatis criterium.*

Prob.: In qualibet cognitione duo sunt essentialiter et exclusive: subjectum cognoscens et objectum. Ergo motivum seu criterium certitudinis, aut ex subjecto cognoscente aut ex objecto ipso cognito sumi debet. Non autem ex subjecto cognoscente, quia, teste conscientia, per ipsum non stat quod certitudo de re aliqua habeatur vel non habeatur, cum contra suam propriam voluntatem saepe cogatur dubium haerere, saepe intra limites opinionis contineri, saepe etiam erret illusoria certitudine deceptum: insuper, non subjectum cogitans mensurat rerum veritatem, sed a veritate rerum ejus veritas mensuratur (n. 314).

Ergo motivum seu criterium certitudunis ex objecto cognito est desumendum. Sed objectum cognitum, ut cognitum, est ipsum objectum seipso menti apparens, praesens et vi suae praesentiae adsensum mentis determinans. Manifestum est autem objectum apparens vel praesens menti, et objectum patens vel evidens menti ipsi, esse dictiones omnino synonimas. Sed, ut patet, objectum non est evidens nisi evidentia, (concipit enim noster intellectus abstracte evidentiam ut formam quamdam terminum concretum afficientem) sicut est verum veritate, ens entitate, bonum bonitate. Igitur evidentia objective spectata est supremum veritatis criterium. Hinc illae dictiones cuique linguae communes : *res patet, veritas claret meridiana luce, hoc evidens est,* et alia hujusmodi. — Et revera vel levis analysis nostrarum cognitionum argumentum nostrum mirifice confirmat. Si enim rationem quaeramus, cur firmiter retinemus existentiam alicujus objecti sensibilis, indigitamus objectum ipsum quod praesentia sua sensus percellit nostros ; si intellectus admittit certitudinaliter principia sive demonstrationum sive definitionum, ratio est quia eorum veritas per se menti patens non sinit quoad illa dubitare ; si conscientia inconcusse refert ea quibus subjectum cognoscens afficitur, ratio est quia ab ipsa rei veritate quodammodo compellitur. Tolle ipsam rei veritatem evidentem, et non solum omnia nutant, sed adsensus mentalis nulla amplius est ratio : quod in idem recidit ac si dicamus, quod, sublato supremo evidentiae criterio, adsensus mentis est omnino impossibilis.

Caput XXIII.

De scientiarum coordinatione

(Zigliara, Crit., l. II; Liberatore, log. pars. alt., c. VI.; Rosselli, Log. quaestio XXIX; Mancini, Critica, qu. IX; Schiffini; De Maria; Hugon, Crit., pag. 439 et seqq.).

352. **Scientia est in intellectu, et scibile respicit.** — Nomine scientiae intelligitur *cognitio certa et evidens per demonstrationem habita* (n. 142). Sed cognitio de qua loquimur nonnisi in intellectu esse potest et ex lumine intellectus procedere; insuper quaelibet cognitio respicit aliquam rem, seu aliquid quod communiter *objectum* cognitionis dicitur, quia scilicet menti *objicitur;* vel etiam dicitur simpliciter *cognoscibile.* Unde et scientia in intellectu est, et *objectum* quod *scibile* dicitur, respicit.

353. **Conclusio.** — *Scientia* 1.° *subjective ex lumine intellectus procedit;* 2.° *objective ex aliqua re intellecta.*

Prob. 1.ª *pars:* Scientia est vera cognitio intellectualis; sed cognitio intellectualis nonnisi ex lumine intellectus subjective procedit. Ergo scientia ex lumine intellectus subjective procedit.

Prob. 2.ª *pars:* Scientia est cognitio per demonstrationem habita. Sed cognitio quae habetur per demonstrationem et vi demonstrationis, objective procedit ex re intellecta quae per definitionem exprimitur (n. 303). Ergo scientia *objective* procedit ex aliqua re intellecta.

354. **Corollaria.** — I. Scientia ergo proprie respicit et attingit rem (quae, ut entitas est, praeintelligitur scientiae) quatenus res est ratio seu causa suarum proprietatum, quae per demonstrationem in-

feruntur; e. g. cognitio evidens (scientia) quae respicit animam ut est ratio spiritualitatis, immortalitatis, simplicitatis etc., est scientia animae.

II. Scientia alicujus rei potest esse magis vel minus perfecta secundum quod plures aut pauciores proprietates in ipsa re attingit. Unde scientia quae attingit rem cum omnibus suis proprietatibus dicitur scientia *totalis* illius rei; e contra scientia quae unam proprietatem, aut plures, sed non omnes attingit in re, dicitur *scientia partialis.*

355. **Objectum formale quod in scientia.** — Illud quod in re aliqua a scientia attingitur dicitur objectum *formale quod,* seu ratio *formalis quae* scientiae eo ferme modo quo color, qui in corpore attingitur a facultate visiva, dicitur objectum *formale quod* seu *ratio formalis* quae attingitur a facultate visiva. Ipsa vero res quatenus praesupponitur ab intellectu ante scientiam aliqualiter cognita, dicitur *subjectum* scientiae, vel *materia circa quam* versatur scientia; sicut anima sic accepta dici potest *subjectum* respectu scientiae psychologicae, quae animam ipsam attingit non praecise, sed ut est *ratio* seu *causa* suarum proprietatum quae ex ejus natura per demonstrationem inferuntur.

356. **Objectum formale quo.** — Objectum *formale quo* dicitur *lumen sub quo,* seu *ratio qua,* seu *sub qua* scientia attingit objectum *quod,* seu rationem formalem *quae;* et est idem ac objectum formale *quo,* seu ratio formalis *qua* facultatis cognoscitivae: unde, sicut objectum formale *quo* visus est lux corporalis, ita objectum formale quo scientiae dicitur *lux intellectualis,* seu *lumen intellectus.*

357. **Unitas numerica scientiae.** — Unitas scientiae duplex consideratur, videlicet unitas *numerica* et unitas *specifica.* Unitas *numerica* habetur ex uni-

tate subjecti in quo scientia reperitur; nam scientia est accidens quoddam existens in intellectu; de ratione autem accidentis est ut sit in alio sicut in subjecto; et ideo sicut habet esse a subjecto, ita et unitatem.

358. **Conclusio I.** — *Unitas specifica scientiae desumitur ab objecto.*

Prob.: Scientia intrinsece et essentialiter ordinatur ad objectum; ea autem quae ad aliud essentialiter ordinata sunt ab illo speciem sortiuntur; sicut e. g. motus aut via specificatur a termino, et facultas ab actione; unde facultates seu virtutes operativae per actionem ad quam ordinantur denominationem accipiunt, et per actionem ipsam definiuntur: e. g. intellectus dicitur ab *intelligere*. Ergo unitas specifica actionis et scientiae desumitur ab objecto.

359. **Conclusio II.** — *Unitas specifica scientiae desumitur ab objecto formali, sed magis ab* objecto formali quo *quam ab* objecto formali quod.

Prob. 1.ª *pars:* Objectum ad quod scientia ordinatur non est ens sive res nude sumpta, sed est res seu ens *scibile*. Sed *scibile*, ut *scibile*, constituitur ex objecto formali *quod* et ex objecto formali *quo*. Ergo scientia suam speciem desumit ex duplici illo *objecto formali*. — *Prob. minor:* Ad hoc ut ens possit dici scibile, duo requiruntur: 1.° ipsa entis natura ex qua sicut ex ratione formali ejus proprietates deducantur; 2.° lumen intellectus vi cujus tales proprietates deducuntur. Unde ens non dicitur scibile ab intrinseco, quasi ex ipsa sua natura independenter ab alio extrinseco, sit *tale*, sed ab aliquo extrinseco denominatur *scibile*, idest ex actione intellectiva seu ex *lumine intellectus*, quod est objectum formale *quo* scientiae.

Prob. 2.ª *pars :* Scientia, ut dictum est, non specificatur ab ente praecise sumpto, secus tot essent scientiae quod sunt entia specie diversa, sed constituitur in sua natura per ordinem essentialem ad scibile, idest ad ens ut importat formam scibilitatis. Ergo ratio seu forma *scibilitatis* est id per quod primario scientia constituitur in sua natura et id a quo primo intelligitur specificari. Atqui ens seu objectum dicitur scibile non per aliquam formam intrinsece ei inhaerentem, sed extrinsece, idest vi *luminis intellectus,* vi cujus et a quo potest sciri. Ergo scientia primo et per se intelligitur constitui in sua natura, et ideo specificari magis a lumine intellectus, quod est objectum formale *quo* seu ratio *sub qua* ens scitur, quam ab objecto formale *quod.*

Observandum tamen est scientiam non constitui in sua natura et non distingui ab aliis cognitionibus *per lumen intellectus* absolute sumptum, hoc enim habet commune cum illis; sed per *lumen intellectus manifestans objectum formaliter ut scibile ;* idest mediate per demonstrationem.

360. **Conclusio III.** — *Diversitas et distinctio scientiarum inter sese sumitur secundum diversum gradum abstractionis a materia.*

Declaratur : Scientia in genere intelligitur primo et per se constitui per lumen intellectus mediate manifestans ipsum objectum quod scitur. Ergo secundum varias distinctiones, quae in hujusmodi lumine possunt a nobis considerari, debet accipi distinctio et diversitas scientiarum. Atqui in lumine intellectus non possunt congruenter adsignari aliae distinctiones primariae quam diversi gradus abstractionis a materia. Ergo diversitas et distinctio scientiarum a diverso abstractionis gradu a materia sumi

debet. — *Prob. minor*: Abstrahere a materia est proprium *luminis intellectualis,* cum a solo intellectu cognoscantur universalia, idest objecta abstracta a materia.

361. **Conclusio IV.** — *Scientia generalissime inspecta in quinque scientias primarias dividitur, quae sunt:* physica, mathematica, metaphysica, moralis, logica.

Prob.: Distinctio scientiarum sumitur secundum diversos grados abstractionis intellectus a materia. Atqui in lumine intellectuali quintuplex gradus abstractionis a materia consideratur. Ergo quintuplex genus scientiae distinguitur. — *Prob. minor: Primus* et infimus gradus abstractionis a materia per lumen intellectuale habetur in abstractione a materia *individuali;* et habetur *physica;* quae ex factis individualibus et sensibilibus leges universales colligit, sub quibus semper facta hujusmodi contineri intelliguntur et materia communis *sensibilibis* concipitur. — *Secundus* gradus abstractionis a materia in lumine intellectuali consideratur secundum quod intellectus abstrahit non solum a materia individuali, sed etiam a materia *sensibili,* et habetur *mathesis,* in qua consideratur *quantitas* pura abstracta a materia; sed quia quantitas est accidens naturaliter materiae inhaerens, et accidens non potest intelligi et definiri nisi per subjectum cui naturaliter inest, ideo semper materia *intelligitur* in mathesi, quamvis non sit objectum mathesis; unde, quamvis mathesis abstrahat a materia sensibili etiam universali, tamen non abstrahit a materia omnino, quia adhuc materia ut subjectum quantitatis *intelligitur,* idest in mathesi non habetur abstractio a materia *intelligibili,* ut ajunt scholastici. — *Tertius* gradus *abstractionis* in lumine intellectuali consideratur per hoc quod in-

tellectus abstrahit omnino ab omni materia proprie dicta; et ideo materia per hujusmodi actum intellectus non amplius intelligitur. Unde tertius gradus abstractionis habetur in abstractione a materia *intelligibili;* sicut cum mens considerat proprietates entis, unius, rationem causalitatis in genere, Deum etc.; et sic habetur *metaphysica.* — *Quartus* gradus abstractionis in lumine intellectuali habetur per hoc quod intellectus non solum abstrahit ab omni materia proprie dicta, sed etiam a materia improprie dicta, prout nomine materiae intelligitur physica realitas; et habetur *moralis,* in qua moraliter considerantur actus humani et regulae morum quibus mens in finem dirigitur. — *Quintus* gradus abstractionis in lumine intellectuali consideratur secundum quod intellectus non solum abstrahit a physica realitate, sed etiam a realitate morali; ita ut nonnisi *ens rationis* remaneat; et habetur *logica.*

362. **Scientia subalternans et scientia subalternata.** — Scientiarum quaedam dicuntur *subalternantes,* quaedam *subalternatae.* Scientia *subalternata* ea dicitur quae deducitur ex principiis, seu ex veritatibus quae sunt conclusiones alterius scientiae, quae proinde dicitur *subalternans.*

363. **Corollaria.** — I. Scientia subalternans est scientia superior respectu scientiae subalternatae, quae proinde est scientia inferior. Nam scientia subalternata dependet ex scientia subalternante, sicut a suo principio, vi cujus certitudinem habet, ut conclusio habet certitudinem ex praemissis.

II. Scientia quae ita est subalternans, ut nullo modo sit subalternata, ex principiis immediate et per se notis procedit.

III. Objectum scientiae subalternantis et objectum scientiae subalternatae differunt; nam objectum scien-

tiae subalternantis est quid genericum; e. g. objectum metaphysicae generalis est *ens,* seu sunt ipsa *universalia;* objectum autem scientiae subalternatae est quid magis determinatum et quasi specificum e. g. objectum cosmologiae est *mundus,* et objectum psychologiae est *anima,* et Theologiae naturalis, *Deus.*

IV. Objectum seu subjectum scientiae subalternatae est species subjecti scientiae subalternantis per differentiam accidentalem contracti, ut patet in relatis exemplis; e. g. subjectum *metaphysicae* generalis est ens prout considerantur in ipso rationes universalissimae, e. g. potentiae et actus, entis finiti et infiniti, causalitatis etc.; e contra subjectum *cosmologiae* est ens finitum, non in genere, sed in specie consideratum, idest *mundus,* qui tamen ab ente finito in genere nonnisi accidentali differentia distinguitur; objectum *psychologiae* est *anima* etc.; idest, ens finitum sub ratione speciali animae est subjectum psychologiae. — Aliud exemplum: *numerus* est subjectum *aritmeticae,* et numerus sub ratione *sonori* est subjectum *musicae,* quae est scientia subalternata respectu *aritmeticae.*

364. **Conclusio V.** — *In scientiis primariis nulla est proprie dicta subalternatio.*

Prob.: Ad hoc ut una scientia sit alteri subalternata, requiritur ut subjectum unius sit species subjecti alterius; et ideo ut una, idest subalternata, omnino contineatur sub altera, quae dicitur subalternans. Atqui subjectum nullius scientiae primariae supra recensitae (n. 361) est species subjecti alterius scientiae. Nam quaelibet scientia quinque praedictarum habet principia quaedam sibi propria, ex quibus procedit, quamvis alia scientia utatur et indigeat; e. g. *logica* ex propriis principiis procedit, quae a nulla alia scientiarum praedictarum mutua-

tur; et idem dicendum est de *metaphysica generali*, de *morali*, de *mathesi*, de *theologia*, ut consideranti patere potest. Ergo in scientiis primariis nulla est proprie dicta subalternatio.

365. **Nobilitas scientiae.** — Scientiae nobilitas attenditur primo ex parte objecti; unde quo objectum nobilius est etiam scientia est nobilior; secundo attenditur ex parte subjecti, quatenus scilicet intellectus, in quo est scientia, est nobilior, vel quatenus ab intellectu perfectius scientia possidetur. Unde scientia quae Deum respicit tanquam objectum vel tanquam finem primo loco ponitur ratione dignitatis et nobilitatis. Similiter scientia quae superiores et universaliores causas respicit simpliciter loquendo est nobilior scientia quae respicit causas inferiores.

366. **Certitudo scientiae.** — Certitudo scientiae attenditur etiam ex parte objecti et ex parte subjecti; ex parte objecti attenditur certitudo scientiae sicut et cujuscumque cognitionis quatenus objectum majorem habet vel minorem stabilitatem. Unde cognitio de rebus contingentibus simpliciter loquendo est minus certa quam cognitio de rebus necessariis; et consequenter etiam cognitio de rebus necessariis ex stabilitate et necessitate majori vel minori est major vel minor secundum quod objecta scilicet res cognitae sunt magis vel minus stabiles et necessariae in proprio esse. — Unde illae scientiae simpliciter loquendo sunt certiores quarum objectum habet esse magis fixum et necessarium. Ratio est quia impossibilius, ut ita dicam, est, quod earum objectum deficiat. — Ideo scientiae metaphysicae utpote respicientes causas universaliores imo et universalissimas et necessarias absolute *simpliciter loquendo* sunt certiores scientiis physicis.

Tamen secundum quid et *quoad nos* certiores sunt

scientiae physicae, quia hae utpote objecta exclusive sensibilia respicientes sunt magis proportionatae intellectui nostro, a quo proinde perfectius possidentur, et ideo in eis magis quietamur.

367. **Ordo in scientiis addiscendis.** — Quoad ordinem in scientiis addiscendis duo sunt prae oculis habenda nempe *facilitas,* et *utilitas.* Unde a facilioribus incipiendum est quia difficultas praecipue in incipientibus nauseam causat et animum alienat, ab utilioribus quatenus scilicet aliis scientiis addiscendis auxilio esse possunt et sic difficultates minuere.

368. **Physica et mathesis primo addiscendae.** — Igitur 1.° addiscenda est physica (sub physica aliae scientiae experimentales comprehenduntur), quae leges ex experimentis colligit et mathesis, quae duae scientiae facilius quam aliae addisci possunt, neque aliis scientiis indigent auxiliaribus; nam in his duabus scientiis inter sapientes nulla vel fere nulla disceptatio est, neque in eis facile erratur. — Utraque, physica praecipue, potest haberi tanquam praeparatio ad alias scientias supra recensitas, quae proprie philosophiam constituunt.

369. **In philosophicis disciplinis ordo servandus.** — In aliis scientiis vero quae ad philosophiam pertinent primo loco addiscenda est logica 1.° quia per logicam mens dirigitur in cognitionem, 2.° quia ex defectu logicae fere omnes errores in philosophia, imo et in theologia proveniunt et ejus auxilio omnes errores occurrentes propulsantur; errores autem qui inter philosophos occurrunt plurimi et frequentissimi sunt; et ideo cautissime logicae auxilio muniti procedere debemus, 3.° quia logica cum respiciat modum componendi praedicatum et subjectum, et ideo ea quae in nobis ipsis accidunt, facilius addiscitur quam alia philosophica scientia,

imo in prima parte logicae nulla disceptatio est inter philosophos, et ideo error quam facillime vitatur.

Secundo loco in philosophia addiscenda est Metaphysica. Et quia metaphysicae generalis principia saepissime in aliis scientiis idest in metaphysica speciali, applicantur, ita scilicet ut si principia illa non recte et plene fuerint percepta et recte applicata nulla vis aliis scientiis insit, ideo *Metaphysica generalis* post logicam statim est addiscenda. — Ipsa enim addisci potest sine auxilio metaphysicae specialis.

Tertio addiscenda est metaphysica specialis 1.° quidem loco, ea quae examinat et investigat naturam et causas seu rationes etiam ultimas entis sensibilis in concreto, 2.° illa quae ex ente sensibili adsurgit ad cognitionem entis omnino intelligibilis quod est ens supremum, principium omnium et finis totius philosophiae. Scientia quae examinat et investigat naturam entis sensibilis nomine generico dici recte potest *philosophia naturalis* quae complectitur illam philosophiae partem quam in Cosmologiam et psychologiam vel anthropologiam non pauci dispescunt, quam divisionem etiam nos sequimur.

Quarto loco et ultimo addiscenda est illa scientia quae considerat media quae nos in Deum nostrum ultimum finem ducunt idest moralis; haec enim Dei cognitionem supponit (1).

---

(1) *Divisio scientiarum a modernis tradita.* — Allata divisio scientiarum est perantiqua a philosophis scholasticis tradita. Sed moderni philosophi alia via incedunt in divisione scientiarum. Baco quem secutus est d'Alembert et multi alii non per ordinem ad obiecta scientias dividit, sed ad subiectum, idest ad facultates cognoscitivas quas tres ponit, idest: *Imagina-*

370. **Epilogus.** — Finis logicae Majoris quae critica audit est vim processus argumentationis atque ejus omnia elementa sicut etiam ipsa criteria quibus ratio procedit ad veritatem investigandam

---

tionem, memoriam, rationem ; et tres scientias correspondentes idest *poësim, historiam* tam naturalem quam civilem, et *philosophiam.* — Sed haec divisio, ut patet non solum manca et deficiens est, sed etiam absurda, 1.° quia scientia nonnisi ad rationem pertinere potest, ut patet ex ejus definitione; 2.° quia divisiones scientiarum per scibilia ipsa ad quae essentialiter ordinantur scientiae, est accipienda. — Utilior est quamvis in multis defectuosa divisio scientiarum quae ab I. Ampère traditur. Is animadvertens duo esse objecta generalissima sub qua omnia continentur, *materiam scilicet* et *spiritum,* dividit scientias in *Cosmologiam* et *Noologiam.* — Utramque in alias duas scientias dividit; et ita prosequitur suas divisiones scientiarum in binas et binas enumerans scientias triginta duas ad Cosmologiam pertinentes. En omnes scientiae ab Ampère recensitae: Arithmetica — Geometria — Mechanica — Uranologia — Physica — Technologia — Geologia — Oryctotechnia (circa mineralia terrae infossa) — Botannica — Agricultura — Zoologia — Zootechnia — Hygienica — (Physico-medica) — Nosologia (ad vires augendas) — Medicina practica — Psychologia — Ontologia — Ethica — Thelesiologia (scientia voluntatis) — Technaesthetica — Glossologia — Litteratura — Paedagogia — Etnologia — Archaeologia — Historia — Hierologia (religio, — Aeconomia socialis — Militaris — Nomologia — Politica.

Facile est videre hunc ordinem in pluribus deficere 1.° quia non attenditur ad obiectum formale scientiarum, sed ad materiale tantum ; 2.° ipsam philosophiam non meminit nisi partes ejus recensendo ; 3.° deficit in aliis quae unusquisque videre potest.

Positivistae a scientiae ratione excludunt metaphysicam, et dividunt scientias ut sequitur, idest in : *Mathematicam, Astronomiam, Physicam, Chimiam, Biologiam, Sociologiam.* — Has autem divisiones multiplici vitio laborare de facili deprehenditur, praecipue ex eo quod ad objectum *formale* scientiarum non attenditur ; insuper divisio a positivistis tradita nonnisi objecta sensibilia respicit et materialia. — Cf. HUGON, *Critica,* pag. 157 et seqq.

examinare. Unde tradit in primis definitionem atque divisionem veritatis, certitudinis cognitionis etc.; definit autem veritatem : *Adaequatio intellectus cum re intellecta, vel adaequatio rei cum intellectu.* Inde triplicem argumentationis speciem distinguit; unde habetur argumentatio *demonstrativa*, qua mens veritatem et certitudinem consequitur, argumentatio *probabilis* qua ad certitudinem approximatur quin ipsam attingat, argumentatio *sophistica* qua ab erroribus cavet diversas species fallaciae adsignando. — Inde ut cognitionis objectivitatem tueatur objectum simplicis apprehensionis examinat atque statuit universalia objecta realitatem habere. Quodcirca diversas species universalium recenset, sed solum universale in essendo seu in praedicando examinat ipsum definiens : *Quod est aptum inesse pluribus et praedicari de illis.* Dicit autem quod universale quoad rem conceptam existit vere in singularibus ; unde universale metaphysicum est aliquid reale si consideretur quoad rem conceptam, sed ipsa abstractio quae ei conjungitur se tenet ex parte mentis. Similiter universale logicum seu universale formale est ens rationis, sed ejus fundamentum est aliquid reale in individuis existens ; unde tam nominalismus quam conceptualismus qui ponunt universale esse purum nomen vel purum mentis conceptum omnino rejiciendus est. Et similiter rejiciendus est realismus Platonicus qui universale formale admittit tanquam aliquid per se subsistens quasi formam separatam, sicut etiam realismus ontologisticus admittens ideas divinas esse ipsa universalia ; et multo magis realismus pantheisticus qui identitatem ponit inter objecta universalia et mentem humanam quam cum ipso Deo turpiter confundit. Solummodo realismus temperatus, rejecto etiam realismo empirico, veritate

praeditus est utpote admittens naturam expressam per definitionem in singularibus individuis multiplicatam, atque vi abstractionis intellectus unam atque universalem redditam. — Universalibus quae sunt objecta simplicis apprehensionis examinatis, de ipsa assecutione veritatis agitur et invicte obstenditur scepticismum tum absolutum tum hypotheticum esse omnino absurdum utpote sibi ipsi repugnantem; inde mentem humanam posse veritatem assequi directe probatur et quidem per simplicem apprehensionem modo imperfecto, per judicium vero perfecte. — Ad objectivitatem tum cognitionis tum veritatis tuendam contra subjectivistas ipsa natura judicii intimius expenditur; ad trutinam ipsa definitio judicii analytici et synthetici a Kantio tradita revocatur; atque ejus aequivocatio cum variis periculis erroris notatur. Definitio Kantiana etiam cum vera definitione judicii analythici et synthetici comparatur. Inde variae absurditates ex Kantiana doctrina et a Kantio ipso admissae ut veritates, refutantur. Tum valorem objectivum judiciorum analythicorum tum etiam judicia quas Kant synthetica a priori vocat, esse vere analytica ostenditur atque quomodo judicia analytica intelligi debeant explicatur. Tandem valore objectivo esse praedita prima principia concluditur et radix erroris subjectivistici indicatur. — Statuta natura et objectivitate universalium (quae sunt elementa judicii) atque ipsorum judiciorum ad ipsa veritatis criteria explicanda fit gressus. Criterium autem veritatis nihil est aliud quam medium tutum quo ad veritatem pervenimus. Criterium autem veritatis multiplex assignatur; vel enim est intrinsecum, ut evidentia, vel extrinsecum ut auctoritas, et criterium intrinsecum aliud est subjectivum, idest facultas cognoscitiva, quae multiplex est, et aliud objecti-

vum. Inter criteria subjectiva primum quod recensetur est *sensus externus*, de cujus veracitate quoad objectum sibi proprium dubitari nequit, dummodo tamen sit rite dispositus tum in seipso, tum respectu medii, tum respectu objecti. Certe sensus possunt esse nobis occasio errandi sed hoc nonnisi per accidens contingere potest. Neque sensus externi confundi debent cum ipsa phantasia ex qua praecipue proveniunt pericula erroris, quae tamen servatis quibusdam normis vitari possunt. Inter criteria veritatis subjectiva praeter sensus externos recensetur conscientia quae circa affectiones subjecti sentientis et intelligentis errare non potest, sicut et ipsa intelligentia circa prima principia per se nota; ratio vero licet per se errori obnoxia esse non possit, potest tamen per accidens. Inter criteria objectiva tum evidentia tum prima principia recensentur. Prima est perspicuitas rei menti affulgentis, alia vero idest prima principia sunt veritates per se notae universales. Sed inter principia duo sunt mentione speciali digna utpote prima omnino atque universalissima idest: *Omne ens est sua propria natura,* et: *Impossibile est aliquid simul esse et non esse secundum idem.* — His criteriis objectivis inter alias opponitur doctrina Kantiana et Hegeliana 1.° ponit prima principia esse vera subjective; secunda eorum veritatem omnino negat. Nam Kant ponit objecta sensibilia non esse nisi repraesentationes subjectivas sensuum sicut contingit in somniantibus, et attributa seu praedicata quae de illis objectis affirmantur esse puros mentis conceptus. Unde in hac propositione Petrus est homo e. g. Petrus est subjectiva sensatio, homo est idea quaedam mentis subjectiva. Hegel vero esse et non esse dicit esse identificata in τό fieri. — Absurditas doctrinae Kantianae ex eo patet quod objecta sensibilia

realia ponuntur partus sensationis, ideae vero omnino subjectivae; absurditaŝ doctrinae Hegelii patet ex eo quod omnia contraria identificari sequitur, ita bonum et malum, vitium et virtutem etc. — Criteria extrinseca veritatis ad duo revocantur nempe ad auctoritatem divinam et humanam. Prima est criterium infallibile veritatis et certitudinis et quidem metaphysicae, quia scientia et veracitas Dei veritates metaphysicae sunt. — Auctoritas vero humana quae est vel individualis vel communis non potest gignere nisi certitudinem moralem. Imo auctoritas humana in rebus scientificis infirmissimum criterium est, in rebus vero facti est criterium veritatis dummodo veracitate praedita sit et cognitione. Auctoritas humana quae sensus communis dicitur intra limites proprii objecti est veritatis criterium firmissimum. — Datur etiam inter omnia criteria aliquod supremum in cujus determinatione plures sunt phylosophorum sententiae; quidam enim in aliquo subjectivo, puta in sensu, alii in conscientia, alii in fide coeca, vel in instinctu coeco naturae rationalis, quidam in propensione affectiva animi, imo non desunt qui in apparenti utilitate progressui actionum, reponunt. E contra alii reponunt in aliquo extrinseco quod est vel autoritas divina vel humana; aut tandem in aliquo objectivo, aut in primis principiis aut in evidentia objective spectata. — Sed unusquisque videre de facili potest quod supremum veritatis criterium neque in aliquo subjectivo neque in aliquo extrinseco consistere potest. Nam criterium quodlibet subjectivum universalitate destituitur imo et firmitate. Similiter criterium extrinsecum ad omnes veritates non se extendit de facto saltem; insuper debet probari utrumque habere scilicet rationem criterii, et ideo aliud criterium supponit quo innititur. —

Prima principia etiam licet sint criteria veritatis tamen non sunt respectu cujuslibet veritatis, nam supponunt saltem notiones transcendentalium eorumque evidentiam objectivam quae sive immediata, sive mediata, sive intrinseca, sive extrinseca ab omnibus criteriis omnino supponitur et supponi debet. Atque proinde ipsa est supremum veritatis criterium.

Ex criteriis veritatis in intellectu scientia causatur in qua duplex objectum distinguitur a quo specificatur idest objectum *formale quod*, et objectum *formale quo*. Unde unitas et distinctio scientiarum ex his duobus objectis sed praecipue ex secundo desumitur. Objectum autem scientiarum est scibile quod attenditur per lumen intellectus abstrahentis a materia, et ideo secundum diversum gradum abstractionis a materia scientia dividitur quintupliciter idest in *physicam, mathematicam, metaphysicam, moralem, logicam*, quae sunt scientiae primariae. Consideratur etiam subalternatio in scientiis, licet non in primariis. — Ordo autem in tradendis scientiis ex facilitate et utilitate addiscentium debet attendi.

ONTOLOGIA

Caput I.

Prolegomena

(Cf. Liberatore, Zigliara, Lepidi, De Maria, Schiffini, Lorenzelli, Hugon).

371. **Ontologiae notio.** — Ontologia idem est ac sermo de ente. Ens autem potest multipliciter considerari 1.° in se prout est unum de transcendentibus (n. 24), 2.° in suis proprietatibus, quatenus scilicet in se omnia alia trascendentia includit, 3.° in suis variis divisionibus sive genera omnia transcendentibus, sive quoad ipsa genera prout ens in decem categorias dividitur (n. 12); 4.° in suis causis. Et de ente secundum hos modos consideratum agere ad Ontologiam pertinet. Ipsum omnia genera et fortiori omnes species transcendit, quia est abstractissimum, tamen in omnibus generibus atque speciebus continetur; unde *transcendens* dicitur, imo inter transcendentia, quae quinque in logica (n. 24) numeravimus, primum locum obtinet, cum alia idest *aliquid*, *unum*, *bonum*, *verum* jure meritoque ut entis proprietates considerari possint. *Ontologia* dicitur etiam *metaphysica generalis; metaphysica* quidem

quasi supra physicam, quatenus ejus objectum est ens abstractum omnino supra naturam materialem, hoc est sensibilibus rebus coartatam et sensibus subjectam, positum; *generalis* quatenus respicit non ens in aliqua specie sed modo generalissimo consideratum, ut dictum est. Dicitur *metaphysica* etiam ea ratione qua post physicas seu experimentales disciplinas exponitur.

372. **Ontologiae objectum.** — Ex quibus jam patet quodnam sit Ontologiae seu Metaphysicae generalis objectum, idest: Ens in suis rationibus generalissimis consideratum atque divisum tum transcendentalibus tum genericis. Unde fere omnia, de quibus in ontologia agitur, non solum rebus corporeis sed etiam incorporeis conveniunt. Et quia ens quod est ontologiae objectum est illud quod in decem praedicamenta dividitur ipsa transcendens, et hoc ens est ens reale, ideo objectum ontologiae est ens reale. — Putant quidam objectum Ontologiae adaequatum esse substantiam, non autem ens prout ipsam substantiam transcendit; sed quam hoc adsertum sit falsum et absurdum ex eo comperitur quod nulla scientia potest in suis tractationibus praescindere ab eo quod suum objectum adaequatum constituit, sed oportet ut semper illud includat; ontologia autem saepissime a ratione substantiae in suis tractationibus praescindit: sicut cum sermo est de essentia, de bonitate, de actu, de potentia in genere, de causa, de causa exemplari, finali, efficienti et de pluribus aliis; quae licet ipsi substantiae conveniant vel ad substantiam relationem habeant, tamen cognitionem scientificam omnino distinctam a cognitione substantiae exhibent, atque proinde cognitio et tractatio substantiae longe est a completo tractatu metaphysicae generalis seu Ontologiae.

373. **Ontologia omnium scientiarum humanarum directrix est et quodammodo princeps.** — Ratio est quia nulla scientia est aut concipi potest cujus objectum sub Ontologiae objecto non contineatur aut ab Ontologia aliquid non mutuet, et quaedam, quae in Ontologia aguntur, non praesupponat quasi lucem directivam eorum de quibus ipsa agit. Quippe cum omnis scientia sit cognitio per causas, oportet ut vel ipsam naturam et praecipue substantiam, aut proprietates aut qualitates aut actiones aut effectus etc. investiget; haec autem rite et praesertim scientifice investigari et illustrari non possunt nisi eorum generica scientifica habeatur notio, quae a sola Ontologia, sicut oportet, traditur. Unde Ontologia suis generalibus et quidem scientificis notionibus et explicationibus omnibus scientiis dominatur et praeest easque dirigit ac gubernat.

374. **Divisio eorum quae exponuntur in Ontologia.** — Dictum est quod ens potest considerari ut est transcendens omnes species et omnia genera, prout in genera est divisum. Ex hac duplici entis consideratione sumitur divisio totius metaphysicae generalis seu Ontologiae, nam ens ut est transcendens potest considerari in se, in suis praecipuis proprietatibus, divisionibus, et in suis causis; proinde erit sermo 1.° de ente in se considerato, 2.° de ente quoad suas proprietates, 3.° de ente quoad suas praecipuas divisiones in sua transcendentalitate considerato; 4.° de ente quoad suas divisiones in genera idest de praecipuis categoriis entis; 5.° de ente in suis causis. Quibus omnibus tamen quaedam de entis seu de principiorum metaphysicorum objectivitate praemittenda censemus ut objectivitas ontologiae a calumniis subjectivistarum et positivistarum defendatur.

375. **Monitum.** — Ne mireris benigne lector si diffuse de objectivitate rerum agam ; memento omnes vel fere omnes errores modernos negationi objectivitatis seu realitatis inniti. Hinc necessitas diffuse hac de re agendi ut summa absurditas perniciosissimorum errorum hodie grassantium in propatulo ponatur. De coetero si professor ob conditiones juvenum quos ipse edocet, putet eorum mentem obrui haec omnia exponendo, poterit seligere duo aut tria argumenta, aliis sepositis ; et interim ad alia privatim legenda et meditanda discipulos adhortare. — Insistendum tamen summopere ut juveniles mentes his ideis imbuantur et firmentur ob pericula subjectivismi eas insensibiliter invadentis.

Caput II.

De objectivitate Ontologiae

(Cf. Ausonio Franchi l. c. v. III, c. V ; Luigi Chiesa : La Base del Realismo).

376. **Quid sentiant Kantiani et subjectivistae de Ontologia vel Metaphysica.** — Dicunt Kantiani eorum magistrum sequentes ontologiam seu metaphysicam nullum objectivum habere valorem, sed in puris abstractionibus consistere, quibus nulla objecta extra subjectum cogitans exstantia correspondeant. Nam cogitatio pura, notiones, principia metaphysica, quae experientiam transcendunt, habent utique valorem logicum, formalem, relativum, habent vim mentis nostrae directivam ad modum cujusdam legis qua semper eodem modo concipimus, sed nullam omnino vim objectivam. Objectivitas autem non est nisi mentis illusio.

377. **Positivistae et Neocritici.** — Neocritici sicut et positivistae negant metaphysicam rationem scientiae habere. In hoc ergo Neocriticismus et Positivismus conveniunt. Tamen quamvis conveniant in fine differunt in medio seu in modo procedendi; nam Positivismus nonnisi experimentalem cognitionem agnoscit. Neocriticismus vero admissa experientia seu cognitione experimentali, agnoscit cum Kant, praeter experientiam, conceptus puros seu elementa pura idealia, et objecta experientiae in nobis per sensus repraesentata a subjecto ipso ea percipiente et cognoscente derivari. Quidam ipsorum non negant existentiam realem objectorum in seipsis et horum etiam quamdam repraesentationem in animo esse posse concedunt; sed de iis nullam veram scientiam metaphysicam haberi posse contendunt (1).

378. **Ratio qua Neocritici negant objectivitatem principiis metaphysicis.** — Si quaeras rationem a Neocriticis quare negant objectivitatem principiis metaphysicis respondent: Objectivitatem illam nonnisi arbitrarie poni, sine ullo examine, sine critica; (2) unde veritas formalis illorum admittenda est, sed veritas objectiva rejici debet, quia sine ulla ratione ponitur. Principium ergo praecipuum et fundamentale hujus doctrinae, scilicet Neocriticismi, est *Agnosticismus metaphysicus,* qui rationi nullam adhibet fidem ultra experientiam.

---

(1) Cf. Cantoni, *Corso elem. di Filosofia,* Milano, Ulrico Hoepli 1897, vol. III, pag. 419-420. A. Luigi Chiesa. *La Base del Realismo* pag. 6 seqq. qui plures *Neocriticos* seu Neokantianos citat quos inter Zeller, Liebman, Lange, Schultze, Max-Muller, Pillon, Lachelier, Bontroux, Cantoni, Fiorentino, Faggi etc. — Hi omnes scholam Neokantianam sequuntur cujus intentus est Positivismi defectus atque gravissimas contradictiones in lucem prodere.

(2) Ita Lange, Wund, etc. cf. Luigi Chiesa, l. c.

379. **Neocriticismi varii modi.** — Quamvis Neocritici conveniant in neganda objectivitate principiorum et ratione scientiae ipsi metaphysicae, tamen multipliciter inter se in exponenda doctrina subjectivistica differunt. Clar. Chiesa (l. c. pag. 16) omnes dicendi modos secundum varios gradus ad sex reducit, quos sequentibus formulis exprimi posse putat.

a) Nonnisi nostra subjectiva repraesentatio cognosci potest;

b) Praeter nostras repraesentationes phaenomena externa et interna cognoscere possumus: hujusmodi tamen cognitio non absoluta sed relativa est omnino, idest utique phaenomenon cognoscimus, attamen non prout est in se, sed prout nobis apparet.

c) Phaenomenon prout est in se cognosci potest, sed de *noumeno,* idest de substantia, de causa, etc. nihil scimus.

d) Praeter phaenomena externa et interna etiam existentiam *noumeni* cognoscere possumus, quamvis nullo modo eius essentiam;

e) Praeter existentiam *noumeni* etiam essentiam aliquomodo cognoscere possumus et quidem, saltem in parte, cognitione objectiva realitati correspondente, tamen certe hoc certitudine absoluta rationali sciri nequit. Aliud est credere aliud est scire. Dubio proinde speculativo ratio debet se committere;

f) Mens potest apprehendere imo de facto apprehendit res in earum vera objectivitate et realitate, sed solum quando habetur confirmatio experientiae. Unde scientiae experimentales ut physica, mathesis etc. ad mundum realem vere referuntur et de ipso sunt; non tamen id dicendum est de *metaphysica* quae nullam comprobationem de sua objectivitate importat;

g) His modis addi potest septimus quia sunt alii qui metaphysicam admittunt ea tantum ratione et criterio ut ideae metaphysicae possint verificari seu confirmari *experientia morali;* unde juxta hanc sententiam necessitas vitae moralis est unica comprobatio et consequenter unicum criterium idearum et assertionum seu principiorum metaphysicorum. Ego summopere miror hanc doctrinam profiteri etiam quosdam catholicos viros (1).

380. **Resolutio quaestionis (si quaestio dici potest) objectivitatis scientiae metaphysicae a resolutione quaestionis de universalium natura et existentia non pendet.** — Quamvis ex resolutione affirmativa quaestionis de realitate universalium ipsa objectivitas judiciorum et

(1) « La vita morale, ait Joan. Semeria, (*Scienza e Fede*) — Due presentazioni XX — Federigo Pustet, Roma 1903) è un controllo delle idee metafisiche, proprio come la fisica è il controllo delle idee scientifiche — la morale è la esperienza della metafisica... È la necessità della vita morale che mi obbliga a rigettare l' idea di un universo *capriccioso*, per sostituirvi quella di un mondo dove imperi la *legge*, una legge luminosa di sapienza e di bontà.

Ed è di nuovo la necessità della vita morale che mi obbliga a scartare la idea (diciamo pure) la ipotesi di una volontà umana operante così come potrebbe operare un sasso che cade per una trajettoria e con una velocità in tutto e per tutto indipendente da lui determinata abbracciando la opposta ipotesi della libertà...

Egli è così proprio così che anche nella metafisica noi possiamo credere al trionfo di un criterio *sperimentale*... O *controllo morale*, o *punto controllo;* o questa *esperienza (morale)* o avere il coraggio di dire che la metafisica è un *salto nel buio* un salto che ha il suo punto di partenza nella fisica, ma il suo punto d' arrivo capriccioso » ib. pag. XXI-XXII. Et supra pag. cit. XX ait: « Noi non si crede ai sistemi filosofici campati in aria figli di una ragione pura e fredda: noi si vede che i sistemi si colorano di tutto l' uomo, ma più specialmente dell' uomo morale ».

rerum affirmata maneat, tamen erroneum omnino esset putare objectivitatem judiciorum omnium nostrorum et rerum dependere quoad certitudinem et firmitatem cognitionis ex resolutione illius quaestionis de realitate et natura universalium. Tum enim judiciorum, tum rerum objectivitas menti cujuscumque hominis ut per se clara et manifesta appareret ineluctabiliter et evidentissime in plurimis iudiciis et rebus; e contra quaestio de natura universalium philosophis solummodo nota est; et ne omnibus quidem clara resolutio, imo plurimis philosophis est quaestio obscurissima. Nunc autem ab surdissimum est proponere quaestiones de rebus claris et evidentissimis easque resolvere ex resolutione quaestionum rerum obscurarum in quibus resolvendis ipsimet philosophi non conveniunt. Principium enim quod ad ratiocinandum adsumitur, clarum, inconcussum et evidens esse debet (cf. n. 117). — Unde ad resolvendam quaestionem de natura universalium ex ipsa objectivitate rerum processimus, et judiciorum clara exempla afferendo; per principia universaliora utraque quaestio resolvenda est. — Igitur objectivitas ipsius metaphysicae a resolutione quaestionis de natura universalium est omnino independens utpote innixa veritatibus per se et immediate evidentissimis quae nulla demonstratione indigent. — Unde alia simpliciori via procedemus ad objectivitatem metaphysicae declarandam et tuendam.

381. **Objectivitas principiorum metaphysicorum per se clara et evidens menti exhibetur.** — Objectivitas principiorum metaphysicorum ita menti humanae evidenter exhibetur ut merito inter illas conceptiones quae per se notae dicuntur et communiter ut tales habentur etiam ab ipsis Neocriticis

et Positivistis recenseatur, unde demonstrari directe proprie loquendo non potest, non quidem ex defectu sui quasi scilicet *objectivitas* illa vera non sit dicenda, vel sit pura mentis illusio aut incerta; sed quia demonstratione non indiget. Demonstrari enim debent ut admittantur ea quae licet vera, tamen in se obscura sunt, vel saltem respectu mentis a qua petitur demonstratio. Absurdum est enim quaerere demonstrationem omnium etiam eorum quae per se nota sunt et manifesta (cf. n. 143) sicut absurde quaereretur demonstratio illuminationis solis quamdiu in orizzonte resplendet nisi fortasse ab eo qui sensu visus caret (1). Hoc tamen non impedit quominus possint demonstrari incohaerentiae et absurditates in quas incidit ille qui illa principia proterve negat aut non admittere affectat. His positis sit conclusio.

382. **Conclusio I.** — *Positivismus et Neocriticismus negans vel in dubium vertens objectivitatem principium metaphysicorum est omnino rejiciendus.*

Possemus supersedere a probatione vel declaratione propositae conclusionis post ea quae tum de realitate universalium (n. 194), tum de objectivitate judiciorum (n. 254 et 258), tum generatim de criteriis

(1) Observatione digna habet Aristoteles cum dicit: « Non oportet autem nos omne problema, nec omnem thesim in quaestionem vocare, sed qua quaeret aliquis eorum qui rationem desiderent, nec poenam aut sensum. Nam dubitantes, *utrum dii sint colendi* et *parentes diligendi necne* poena indigent; dubitantes autem utrum *nix sit alba necne*, sensu. Neque igitur *de iis disceptare oportet*, quorum in promptu est demonstratio, nec de iis quorum est nimis remota. Illa enim *dubitationi* non *obnoxia sunt*, haec majori, quam ut eam ferre possit mera exercitatio ». Multo minus obnoxia sunt dubitationi ea quae ut per se evidentia menti exhibentur vi quorum vim habet omnis demonstratio.

adinveniendae veritatis statuimus in logica majori eam supponendo ut diffuse et evidentissime probatam, tamen ob rei gravitatem probandam suscipimus notando contradictiones et absurditates quae habentur ex negatione vel dubitatione objectivitatis principiorum metaphysicorum. Itaque.

Prob.: Doctrina quae negat aut vertit in dubium objectivitatem principiorum metaphysicorum. 1.° contradicit legibus fundamentalibus processus scientifici ad inveniendam veritatem et logice ducit ad negationem cujuslibet scientiae ; 2.° contradicit naturae ; 3.° contradicit sibi ipsi ; 4.° labitur in scepticismum absolutum. Atqui doctrina hujusmodi est rejicienda. Ergo Positivismus et Neocriticismus negans aut vertens in dubium objectivitatem principiorum metaphysicorum est omnino rejiciendus. — *Minor* manifesta est. — *Prob. major* per partes :

1.° *Doctrina Positivismi et Criticismi negans aut vertens in dubium objectivitatem* etc. *contradicit legibus fundamentalibus processus scientifici ad inveniendam veritatem.* Et revera 1.ª et praecipua inter leges fundamentales, quam omnes aliae supponunt et ipsi innituntur processus scientifici, est ut procedatur ex iis, quae cognuscuntur et menti exhibentur immediate et per se ut vera, ad ea cognoscenda quae nondum cognoscuntur vel ad ea declararanda quae menti sunt obscura (n. 117). Unde conclusiones nullam vim attrahendi intellectum habent, neque dici possunt verae nisi in ea quae menti exhibentur ut vera immediate et per se resolvantur ; in hoc tota vis processus scientifici consistit (n. 111). Unde si veritates quae immediate et per se menti exhibentur ut verae negentur vel in dubium vertantur nihil firmum, nihil certum in scientiis haberi potest. Et hoc verum est in quacumque scientia etiam experimentali,

nam scientia non est pura collectio factorum, sed in legibus universalibus quae de singulis factis verificari debent consistit, quae leges ex factis illis experimentalibus concludi seu deduci nequeunt nisi uti certissima supponantur quaedam alia principia; hoc est nisi veritates immediate et per se notae ipsi menti praesupponantur (n. 113, 143), quae sunt ipsa principia metaphysica. Nunc autem *objectivitas* horum principiorum ut e. g. *Totum est majus qualibet sua parte* etc. menti exhibetur immediate sicut eorum veritas, nam omnibus absque ullo discursu illa principia ineluctabiliter apparent ut objective vera. — Unde si negetur vel in dubium vertatur haec objectivitas evidentissime et ineluctabiliter semper menti praesens in processu scientifico quasi lux directiva mentis ad conclusiones ducens ipsum fundamentum totius processus scientifici pessundatur. Si haec negetur vel in dubium vertatur, aut dicatur illusio, a fortiori negari debet vel in dubium verti ipsa veritas deducta et valor ipsius deductionis; unde ejus negatio seu dubitatio ad negationem cujuslibet scientiae logice perducit.

2.° *Contradicit naturae.* Nam illud negare aut vertere in dubium quod ineluctabiliter ab ipsa natura dictatur est naturae aperte contradicere. Prima autem principia metaphysica ab ipsa natura mentis nostrae dictantur ut ineluctabiliter vera objective sicut ineluctabiliter ut vera exhibentur objecta exteriora: imo illa principia universalia etiam magis. Unde si quis affirmaret totum *esse* vel etiam *posse esse* minus sua parte, et hoc tum in universali tum etiam in aliquo objecto particulari sive in mente sive extra, sive reali sive possibili, ut demens aut stultus haberetur, nisi fortasse hoc adsereret per lusum.

Contradicit sibi ipsi: Positivismus et Neocriticismus certe admittit tanquam vere et objective rationabilem suam negationem vel dubitationem de objectivitate illorum principiorum, non vero considerat illam tanquam illusionem, secus non solum absurda sed etiam ridicula esset sua negatio, vel dubitatio. Atqui eo ipso quo tanquam vere et objective rationabilem habet suam negationem vel dubitationem proclamat objectivitatem principiorum metaphysicorum quam negat aut in dubium vertit. Ergo sibi ipsi contradicit.

Prob. minor, ex eo quod illa negatio vel dubitatio modo dogmatico et scientifico asserta non retinetur ut vere et objective rationabilis quasi affulgens menti evidentia immediata secus affulgeret omnibus etiam mihi, ergo retinetur ut vere et objective (hoc est non illusorie) rationabilis evidentia mediata, idest evidentia innixa aliis veritatibus habitis ut vere et objective (hoc est non illusorie) rationabilibus et certis, idest principiis metaphysicis ut vere et objective veris. — Unde sic perstringimus Neocriticos: Illa deductio negationis aut dubitationis habet vim demonstrationis objective vere deductae vel potius illusio est? Si primum; ergo supponitur objectivitas et veritas in deductione; si autem illusio dicatur; ergo et ipsa negatio et dubitatio objectivitatis illusio est dicenda eorum scilicet qui eam negant vel de ipsa dubitant.

Logice ducit ad scepticismum absolutum. Et revera si negetur objectivitas metaphysicis principiis, haec non sunt nisi illusiones, et mens necessario sibi illudit cum per ea dirigitur, imo naturale est ipsi rationi illudi, ita scilicet ut ex quadam lege insita fundamentali inclinetur necessario ad sibi illudendum; et hoc revera docet Kant de ipsa ratione hu-

mana (1). Atqui si ratio ex quibusdam legibus fundamentalibus inclinatur et ordinatur ad sibi illudendum nullam fidem meretur, non solum circa prima principia, sed multo minus circa conclusiones de quibus nulla ratio et motivum afferri aut cognosci potest nisi illusorium et hoc in omnibus scientiis etiam experimentalibus, mathematicis non exceptis. Ergo Positivismus et criticismus in scepticismum absolutum quem vitare intendit labitur.

2.° Manifestum est conscientiam et rationem naturaliter et ineluctabiliter testificari se apprehendere et distinguere quaedam ut subjectivа, quaedam ut objectiva veluti fundamentalia in nostris cognitionibus; igitur: Aut admittitur veracitas coscientiae in attestanda et distinguenda objectivitate et subiectivitate circa ea quae fundamentalia et directiva sunt in nostris cognitionibus, aut non admittitur; similiter aut admittitur veracitas rationis testantis prin-

(1) « In ratione nostra (considerata subiective uti humana facultas cognoscendi) ait Kant, inveniuntur leges *fundamentales* et maximi momenti ad ratiocinandum, quae omnino ut principia objectiva exhibentur; unde fit ut necessitas *subjectiva* cujusdam combinationis conceptuum nostrorum, per intellectum, necessitas objectiva in ipsis rebus *reputetur !* » Loc. cit. Tom. IV. pag. 136. — At si in ratione humana ponantur leges fundamentales quibus subjectivum appareat *objectivum* ipsi menti ita ut ratio sibi naturaliter ex legibus illis illudatur quomodo homo potest se committere rationi? Critica ipsa nonne illis legibus fundamentalibus subjicitur? Quomodo possumus nos committere ipsi rationi etiam testanti in semetipsa praefatas leges fundamentales inveniri? Igitur nulla probatio afferri potest neque directe neque indirecte in mente esse praedictas leges *fundamentales*. Nonne quaelibet probatio veracitati rationis innititur? Sed quaenam veracitas in ratione quae a legibus fundamentalibus illusoriis dirigitur? Sed haec absurda et ipsi rationi repugnantia esse per se evidens est. — Ad quid loquitur Kant si omnes ejus adsertiones illis legibus in illusionem inducentibus innituntur?

cipia fundamentalia esse sicut naturaliter rationi apparent, et processum ex illis ad conclusiones esse objective legitimum et vere illativum, vel non, quasi scilicet illusioni naturaliter subdatur. — Si *primum;* ergo de objectivitate principiorum quibus scientiae deducuntur non est dubitandum ; si *secundum ;* ergo illusio et diffidentia rationis et coscientiae proclamatur ita scilicet ut nullo modo eis nos possimus committere. Unde nonnisi scepticismus in scientis omnibus relinquitur.

Prob. 2.° directe quod objectivitas principiorum metaphysicorum sit omnino retinenda ut quid firmissimum in scientiis : Ea quae ineluctabiliter exhibentur menti alicujus operantis vel speculantis, sive hic sit artifex sive philosophus etc. tanquam fundamentalia in opere vel aedificio extruendo, non sunt abjicienda seu removenda vel adspernenda sed firmiter et caute retinenda et custodienda; et hoc valet etiam si quae difficultates licet graves et gravissimae ex ipsa natura eorum quae ineluctabiliter menti exhibentur uti fundamentalia proveniant in construendo aedificio ; molto magis autem hoc dicendum est si uti fundamentalia ineluctabiliter exhibeantur toti generi humano. Atqui objectivitas rerum et principiorum metaphysicorum ut fundamentalis apparet menti humanae ineluctabiliter, necessario et universaliter. Ergo objectivitas rerum et principiorum metaphysicorum non est rejicianda, amovenda aut in dubium revocanda, sed retinenda, custodienda et defendenda omnino in construendo aedificio scientifico ; neque ulla ratio in contrarium est acceptanda sed ut sophistica, vana et ut attentans destructionem totius aedificii scientifici rejicienda. — Quod quidem ex ipsa negatione vel dubitatione objectivitas illorum principiorum indirecte et quasi a *for-*

tiori comprobatur: Si enim ratio non est audienda in testificanda illa objectivitate ineluctabiliter et naturaliter immediate ei exhibita, multo minus erit audienda quando proclamat illa principia ut objective vera esse neganda vel in dubium revocanda vi criticae deductionis; nam quaelibet evidentia mediata idest vi criticae deductionis, si est, non in se, sed in evidentia immediata praesupposita ut vera totam suam vim habet (n. 141): unde nulla conclusio, nulla ratio acceptanda est si huic evidentiae immediatae opponatur.

Prob. 3.° Veritatem objectivam non esse, non est *per se evidens,* neque ullo argumento probari potest; quinimo est *per se evidens* eam esse. Ergo veritas objectiva est omnino admittenda. — *Prob. antec.*: et quidem quoad 1.^{am} partem probatione non indiget et conceditur, nam secus omnibus appareret per se evidens.

Prob. 2.^{a} *pars :* In quolibet argumento quod adsumitur vel praemissae supponuntur objective verae vel solummodo subjective; si supponantur *verae* objective, tunc ergo admittitur veritas objectiva; si supponantur verae *solummodo* et *mere* subjective nihil probatur, tum quia supponitur id quod est probandum, tum quia non licet transitus de ordine *mere* subjectivo ad ordinem objectivum sive negandum, sive affirmandum, tum quia ex antecedente solum subjective vero non potest sequi propositio vel conclusio vera negans veritatem objectivam praecipue generalissime sumptam, nam propositio vera negans veritatem objectivam oportet ut sit *objectiva,* cum ipsa referatur ad veritatem objectivam, licet negatam, propositio enim dicitur objectiva ex eo quod ad veritatem objectivam refertur sive affirmando eam sive negando; si autem dicatur vera conclusio illa quia respicit veritatem

subjectivam tanquam terminum, sequitur quod objectum negationis quae vera dicitur est veritas non *objectiva* sed *subjectiva*. — Quod autem sit per se evidens veritatem objectivam esse (generaliter loquimur) patet ex ratione id ineluctabiler testante. Unde Kant posuit leges fundamentales (cf. Nota pag. 311).

Prob. 4.° Sumantur hae duae propositiones contradictoriae: *Veritas objectiva est, veritas objectiva non est.* Prima exhibetur menti ut per se et immediate evidens et vera rationi. Secunda utpote primae contradictoria et opposita, exhibetur ut rationi repugnans et falsa. Ergo prima est acceptanda, secunda rejicienda. — Subjectivistae primam rejiciunt, secundam amplectuntur ut veram licet rationi repugnantem. — Sed probationem hoc est veram rationem afferre possunt? Minime. Quod sic prob. — Illa propositio *veritas objectiva non est*, est universalissima, ergo probari non potest ex experientia, ut docent ipsi Kantiani (1), non probatur per aliam propositionem 1.° quia requireretur propositio magis universalis, quae non datur, insuper quaecumque propositio universalis ad illam probandam nullam vim habet pro subjectivistis, quia non habet nisi valorem subjectivum; ergo non se extendit ad veritatem *objectivam* neque affirmandam, neque negandam. — At dato quod subjectivistae eam probarent esset ne acceptanda eorum probatio? Minime gentium utpote solum evidens evidentia mediata opposita evidentiae immediatae qua mens ineluctabiliter testatur veritatem *objectivam esse*. — Adde quod nulla argumentatio et deductio et evidentia mediata vim habet nisi ex evidentia veritatis objectivae quae semper praesupponitur.

(1) Cf. Log. n. 248.

Prob. 5.° Aut est verus subjectivismus aut est falsus; si falsus tunc ergo habetur quod quaerimus, idest veritas objectiva datur; si verus; ergo nulla probatio afferri potest contra *objectivitatem* veram, nam quaecumque ratio afferatur subjectiva est intra limites subjecti contenta, ergo nullam vim habet contra *objectivitatem* veram. — Ergo nulla ratio est rejiciendi *objectivitatem;* idest neque ratio *objectiva,* quia omnis ratio objectiva objectivitatem et quidem principiorum supponit tanquam sui fundamentum; neque ratio *subjectiva,* quia haec omnino ad subjectum terminatur et ad objectivitatem nullo modo se protendit.

Breviter: Nulla evidentia nos cogit ad negandam aut in dubium vertendam objectivitatem, scilicet neque immediata, neque mediata; e contra evidentia immediata et multae absurditates quae ex objectivitatis negatione sequuntur, nos cogunt ad eam admittendam. Ergo omnino admittenda est.

Prob. 6.° Quando neocritici vel subjectivistae vel positivistae negant valorem objectivum omnibus conceptibus nostris dicentes *realitatem* seu *objectivitatem* illam esse allucinationem vel ludificationem mentis vi cujus ludificantur seu objectivantur ideae nostrae, de qua realitate et objectivitate loquuntur? Aut de objectivitate seu realitate quam subjectivam categoriam ponunt eam inter alias subjectivisticas categorias recensentes, vel de objectivitate et realitate diversa quae nullo modo subjectiva est. Si primum ergo negant *realitatem* quae est categoria; unde negatur ipsa categoria subjectiva mentis. — Si autem loquantur de realitate et objectivitate contraddistincta in suo conceptu a realitate et objectivitate quae ab ipsis ponitur mere categoria subjectiva mentis; tunc quaerimus qua categoria ipsam intelligant? — Po-

nent fortasse novam categoriam distinctam a prima et quidem subjectivam ineptam. sicut primam ad hanc realitatem et objectivitatem quam negant repraesentandam ? ! !

Prob. 7.° Positivistae admittunt materiam vere, realiter objective independenter a mente non solum esse, sed semper fuisse non ab alio sed a se, seu esse improductam, et similiter semper fuisse in motu; imo evolutionistae admittunt progressum evolutivum ejus sine fine, sive in ipsa materia, sive in ipsa mente. Atqui haec attributa quae materiae sive menti tribuuntur, idest esse improductum, semper fuisse seu aeternitate gaudere, semper moveri, fuisse in perpetuo motu, et sempiterne evolvi sine fine ad metaphysicam pertinent et nulla experientia comprobari possunt. Ergo principia metaphysica veritate objectiva praedita sunt juxta ipsas materialistarum et evolutionistarum adserta.

Prob. 8°. Admissa materia aeterna, et praecipue motu reali sive possibili praedita, sequitur etiam objective verum et vere ipsam habere partes, posse variis modis modificari, transformari, evolvi, puta in formam rotunditatis in una vel altera parte, in formam elementorum, in formam corporis aut non viventis, aut viventis, vegetalis, animalis etc.; et sicut nunc verum est semper verum fuit et verum erit. Atqui ex eo quod haec objective semper verum fuit convenire aut saltem posse convenire materiae possunt intelligi et de facto intelliguntur esse vera, et ideo sunt veritates metaphysicae et necessariae cum ipsa natura materiae connexae, et experientia nulla comprobari possunt in aeterna possibilitate objectiva consideratae. Ergo ex ipsis positionibus positivistarum sequitur objectivitas principiorum metaphysicorum.

383. **Principia metaphysica.** — Principia ergo metaphysica veritate objectiva esse praedita negari nequit nisi ipsa ratio atque omnis ejus valor et vis negetur. Imo tam evidens est veritas objectiva ut omni rationis valore, et objectiva veritate negata, ex ipsa horum negatione veritas objectiva emergat; haec enim omnia aut a negante habentur ut mere illusiones et conceptiones mere subjectivae, et tunc non ipsa veritas objectiva negatur (quae in hac hypothesi per nullam conceptionem repraesentari et intelligi potest et ideo neque negari), sed illusiones illae conceptae, vel habentur non ut illusiones, sed ut quaedam realitates vere objectivae saltem ut possibiles et tunc supponitur objectivitas vere concepta. — Ergo veritas objectiva vere est; ergo ens est vere et realiter, unde et esse, et ens objectivum est et non repugnat esse. — Hinc.

1.° Sequentes et similes propositiones habent valorem objectivum idest: *Ens est id quod est.* — *Impossibile est aliquid simul esse et non esse secundum idem.*

2.° Valorem objectivum habent omnes propositiones in quibus veritas immediate et ineluctabiliter ut objectiva exhibetur ut e. g. *Totum est majus sua parte,* et viceversa: *Pars est minor toto.* — *Ego cogito et sum, etc.*

3.° Valorem objectivum habent omnes propositiones quae continentur in praefatis propositionibus sive ut partes sive ut cum illis necessario connexae ita scilicet ut logica deductione ex eis deriventur; quia ex earum objectivitate negata sequitur negatio illarum.

384. **Metaphysica ut scientia.** — Metaphysicam ergo esse scientiam et nobilissimam scientiam ob sua universalissima objectiva principia dubitari non licet.

385. **Specialia addenda.** — Quamvis ea quae exposuimus sufficientissima sint ad absurditatem subjectivismi seu criticismi ostendendam, tamen alias conclusiones specialiter contra unamquamque sententiam supra expositam in commodum tyronum statuere et probare utile censemus.

386. **Conclusio II.** — *Non solum cognoscimus phaenomenon prout nobis apparet sed etiam prout est in se.*

Prob.: Si phaenomenon non cognosceretur prout est in se, sed solummodo prout nobis apparet, sequeretur quod de ipso non possemus judicare, neque loqui nisi secundum apparentiam subjectivam, ipsum phaenomenon non corresponderet nostrae cognitioni prout est in se seu ut est aliquid a mente nostra et apparentia distinctum et ut est aliquid objectivum. Ideo cognitio nostra non esset nisi subjectiva, neque jus ullum esset affirmandi existentiam phaenomeni in se, imo neque possibilitas cogitandi phaenomenon ut aliquid vere objectivum; et cognitio illa esset dicenda pura mentis illusio. — Unde absurdum est et contradictorium adserere phaenomenon existere in se, a nobis cognosci, et omnem nostram cognitionem phaenomeni esse solummodo relativam (cf. allata argum. praec. concl. et log. n. 194-209).

387. **Conclusio III.** — *Non solum phaenomenon sed etiam noumenum idest substantiam, causam etc. vere objective idest prout sunt in se cognoscimus.*

Prob.: Phaenomenon objective in se cognoscimus, ut patet ex dictis, et conceditur a patronis 3.ae sententiae (cf. n. 378), saltem quod est phaenomenon idest cognoscimus ipsum esse aliquid quod accidit, quod non erat antequam accideret et quod non permanet posquam accidit, quod non est habens esse permanens in se et a se et consequenter quod habet esse ab alio praesupposito quod propterea dicitur

causa vel principium ipsius. — Ergo ex hoc ipso phaenomenon distinguimus in suo *esse* ab esse permanenti et stabili et fixo, ab esse in se et a se praesupposito tanquam principio et causa ipsius. Atqui haec cognitio importat cognitionem noumeni idest substantiae objective et in se consideratae, cognitionem causae etc. Ergo non solum phaenomenon cognoscimus in se ut aliquid objectivum, sed etiam noumenum idest substantiam, causam etc. (De substantia, causa etc. infra diffusius dicetur).

388. **Conclusio IV.** — *Non solum existentiam sed etiam essentiam noumeni idest substantiae, causae etc. aliquomodo cognoscimus licet imperfecte.*

Prob.: Existentia noumeni non potest cognosci nisi per judicium quo scilicet affirmatur *noumenum* idest substantiam, causam etc. existere. Atqui judicium subaudit cognitionem non solum praedicati, sed etiam subjecti, nisi enim praecognoscatur subjectum impossibile est ei applicare praedicatum per veram cognitionem. Ergo qui scit noumenum idest substantiam, causam etc. existere, cognoscit etiam quid sit noumenum. — Insuper substantia nihil aliud significat et nihil aliud importat nisi esse in se independenter a subjecto cui insit, et causa importat et significat illud a quo aliquid procedit et a virtute ipsius accidit vel fit. Multa autem objective et vere esse in se intelligimus sicut *sol, luna, stellae, homo* etc. sicut etiam multa sunt a quorum virtute alia procedere vel esse et fieri vel accidere intelligimus, sicut a sole est *lux, calor* etc., ab homine est *intelligere, sentire,* a tellure *est attractio* etc. Haec autem scimus certitudine vera, verissima, rationali; unde habentur scientiae experimentales in quibus causae phaenomenorum quaeruntur et certissime et evidentissime adsignantur.

389. **Conclusio V.** — *Non solum mens certe et vere apprehendit res in earum objectivitate et realitate quando haberi potest confirmatio experimentalis, sed saepe etiam quando haec haberi non potest.*

Prob.: Si mens certe et vere solummodo apprehenderet res in earum objectivitate et realitate quando habetur confirmatio experientiae nullae scientiae, ne experimentales quidem darentur neque dari possent. Atqui hoc non solum falsum sed etiam absurdum est adserere. Ergo non solum mens apprehendit res in earum objectivitate et realitate quando habetur experientiae confirmatio etc. — *Prob. major:* Scientia quaelibet etiam experimentalis non consistit in pura cognitione quorumdam factorum sive collectim sive isolate sumptorum; sed in *cognitione legum* universalium quibus facta ipsa regulantur. — Physicus e. g. non dicitur habere scientiam quia cognovit hanc vel illam aquam constare ex hydrogenio et oxigenio, sed quia ex repetitis experientiis conclusit seu cognovit legem universalem idest: *Quamcumque aquam* ex *hydrogenio* et *oxigenio constare;* etiamsi aqua multiplicetur in infinitum. Unde scientia physica (idem dicendum est de qualibet scientia experimentali) in hoc consistit quod cognoscuntur *leges* secundum se applicabiles ad omnes etiam ad infinitos casus. Atqui impossibile est verificare et confirmare *legem* per experientiam casuum omnium quibus applicari potest lex. Ergo si haec confirmatio experientiae requireretur secundum plurimos et omnes casus ad *legem* universalem statuendam et cognoscendam scientia quaelibet, experimentali non exclusa, periret.

2.° Scientiae experimentales per inductionem incompletam habentur quatenus quibusdam factis enumeratis concluditur universaliter de omnibus simi-

libus. Atqui inductio non causat scientiam idest cognitionem certam legis universalis per confirmationem experimentalem, nam impossibile est confirmare *legem* inductam quatenus se extendit ad omnia facta; sed per aliquod principium universale abstractum rebus seu factis ipsis etiam infinitis applicabile, quo principio sublato nulla ratio statuendi *legem* universalem et scientiam manet (cf. 113). Ergo haberi potest, imo habetur scientia et cognitio certa et vere scientifica de multis rebus etiam in objectis experientiae sine confirmatione experimentali, imo etiamsi experientia confirmari non possint.

3.° Ratio quare habetur cognitio scientifica de rebus experientiae etiam applicabilis illis factis de quibus confirmatio experimentalis non habetur vel non potest haberi, in hoc sita est quod utpote ad invicem connexa aliquomodo eis principium causalitatis applicari potest. Atqui res sensibiles experimentales non solum habent connexionem inter se se, sed etiam cum aliis rebus quae sensibiles non sunt, puta cum intellectu seu cum natura intellectiva cum qua habent connexionem similitudinis vel dependentiae; sicut ea quae fiunt ab artifice habent connexionem cum intellectu ipsius. Ergo ex rebus sensibilibus potest haberi cognitio certa seu cognitio scientifica etiam de rebus quae extra sensibilium genus sunt.

4.° Principia universalia seu metaphysica habent valorem objectivum (n. 261 et 385) et sunt applicabilia secundum se non solum factis et rebus quae experientia confirmantur, sed etiam iis quae experientia non confirmantur et confirmari non possunt, secus non essent universalia. Atqui ex recta applicatione principiorum objectivorum habetur scientia. Ergo mens cum recte applicat illa principia, licet

St. Albert's College Library

res seu facta quibus applicat non possint experientia confirmari, habere potest et habet veram scientiam et quidem objectivam.

5.° Principia magis universalia objective vera, quae dari supra ostendimus (n. 303 et 385), continent sub se principia minus universalia vere objectiva; unde ex eo quod objective verum est *omne ens esse suam propriam naturam* consequitur *hominem esse animal rationale* etc.; ideo ex primis secunda logice deduci possunt vere, certe, objective. Atqui deductiones certae, verae, objectivae veram scientiam objectivam realem constituunt. Ergo cum principia universalia sint, secundum se accepta, supra experientiam et ut talia experientia confirmari non possint, potest haberi vera et objectiva scientia sine confirmatione experimentali. — Adverte tamen per hoc non negari a nobis aliquam experientiam requiri ad illa principia efformanda (cf. n. 245); sed illis principiis efformatis vi abstractionis ab objectis experientiae non requiri ad eorum objectivitatem habendam confirmationem experimentalem pro qualibet *re* cui applicantur, substinemus.

390. **Corollarium.** — Ex quibus patet quod quanto cognitiones, quae ex primis et universalibus principiis deducuntur majorem habent 1.° stabilitatem, 2.° universalitatem, tanto magis habent rationem scientiae. Ideo scientia importat cognitionem veritatum et *legum* quae universalitatem habent et stabilitatem; unde si cognitio pertingit non solum ad *leges*, sed etiam ad id quod est principium et fons legum, maxime habet scientiae rationem. Hoc autem oportet esse supra omnem experientiam, quia si ipsae *leges* rerum experimentalium parum pendent ab experientia, multo minus pendent leges universaliores, et a fortiori principium et fons harum

legum. Insuper per hoc quod habet maximam stabilitatem et necessitatem sub experientia cadere non potest.

391. **Conclusio V.** — *Principia metaphysicae, ideae metaphysicae generalis tali evidentia donantur per se et in se ut nulla comprobatione indigeant neque physica, neque morali, imo absurdum esset quaerere comprobationem experimentalem.* — Haec conclusio imprimis patet ex dictis, nam ex hoc ipso quod mens cogitur ab ipso suo lumine ad admittendam objectivitatem in rebus et in principiis illis, ita ut non possit negari illa objectivitas quin ratio in multas contradictiones incurrat, et quin ipsa negatione affirmetur, (imo cum ipsa negatio non referatur ad illam objectivitatem nisi sit vere, ut distincta ab illusione, a mente repraesentata et affirmata et expressa) sequitur quod ipsa qualibet experientia tum physica tum morali sit certior et stabilior, et quod ipsa experientia ut importat aliquod factum vel plura facta particularia ipsa veritate objectiva illorum principiorum innitatur, et quod ex hujusmodi factis experimentalibus non sit possibile adsurgere ad ipsas leges quarum cognitio ipsas scientias experimentales constituit, certe cognoscendas et statuendas. Quomodo, quaeso, possem esse certus aliquod factum particulare esse verum factum et non esse illusionem, distingui a somnio etc. nisi innixus veritate *objectiva* illius principii metaphysici *impossibile esse aliquid simul esse et non esse secundum idem?* — vel etiam esse certus de legibus physicis nisi objectivitate hujus principii innixus, sicut etiam principii causalitatis sine quo *nulla lex physica statui* potest (cf. n. 113)? De principio causalitatis infra dicetur.

Prob. 1.° Ea quae habent majorem certitudinem objectivam in se et quoad nos (cf. 145) non indi-

gent confirmari per ea quae habent minorem certitudinem, imo absurdum esset per illa quaerere confirmationem. Atqui ideae seu principia objectiva generalis metaphysicae habent tum in se tum quoad nos maiorem certitudinem quam facta ipsa experimentalia sive physica sive moralia, nam illa necessaria sunt, haec contingentia; insuper circa facta experimentalia utpote sensibus subjecta contingere potest et de facto quandoque contingit allucinatio, error etc. sicut experientia constat, sed circa ideas illas vel principia metaphysicae generalis nullo modo contigisse probatur aut contingere posse, quinimo probatur oppositum.

2.° Non indigent comprobari ea quae ita esse objective vera concipiuntur ut oppositum vere concipi non possit; et absurdum est de iis quaerere comprobationem, praecipue per ea quae, licet vera sint, tamen falsa esse possunt et quorum optime concipi potest oppositum esse verum. Atqui ideae metaphysicae generalis objective spectatae, seu principia metaphysicae generalis ita esse objective vera concipiuntur ut oppositum concipere sit impossibile, facta autem experimentalia sive physica sive moralia falsa esse possunt, et oppositum ac ipsa sunt optime concipi potest. Ergo ideae seu principia metaphysicae generalis non indigent comprobari, et absurdum est quaerere eorum comprobationem per facta experimentalia sive physica sive moralia.

3.° Principia metaphysicae generalis sunt quorum praedicatum continetur in ipsa natura et notione subjecti et quidem generaliter seu universaliter sumpti, ut si dicam: *Ens est id quod est.* — *Quodlibet totum est majus sua parte.* — *Circulus est rotundus.* — *Actus proprius superveniens potentiae ipsam complet,* etc. — Atqui nulla comprobatio est necessaria ad certitu-

dinem habendam quod praedicatum contentum in natura et notione subjecti ipsi subjecto conveniat, imo quaerere comprobationem superfluum et etiam absurdum esset per facta experimentalia sive physica sive moralia sint. Ergo superflue et absurde quaeritur illorum principiorum comprobatio, praecipue per facta experimentalia; quae omnino inepta sunt ad talem confirmationem.

4.° In scientiis experimentalibus comprobatio *legum* statutarum per facta experimentalia quaeritur quia vel ut hypotheses ponuntur, vel quia per aliqua facta statuta sunt, quae sufficientia non reputantur ad illas leges pronunciandas ut veras; et facta ipsa non habent vim comprobativam nisi vi applicationis alicujus principii metaphysici objective veri et certi (cf. n. 113); unde facta ipsa non habent vim comprobativam *legis universalis* physicae nisi supposita veritate objectiva principii metaphysici (n. 113). Atqui principia metaphysica neque sunt hypotheses, neque eorum veritas statuitur ex collectione vel enumeratione quorumdam factorum. Ergo nulla ratio est quaerendi comprobationem per facta experimentalia sive physica sive moralia, quinimo quaerere talem comprobationem absurdum est.

392. **Corollaria.** — I. Omnes veritates quae ex praedictis metaphysicae generalis principiis logice deducuntur non indigent comprobatione per facta experimentalia sive physica sive moralia; imo absurdum esset earum quaerere comprobationem per facta, cum ab hujusmodi factis independentes sint omnino; sed comprobatio quaeri debet, si earum praedicatum non continetur in ipsa notione subjecti (cf. n. 61), per resolutionem ad principia metaphysicae generalis, seu ad principia quorum praedicatum continetur in natura et notione subjecti (immediata).

II. Cum prima principia metaphysicae applicantur rebus contingentibus ad statuendam aliquam legem generalem, sicut cum applicatur principium causalitatis in scientiis experimentalibus, tunc quaeritur comprobatio per facta experimentalia ad certificandam illam legem idest an sit vel non sit in rebus illis contingentibus, sed ipsum principium metaphysicum praesupponitur factis illis, quae ab illo vim habent confirmandi *legem* pro omnibus casibus etiam futuris qui comprobari non possint.

III. Unde defectus in scientia metaphysica non ex defectu veritatis, aut lucis ex parte primorum principiorum, sed ex non recta applicatione ipsorum ad objecta minus universalia vel particularia derivatur; haec autem non recta applicatio vitari potest et debet juxta leges logicae procedendo et diligenter naturam objecti quibus applicantur considerando. Absurde ergo metaphysicae ratio scientiae et certitudo negatur cum secundum se sit certissima sicut sua principia. Incertitudo competere ei potest per accidens ex duabus praedictis causis.

393. **Conclusio VI.** — *Objectivitas metaphysicae est inexpugnabilis.* — Haec conclusio patere potest ex dictis, sed directe:

Prob.: Ad impugnandam efficaciter objectivitatem metaphysicae oportet impugnare efficaciter principia ipsius et quidem omnia. Atqui non possunt impugnari omnia principia metaphysicae ita ut proben tur objective falsa. Ergo metaphysica est inexpugnabilis. — *Prob. minor:* Principia metaphysica prima sunt per se et immediate nota et quidem objective considerata; sed principia per se et immediate nota non possunt uti falsa demonstrari.

394. **Solvuntur difficultates.** — *Obj I.* — Objecta non cognoscuntur nisi per repraesentationes subjecti-

vas. Ergo non objecta sed ipsas repraesentationes cognoscimus, nam ad ipsas cognitio directe terminatur. Ergo objectivitas rerum saltem incerta est (1).

Resp. 1.°: Imprimis negatur conclusio utpote ejus contradictoria propositio ineluctabiliter immediate evidenter vera menti exhibita; unde magis intellectus inclinatur ad illam admittendam quam ad admittenda ipsa asserta ex quibus haec conclusio deducitur.

Resp. 2.°: Prima propositio absumpta in argumento non est per se nota et immediate, sed per reflexionem, et ideo supponit et innititur aliis propositionibus prius et immediate notis puta quod cognoscamus objecta ipsa; ideo non potest absumi tanquam veritas quibus innitamur ad cognitionem objectorum negandam. Unde etiam ex hac parte negatur consequentia.

Resp. 3.°: Conclusio majorem habet universalitatem quam antecedens, nam sub conclusione omnia principia prae se ferentia rationem objectivitatis continentur, etiam universalissima; imo continetur etiam illa propositio absumpta: nam quod objecta *cognoscantur per repraesentationes* sub ipsa *objectivitate* de qua concluditur non esse admittendam, vel in dubium revocandam, continetur.

Resp. 4.°: Illa propositio absumpta est ne objective vera, vel non? — Si admittatur ut objective vera: ergo adseritur objectivitas vel supponitur in praemissis, et inde negatur in conclusione: unde habetur contradictio in ipsa argumentatione. Ergo *objectivitas* sine contradictione negari aut in dubium verti non potest; si autem dicatur non esse objective vera; ergo illae *repraesentationes* et cognitio ipsa

(1) Cf. Faggi, *Princ. di psic.* vol. II, pag. 134.

non erunt nisi illusiones — et tunc sensus illius propositionis hic est: Objecta non cognuscuntur nisi per *cognitionem* et *repraesentationes illusorias.* — Sed haec propositio non est evidens, imo est arbitrarie et absurde conficta; quo jure ergo deducitur illa *conclusio,* quae est evidentiae immediatae ineluctabili opposita?!

Resp. 5.°: Argumentum peccat in methodo et ideo est sophisticum et ad absurdum ducit: nam in inquisitione veritatis quaedam sunt fundamentaliter ut certa supponenda, neque de iis licet dubitare, neque haec sunt investiganda quasi demonstratione indigeant; quaerere enim demonstrationem de omnibus est ipsam naturam demonstrationis et omnem scientiam destruere (cf. n. 142). Nunc objectivitas rerum et principiorum inter veritates fundamentales habenda est. Unde 1.° supponenda sunt haec: Cognitio, et simul cum ipsa subjectum cognoscens et objectum cognitum. — Inde haec examinanda et distinguenda, nunquam tamen neganda. Itaque examinanda est cognitio, subjectum, objectum cognitionis. Omnis veritas et cognitio superveniens ex iis dependet et has supponit veluti fundamentum et ex iis vim totam suam habet. Omnis ergo assertio quae iis opponitur et ducit ad negationem vel ad dubitationem ipsorum est ut falsa rejicienda, et omnis argumentatio tanquam sophisma. Idem dicendum est de primis principiis quae sunt fundamenta scientiarum et conclusionum. 2.° Examinandus est modus cognitionis et medium ipsum: explicationes autem quae traduntur nullum valorem scientificum, nullam veritatem continere dicendae sunt si in negationem praedictorum quae sunt fundamentalia perducant. — Adversarii ex obscuritate conclusionum vel etiam ex contradictionibus in quas

ex defectu rationis incidunt ad ipsas negandas veritates certas et per se evidentes redeunt!!

Resp. 6.° Ex hoc ipso quod repraesentationes ut repraesentationes cognoscimus oppositum concludi debet, idest cognoscuntur ipsa repraesentata, non enim concipi potest repraesentatio nisi concipiatur ut *aliquid* repraesentans, idest *objectum*.

395. **Obj. II.** — Certum est quaedam ut objective vera immediate menti exhiberi, et tamen falsa sunt ut e. g. quod sol circa tellurem moveatur etc. Ergo dubitandum saltem est de objectivitate rerum et principiorum metaphysicorum.

Resp. 1.°: *Nego conseq.,* quae non sequitur ex praemissis; nam ex quibusdam particularibus non licet concludere de omnibus (n. 97).

Resp. 2.°: *Dist. antec.:* Per accidens et in quibusdam quae non sunt fundamentalia in cognitione et in scientiis generaliter *transeat* vel *conc.;* per se ex ipsa mente seu ex legibus fundamentalibus ipsius mentis *nego* omnino. (Cf. supra in nota n.).

Resp. 3.°: *Nego conseq.* et *paritatem:* Non est absurdum neque magnum inconveniens si quaedam objecta secundaria vel in quibusdam circumstantiis quaedam determinata objecta exhibeantur etiam immediate non prout sunt in se, sed modo opposito; at summum esset inconveniens si semper et universaliter hoc contingeret etiam in iis quibus mens semper in veritate invenienda dirigitur sicut sunt prima principia et generatim ea quae sunt veluti fundamentalia in cognitione sicut ex dictis patere potest. — Insuper mens circa illa pauca quae diversimode exhibentur ac sunt potest errorem suum corrigere ex principiis fundamentalibus, sed circa fundamentalia et directiva ipsius non posset (cf. Prob. 1.ae concl).

396. **Obj. III.** — Cognitum est in cognoscente et quidem ad modum cognoscentis ; ergo cognitio intellectus non terminatur ad objecta exteriora, sed est omnino *relativa* ipsum subjectum cognoscens et modum ejus omnino et solummodo attingens.

Resp. 1.°: Idem vitium supra notatum, quod est fons sophismatum et absurditatum, reperitur in praesenti argumentatione idest defectus methodi : putat enim objiciens legitime posse negari veritatem, quae per se, immediate et ineluctabiliter exhibetur menti, ex aliqua propositione, quae traditur tanquam explicatio alicujus facti evidentissimi, et quae potest multipliciter intelligi ; idest facta negat evidentissima adversarius quia suae theoriae modo suo intellectae et secundum proprium cerebrum explicatae non correspondent. Quod quam sit absurdum in quaerenda veritate nemo non videt. — Unde iterum repetimus : Supposita *cognitione* objecti prout dictatur ab ipsa natura rationis et conscientiae et hac innixi procedamus ad *modum* cognitionis explicandum, et si hic latens maneat confiteamur limitationem nostrae cognitionis et debilitatem intellectus (de qua dubitare non licet) ; at ex hoc non negemus neque dubitemus, nisi absurdi esse velimus, de factis et rebus certissimis praecipue ipsi cognitioni fundamentalibus. Custodiamus ergo thesaurum adinventum etiamsi fortasse aliud inveniri non possimus. — De modo quo objecta exteriora cognoscimus et quo sunt in mente suo loco dicemus per varias quaestiones. Praesens enim quaestio ab illis non pendet juxta rectissimas methodi leges (n. 117), neque ex ignorantia illarum quaestionum jus habetur negandi veritatem certissimam et evidentissimam.

Resp. 2.°: Ex principio absumpto conclusio non sequitur : Solummodo ex hoc quod cognitum est in co-

gnoscente ad modum cognoscentis sequitur quod objecta exteriora cognita evidentissime, non sint in mente eo modo quo sunt in se et in loco idest per commensurationem quantitatis, a quo modo impediretur cognitio, sed modo peculiari secundum modum scilicet quo rebus competit esse in intellectu. — Omne enim quod in aliquo recipitur ad modum ipsius recipitur. Esse enim in aliquo nihil aliud importat quam relationem praesentialitatis, relatio autem in una re potest esse ad diversa et diverso modo ipsa re in sua essentia expressa per definitionem remanente invariata. — Absurdum est autem negare objectum distinctum a mente, cognosci a mente et suo modo esse in mente, ex eo quod modus essendi in ipsa non cognoscitur.

397. **Obj. IV.** — Omnia mutabilia sunt. Ergo scientia metaphysica est impossibilis et veritas objectiva nulla est. — *Prob. antec.:* Objecta sensibilia mutationi esse obnoxia patet ex sensu sicut et esse contingentia; hoc ipsum verificatur etiam de iis quae dicuntur necessaria non exclusis axiomatibus; unde nullum est axioma quod ab omnibus fuerit admissum. Inter alios Helmotz putat geometriam quae nunc habetur veram esse de spatio-praesenti tribus dimensionibus praeditum sed non de omni spatio possibili, puta quatuor dimensionum. Principium ipsum contradictionis negatum fuit ab Heraclito, et nostris temporibus ab ipso Hegelio (1).

Resp. 1.°: Haec objectio destruit semetipsam utpote contradictoriam in suis adsertionibus; et ideo est omnino ut sophistica rejicienda et rejicienda conclusio. — Et revera: Ea quae objiciuntur sunt ne

(1) V. Brofferio. *Psicologia.* Milano, Briola, pag. 93; Spencer, *Primi principi,* Max Müller, *Scienza del linguaggio.*

vera et immobiliter vera? Si non sunt vera, ergo sunt neganda et nullam vim habent; insuper tunc sequitur possibilitas scientiae metaphysicae; si autem sunt vera, et quidem immobiliter vera, non sunt talia nisi quatenus supponitur ipsa veritas, et quidem ipsa veritas objectiva; quia scilicet verum est omnia mutabilia esse objective et in se considerata. Si autem in objectione supponatur ea non esse in se, sed esse solummodo subjectiva quatenus scilicet apparent talia, tunc ergo in objectione supponitur *id quod est probandum* idest ipse subjectivismus; et ideo objectio se ipsam destruit etiam ex hoc capite.

Resp. 2.°: Objectio peccat in methodo et ideo habet vim sophismatis sed non vim probationis. Procedit enim ex propositione quae non est universalissima, non est evidens saltem in tota sua extensione, imo a multis sic simpliciter accepta negatur; discussionibus subjicitur ob suas aequivocationes, imo et falsitates in tota universalitate sumpta includit. Unde absurde proceditur ad negandam propositionem universalissimam idest: *quod est veritas objectiva* (cf. n. Prob. 1.ae concl.).

Resp. 3.°: Si veritas objectiva non est. Ergo omnia quae tu asseris vera sunt subjective in cerebro tuo. Quare ergo tu et scribis libros et impugnas aliorum dicta? Omnes enim quos tu impugnas philosophos non sunt vere et objective philosophi contra te sentientes; nulla doctrina in mente ipsorum est contra tuam, sed tum ipsi tum eorum mentes tum eorum persuasio sunt ludificationes mentis tuae quae plurimos inimicos habere vane et absurde fingit. — Quare ergo tantum adlaboras in congerendis argumentis ad veritatem objectivam negandam si solummodo veritas subjective in mente tua existit et

praeter tuam nulla mens est, nullum verum objectum, nulla veritas? — Fortasse tu quaeris argumenta ad te ipsum convinciendum de subjectivismo quia jam non est convictus?

Resp. 4.°: Veritas objectiva est independens ab existentia rerum seu objectorum; unde parum refert an sint mutabilia et contingentia, vel immutabilia et necessario existant. Sufficit enim quod ea quae affirmantur de rebus ipsis in statu possibilitatis consideratis immobiliter et necessario conveniant. Unde si verificetur quod ipsa contingenter existant poterunt de ipsis semper objective praedicari, vel affirmari. — Sic e. g. de individuis humanis contingenter existentibus semper poterit affirmari rationalitas sive existant, sive non existant. Et similiter de luce semper verum erit quod est medium aptum oculis ad videndum; hoc autem dici nequit e. g. de lapide etc. Sicut etiam sive existat triangulus sive non, semper verum est quod summa suorum angulorum est aequalis duobus rectis; et quod totum majus est sua parte.

Resp. 5.°: Axiomata idest prima principia quae vere et proprie talia sunt poterunt ore negari, at numquam intima persuasione nisi a demente aut ab insensato. Principium contradictionis negatum est ab Heraclito et Hegelio, sed hi philosophi ipsum supponunt verum in eorum dictis et probationibus. Si enim falsum est; quo jure ipsi affirmare, aut negare poterunt? aut sustinere proprium systema, aliud vero negare? (cf. quae diximus n. 290 et 305). Quoad axiomata et demonstrationes geometricas dicimus omnino absurdum esse ponere ut possibilem spatium quatuor aut quinque dimensionibus praeditum. — De coetero quum dicunt spatium hujusmodi esse *possibilem* de qua possibilitate ipsi loquuntur? De possibilitate

objectiva independente a mente, vel de illa possibilitate quae est juta eos purus conceptus seu forma *subjectiva* mentis et quae ab ipsa mente objectis applicatur? Si *primum ;* ergo ponitur veritas objectiva in ordine possibilitatis, et etiam in ordine realis existentiae, quia possibilitas objectiva independens a mente in ipsa existentia reali fundamentum habet, imo ipsa possibilitas objectiva independens a mente ad existentiam realem ordinem dicit sicut ad sui complementum ; si *secundum,* tunc ergo supponitur in argumento allato ; subjectivismum esse verum insuper si possibilitas est pura et subjectiva forma mentis quare non applicatur indifferenter omnibus objectis, quae menti obveniunt? Quare e. g. circulus rotundus dicitur possibilis, non autem circulus quadratus? Quare uni possibilitatis conceptus, alteri impossibilitatis applicatur? — Si tota ratio, applicationis est illa forma vel conceptus non autem diversitas quae est in circulo et in quadrato tunc poterit utrumque sub eadem forma possibilitatis poni. — Si autem ratio quare unum non potest poni sub forma vel conceptu possibilitatis, non autem aliud est in ipsis, tunc ergo supponitur veritas objectiva in eis. — Idem dicendum est de omnibus propositionibus quae juxta subjectivistas non dicuntur verae ant falsae et non fiunt affirmativae aut negativae a mente ex veritate objectiva rerum, sed ex applicatione conceptus mere subjectivi qui est *affirmatio* vel *negatio.*

398. **Obj. V.** — Sensatio objectivitate destituitur. Atqui objectivitas perceptionis intellectus et consequenter principiorum metaphysicorum dependet ex objectivitate sensationis. Ergo objectivitas perceptionis intellectus etc. nulla est. — *Prob. antec.:* Sensationi non correspondent nisi aeteris vibrationes, ut docent physici,

Resp. 1.°: Major propositio non est per se evidens, non est probata, imo ratio quae adducitur oppositum probat; nam vibrationes quae sensationi respondent et quae ipsam ut est affectio sensuum, causant sunt *reales* et *objectivae,* ut nunc omnes concedunt; ergo sensationi aliquid objectivum correspondet; ergo sensatio est *subjectivo-objectiva;* subjectiva ut est affectio, objectiva ut est apprehensio causata ab objecto. Et inde est quod sensatio normalis aliquid objectivum exhibet. Determinare autem naturam hujus objectivitatis ad sensationem non pertinet, sed ad intellectum; sicut ad intellectum pertinet determinare an illud objectivum sint vibrationes vel aliud quid et an praeter *vibrationes* vel formas motus sit aliquid aliud. — Unde objectio ex parte majoris propositionis peccat 1.° quia conclusio habet ea majorem extensionem (n. 97), 2.° quia propositio conclusio est propositio per se et immediate nota, et opposita, 3.° quia major non est probata, 4.° quia oppositum probatur ex ratione adducta, 5.° quia major variis distinctionibus indiget, unde multipliciter aequivoca est (cf. n. 277); 6.° quia multae theoriae inducuntur a philosophis ad illam acceptandam vel rejiciendam. — Unde quo jure proceditur ad concludendum, et praecipue id quod evidentiae opponitur?

Minor propositio non est per se nota; a multis philosophis impugnatur ut falsa, ab aliis sub variis distinctionibus negatur aut conceditur et pluribus theoriis dat locum. — Igitur non solum nihil probat hoc argumentum sed vere summopere confirmat veritatem objectivam esse et nullo argumentorum genere posse impugnari.

Resp. 2.°: Objectio se ipsam destruit utpote contradictoria, objectivitatem enim in conceptibus intellectus supponit et includit: et revera in illa propo-

sitione majori et minori, in qua negatur objectivitas, de qua objectivitate loquitur objiciens ? vel de objectivitate quae est juxta Kantianos illusio, et tunc 1.° supponitur objectivitatem esse illusionem, et ideo habetur defectus in argumentatione et nihil concluditur (cf. n. 171), insuper quia est sermo de objectivitate illusoria, haec negatur in conclusione (nam conclusio si logice procedit continet id quod continetur in praemissis ; non autem vera et propria objectivitas de qua loquimur ; sed et aliud absurdum notetur in hac hypothesi idest in conclusione negatur objectivitas quam objiciens statuere intendit idest *illusoriam !*), vel loquitur de vera objectivitate ab illusione et a subjectivitate distincta, et tunc ergo ab ipso subjectivista objiciente concipitur vera objectivitas de qua nos loquimur, et ideo dantur conceptus vere objectivi saltem negantes objectivitatem veram ; sed conceptus negans objectivitatem supponit conceptum positivum apprehendentem veram objectivitatem. — Insuper si eam intellectus apprehendit ubinam apprehendit ? Certe non ut aliquid mere subjectivum ad seipsum pertinens, secus haec objectivitas esset illusoria ; ergo extra seipsum ; ergo est objectivitas extra intellectum, ab ipso intellectu concepta et apprehensa.

Resp. 3.° : in forma : Sensatio *normalis* objectivitate destituitur *nego,* anormalis transeat : vel sic *subdistinguo :* Si consideretur in se praecise *transeat* vel *conc.;* si consideretur in suo fundamento seu praesuppositive *nego.* Ratio est quia sensatio anormalis est per accidens in subjecto et supponit sensationem normalem et objectivam in qua proinde fundamentum habet. Ad *Prob.* dico quod ratio adducta oppositum probat quia vibrationes aeteris ab omnibus nunc habentur ut reales ; unde sensatio ad aliquid reale termi-

natur. *Ad minor. Distinguo:* Occasionaliter et per accidens *transeat,* formaliter et per se *nego.* — Quamvis intellectus indigeat sensibus quibus mediantibus determinatur ad intelligenda objecta, tamen intellectus non determinatur formaliter per ipsam sensationem, sed per actionem et per conceptus sibi proprios omnino a sensatione diversos. — Ex hoc ipso quod objecta exteriora agunt in organismum animatum hoc est in sensus, quaedam relatio inter objecta exteriora et animam ipsam, a qua sunt omnes sensus, constituitur, quae relatio sufficit ad determinandum intellectum ut objectivitatem extra se positam percipiat. Sed de his suo loco dicetur; nunc tamen notetur haec non esse confundenda cum facto evidentissimo perceptionis objectivae.

399. **Obj. VI.** — Veritas est vita. Atqui vita est motus, et motus est aliquid essentialiter subjectivum relativum et mutabile. Ergo veritas est aliquid essentialiter subjectivum relativum et mutabile (1).

---

(1) « Nous croyons, ait Le Roy *(Dogme et critique* p. 335), que la vérité est vie, donc mouvement ». Et (ib. pag. 355) dicit: « Le grand désaccord entre les scolastiques et nous porte sur la notion même de vérité ». Differentia autem in hoc consistit quod nullum objectum correspondere ait cognitioni. Unde dicit: « Comment s' assurerait-on d'un accord entre la representation et l'objet? » (Cf. *La Revue Thomiste* a. 1910, Mars-Avril, pag. 188-189). — In confirmationem hujus objectionis pragmatistae seu neocritici afferunt definitionem S. Thomae idest: « *Substantia cui convenit secundum suam naturam movere seipsam* ». « Haec definitio, ait S. Baldini criticus Pragmatista, fructus elementaris experientiae, concipit vitam veluti explicationem virium latentium, perpetuo in via actuationis et nunquam complete actuatarum; vel est enim vita vibratio perennis auto-motuum sine exhaurimenti periculo ». — Haec litteraliter verti ex periodico: *Rivista critica di idee e fatti* — « *Il Rinnovamento* » Gennajo-Giugno 1908, Milano.

Resp. 1.°: Veritatem esse aliquid objectivum est magis notum quam esse vitam et adhuc magis notum quam vitam esse motum et a fortiori magis notum quam nexus et relatio existens inter veritatem, vitam et motum. Et ideo hic processus ab una veritate vel cognitione ad aliam inferendam peccat in methodo (cf. n. 117).

Resp. 2.°: *Veritas* multipliciter sumitur, ut patet ex dictis (n. 128); insuper hoc nomen veritas praecipue concrete acceptum transcendens est et omnibus potest applicari et viventibus et non viventibus. — Similiter *vita* multipliciter sumitur 1.° pro substantia vivente, 2.° pro actione, vel pro motu, 3.° et similiter sumitur quandoque pro actione vegetalium vel pro eorum substantia, 4.° pro actione sentientium idest pro actione sensitiva, aut pro ipsa substantia, 5.° pro actione intelligentium vel pro eorum substantia. Unde quando dicitur quod *veritas est vita* in propositione majori sine ulla determinatione nullo modo scire possumus quid intelligatur nomine vitae praecise; idem dicendum est de nomine motus qui sex modis accipi potest (cf. n. 17). Unde multiplici aequivocationi subjicitur hic processus logicus. — Quo jure ergo et qua logica proponitur et acceptatur conclusio praecipue tali modo et processu deducta contra ipsam evidentiam immediatam ineluctabiliter menti affulgentem?

Resp. 3.°: Aut propositiones absumptae et termini earum supponuntur in argumento adlato objective verae aut subjective tantum; si subjective verae tunc ergo supponitur id quod est probandum; si objective verae supponuntur, jam supponitur veritas objectiva et in ipsa vim habet totum argumentum, imo conclusio est in contradictione cum praemissis; illogica est deductio quia mere subjectivum logice non continetur in objectivo.

Resp. 4.°: Quaerimus ab objiciente: An putet illas propositiones absumptas in praemissis esse veras immobiliter vel mobiliter, ita scilicet ut semper verum sit quod *veritas* est *vita,* quod *vita* sit *motus* etc. imo de ipsa conclusione an veritas sit semper quid essentialiter relativum, subjectivum etc. si affirmativa detur responsio; ergo sequitur quod saltem veritates illae idest praemissarum et ipsius conclusionis sint aliquid immutabile, et ideo objectivum et absolutum. Si responsio sit negativa; tunc sequitur quod sua argumentatio nihil valet, quia praemissae habent veritatem contingentem, ergo etiam conclusio. Insuper quo criterio scit illas praemissas contingenter veras ab eo proclamatas nunc esse veras? Vis ergo hujus argumentationis vere nulla est, praecipue si consideretur ipsa veritatis objectivitas ut menti immediate praesens (cf. n. 143).

Resp. 5.°: directe et in forma: *Dist. maj.:* Veritas est vita si veritas sumatur ontologice ut est nomen in sua significatione universalissima et indeterminata *nego,* sic enim a vita praescindit cum possit significare quidquid a mente intelligi potest, unde etiam lapis et sol etc. *vera* dicuntur et habere veritatem; et etiam vita dici potest *vera* licet proprie loquendo non possit dici ipsa veritas; si autem *logice* seu subjective veritas sumatur, *subd: Veritas* est *vita* idest est relatio quae est inter intellectum cognoscentem et cognitum, quae est in ipsa actione vitali *concedo,* est ipsa actio vitalis quae dicitur actus et motus *nego.* — Actio vitalis est fundamentum illius relationis. — Ad *minorem dist.:* Vita est motus, idest vita vegetativa est motus *conc.;* vita sensitiva *transeat;* vita intellectiva *subd.:* Si motus proprie accipiatur *nego;* si motus large accipiatur pro *actu* transeat, vel *conc.* — Et *nego conseq.:* Explicationes suo loco

videbuntur. Pro nunc adnotare sufficiat propositiones adsumptas ad probandam conclusionem tot sensus et aequivocationes continere ut diceres vel objicientem leges logicae non cognoscere, vel non logica sed sophistica velle uti.

400. **Agnosticismus.** — Quamvis modi quibus erratur in metaphysica multi sint, ut patet ex dictis (n. praec.), tamen ad duos praecipuos a modernistis reducuntur, praesertim prout doctrinae religiosae applicantur metaphysicae errores; videlicet ad *Agnosticismum* et ad *Immanentismum*. Agnosticismi principium fundamentale est nonnisi phaenomena a mente nostra cognosci posse. — Quidquid metaphysicam sapit utpote extra phaenomena positum non esse mentis nostrae objectum. Unde cognitionem intellectivam se extendere ad causas, praecipue ad causam primam, Agnostici negant (1). Scientia ergo omnis ad phaenomena terminatur. Ad explicandas autem ideas seu principia metaphysica quae ut objectivitatem habentia menti exhibentur, non ad objecta exteriora quasi ipsorum verum et reale fundamentum recurrunt, sed ad ipsum subjectum cognoscens idest ad intellectionem seu cognitionem ipsam exclusive prout est manens in ipsa mente.

(1) « Philosophiae religiosae fundamentum in doctrina illa modernistae ponunt, quam vulgo *Agnosticismum* vocant. Vi hujus humana ratio phaenomenis omnino includitur, rebus videlicet quae apparent eaque specie qua apparent: earumdem pretergredi terminos nec jus nec potestatem habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est, nec illius existentiam, ut per ea quae videntur, agnoscere. Hinc infertur Deum scientiae objectum directe nullatenus esse posse, ad historiam vero quod attinet, Deum subjectum historicum minime censendum esse. — His autem positis quid de *naturali theologia*, quid de motivis credibilitatis, quid de externa revelatione facile unusquisque perspicet ». Encycl. *Pascendi*.

401. **Immanentismus.** — Hinc *Immanentismus;* qui docet omnem explicationem ex actione *immanente* vitali evolutiva exclusive attendi, quatenus mens quibusdam legibus omnino subjectivis dirigitur. Unde valor metaphysicorum principiorum ad summum ad ipsa objecta quae experimentalia habentur se extendit, quatenus mens objecta experientiae sub illis quasi legibus subjectivis attingit, sed non amplius. Igitur extra experientiam mundi sensibilis et conscientiae nulla scientia protenditur, quia extra illam non datur nisi Ignotum, seu *Incognoscibile.* (1).

---

(1) SPENCER (*Psicologia* pagg. 47 cit. ab Aloysio Chiesa l. c. pag. 34) ait: « Extra omnes interiores exterioresque manifestationes existit vis quaedam. Quamvis natura hujus vis cognosci non possit, quamvis nos de ipsa etiam obscurissimum conceptum efformandi vi destituti simus, tamen ejus universalis praesentia est factum absolutum sine quo nullum factum relativum existit ». — In hac sententia *unica realitas* admittitur quae dicitur realitas *cosmica,* omnia vero quae a nobis percipiuntur, aut formae, aut apparitiones vel phaenomena esse dicuntur, quasi manifestationes accidentales ipsius, esse relativum vel symbolicum habentes (cf. n. litt. 379). — Omnia argumenta supra adlata valent etiam contra hanc doctrinam; non enim menti nostrae unum tantum ens habens esse objectivum, sed plura imo multa inelectabiliter evidentissime ut objective vera exhibentur quibus prima principia metaphysica applicari possunt. — Specialiter tamen sufficiat animadvertere quod haec doctrina in verbis illis quibus exponitur contradictione manifesta implicatur, etenim quo jure affirmatur existentia illius *vis* de qua nullum conceptum ne obscurissimum quidem mens nostra sibi efformare potest? Nonne contradictionem manifestam involvit ponere *vim* existentem habentem esse absolutum omnino diversam a phaenomenibus, adserere quod phaenomena ejus existentiam supponunt, ei innitantur; et pronunciare illam esse omnino *Incognoscibilem?* — Merito igitur observat SPAVENTA (*Esperienza e Metafisica* c. V.): « Si hoc (*Incognoscibile*) existit quomodo dicere possumus quod nos non cognoscimus (*ex hoc quod adserimus ipsum existere*)? Et si ipsum non cognoscimus quomodo ipsum existere affirmare possumus? ».

Metaphysica ergo generalis sicut et specialis extra experientiam posita scientiae rationem non habet. Veritas igitur quatenus exhibetur ut aliquid objectivum illusio mentis est. Unde veritas est utique admittenda, sed ut aliquid subjectivum, relativum, mutabile. — Verum non negant modernistae existere absolutum quod juxta eos est ipsum *Incognoscibile*, tamen a ratione pura hoc dicunt dari veluti postulatum; ad existentiam autem ipsius admittendam per vitam, per actionem et per voluntatem perveniri. At *Incognoscibile* ad quod per vitam, actionem et per voluntatem admittendum juxta modernistas pervenitur, semper ut aliquid *Immanens* in mente ipsa a qua admittitur, esse consideratur, et ut aliquid proportionem mentis excedens; de quo proinde mens nullum attributum inferre potest. Ideo omnia elementa intellectualia seu omnes expressiones *Incognoscibile* respicientes non esse nisi symbola adseverant.

402. **Consectaria hujus doctrinae.** — Post ea quae contra criticismum et subjectivismum dicta sunt inutile est alia contra Agnosticismum et Immanentismum directe addere; solummodo breviter censemus notare consequentias hujus absurdae et ruinosae doctrinae ut viri catholici ab hac se diligentissime caveant. Igitur dicimus quod haec doctrina ad sceptiscimum ducit, ad atheismum, ad pantheismum, ad sensismum putidum et ad omnes errores. — Nam ex hoc ipso quod veritas admittitur ut aliquid relativum et subjectivum, illud est verum vel falsum quod ut tale alicui esse apparet, vel illud quod unicuique placet esse verum, vel illud cui adhaerendum tanquam vero aliquis utile sibi aut generi humano vel alteri individuo esse putat. — Unde criterium veritatis non ipsum objectum neque ipsa ratio seu ipsum lumen rationis esse potest, sed voluntas, aut

sensus, aut actio, aut utilitas etc. — Rationi ergo nonnisi scepticismus relinquitur. — Itaque neque ad Dei existentiam probandam mens pertingere potest, aut ad declarandum quid Deus sit, quae attribata ei conveniant aut non conveniant; sed unicuique prout afficitur subjective aut sensibiliter aut intelligibiliter cogitare libuerit, idest vel esse spiritum vel materiam, vel esse aeternum vel temporaneum, vel provisorem aut non provisorem, justum vel injustum, aut simpliciter *Incognoscibile* profiteri et etiam nihilum. — Absurdissimum autem est putare mediantibus sensibus aut mediante experientia posse hominem ad illam tam altam cognitionem Dei pervenire quae a doctrina catholica habetur, aut posse vitare errores, cum hoc ipsum fieri posse negetur per rationem (1).

403. **Pragmatismus.** — Ex Agnosticismo et Immanentismo originem ducit Pragmatismus, qui doctrinam seu errores utriusque amplectitur; ipse enim negat valorem objectivum rationi purae, veritatem dicit esse aliquid relativum et subjectivum, de existentia rerum nihil theoretice sciri posse affirmat. Unde in hoc systemate verum non est quod correspondet rebus exterioribus, sed verum et bonum est quod est utile. — Mensura ergo et criterium veritatis ontologicae in pragmatismo est: *Quod progressui hominis in suarum operationum intensitate utile apparet* (2).

---

(1) Cf. Encycl. *Pascendi et Revu.* Tomiste a. 1910. Mars-Avril.

(2) In pragmatismo sine ambagibus omnes errores dicuntur posse acceptari ab homine seu quamlibet doctrinam dummodo *utilitati* conferat. Unde praecedens nostra argumentatio plene confirmatur. Sed ipsa pragmatistarum verba afferenda sunt: (Metaphysice seu ontologice loquendo pragmatismus est omnino *criticus*, relativista, scepticus, licet practice in ordine ad actio-

404. **Absurditates pragmatismi.** — Sicut Agnosticimus et Immanentismus refutatus manet ex dictis contra criticismum et positivismum, ita et pragmatismus; insuper ea quae notavimus inconvenientia contra haec duo systemata (n. 401) etiam, imo a fortiori contra pragmatismum urgeri possunt, qui tamen ea admittere, licet absurdissima, non veretur. Sed et alia gravissima breviter annotare liceat: 1.° In pragmatismo ut supremum criterium veritatis ponitur *τὸ utile* (cf. n. 343), quo nihil absurdius, 2.° negatur ipsa veritas quia ipsa reducitur ad expressiones symbolicas, 3.° in pragmatismo, quodlibet absurdum et rationi repugnans ut verum proclamatur, dummodo intensitas operationis humanae obtineatur, 4.° haec tamen hominis operatio cujus intensitas quaeritur non est cognitio veritatis, quia in pragmatismo verum nihil est, et si admittitur verum hoc nonnisi uti medium ad operationis intensitatem consideratur; unde nomine veri quodcumque absurdum appellatur. Quia igitur intensitas operationis

---

nem sit dogmaticus... Pragmatismus uti methodus philosophicae inquisitionis a fundamentali postulatu incipit unicum problema vitale nostrum esse hominis studium in suis operationibus atque in earum progressivo successu. Omnia alia problemata metaphysica huic subordinantur; quia solutiones quae dantur nihil aliud sunt quam fructus facultatum creaticium in nostro esse physiologico et psichico absconditarum, et ideo symbola variabilia quorum valor et veritati omnino relativus est juxta subjecti concipientis dispositiones. Pragmatismus igitur non ad aliquam doctrinam philosophicam ducit, imo potest simul ad omnes doctrinas ducere; unde si conceptio pantheistica se exhibeat uti stimulum intensiorem vitae (hoc est operationum vitalium) ipsa ut verior conceptio apparebit etc. ». — Rivista critica di idee e di fatti. Il Rinnovamento, Milano 1908. Gennaio-Giugno. — Unde in pragmatismo tanquam criterium veritatis ontologicae est: *Quod utile apparet subjectivo progressui hominis in operationum suarum intensitate* (cf. n. 343 nota).

Caput III.

De Ente

(Aristoteles, Metaph. cum comm. S. Thomae, idem S. Th. De ente et essentia cum comm. Caj.; Suarez, Disp. Metaph.; Zigliara, Ontol., lib. II. cap. I, art. I; Liberatore, Ontol. cap. I, art. I; Lepidi, l. c.; Mercier, Ontol.; Hugon, Metaph., qu. I.; C. Willems, Metaph., lib. I).

406. **Notio et divisio entis.** — Id quod existit aut existere potest quocumque modo sive extra mentem sive in mente ex hoc ipso quod habet *esse* dicitur *ens*. Quod autem repugnat esse, seu quod contradictionem involvit e. g. *circulus quadratus, ens* dici non potest. *Ens* dividitur in *ens reale* et *ens rationis*.

407. **Ens reale.** — Dicitur *ens reale* quod habet aut potest habere esse in rerum natura *independenter* a mente nostra intelligente; e. g. *lapis, homo, Deus,* sunt entia realia. Ens reale subdividitur in *actuale* et *possibile*. Dicitur *actuale,* si actualiter existat; dicitur *possibile,* si existere solummodo possit. Communiter tamen *reale* dicitur id quod actualiter existit; quod vero actualiter non existit, sed tamen potest existere, dicitur *possibile,* et etiam *ideale*.

408. **Ens rationis.** — *Ens rationis* est illud cujus totum esse in eo consistit ut apprehendatur a mente, et non potest habere esse in rerum natura. Dici autem potest *id quod habet esse objective tantum in intellectu*. Unde esse realis non est capax. Ad cujus evidentiam considerandum est quod sunt quae-

dam quae habent esse *subjective* in mente, sicut virtus et quilibet habitus intellectivus; quaedam autem habent esse *effective* (in mente) quia a mente efficiuntur, ut motus vitales, e. g. intelligere etc. quae physice ab intellectu procedunt; quaedam autem sunt in mente inquantum a mente apprehenduntur, licet non habeant esse in rerum natura; et haec dicuntur proprie *entia rationis;* e. g. caecitas non habet esse in rerum natura, nam ipsa nihil aliud est quam negatio vel privatio visionis: tamen a mente apprehenditur, neque est habitus in mente existens, neque motus vitalis a mente physice procedens, et ideo caecitas apprehensa est ens rationis, quia totum esse ejus in eo consistit ut apprehendatur. — Item *entia rationis* sunt universalia formaliter considerata (cf. n. 181), dispositiones, quae fiunt a logicis circa terminos eos comparando ad invicem per modum praedicati et subjecti, et per modum medii termini et extremorum; similiter quae fiunt circa propositiones per modum majoris et minoris etc., ut facilius percipi possit valor argumentationis; et ideo objectum logicae dicitur *ens rationis ratiocinatum;* idest ens quod importat tales dispositiones quae a mente fiunt (cf. n. 8).

409. **Ens rationis aut est relatio aut est negatio.** — Ens rationis dicitur illud quod non habet esse reale, neque esse realis est capax, sive in se quasi substantia, sive in alio ut in subjecto quod modificet quasi accidens aut perfectio ejus; sed quod habet esse in mente tantum *objective;* unde neque affectio mentis est. Sed illud quod non habet esse reale et esse realis non est capax aut est negatio (seu privatio), aut est aliqua relatio, quam mens apprehendit et causat dum comparat objecta ad invicem; nihil enim aliud in mente ut exclusive ap-

prehensum objective considerari potest. Unde ens rationis aut est negatio apprehensa a mente quatenus scilicet ipsa habet in mente esse apprehensum seu esse objecti apprehensi ad modum entis, vel relatio quatenus mens comparat objecta ad invicem sive ad modum praedicati et subjecti, sive ad modum entis communicabilis per modum generis aut speciei, vel per modum medii termini in argumentatione etc. (Cf. S. Th. de verit. q. I. a. V, ad 16.m).

410. **Apprehensio entis rationis supponit apprehensionem entis realis.** — Tamen cum ipsum ens rationis aut sit negatio aut relatio, et cum negatio supponat ens quod a mente negatur, sicut relatio apprehensa supponit apprehensionem eorum inter quae intelligitur relatio, ideo apprehensio entis rationis et ipsum ens rationis supponit ens reale et quidem a mente apprehensum quasi fundamentum ipsius. — Haec generaliter dicta de ente rationis sufficiant, nam agere de ente rationis per se ad logicam pertinet; ad metaphysicam vero indirecte et quasi per accidens.

411. **Conceptus entis formalis et objectivus.** — Cum dicimus *conceptus* entis (et similiter cum dicimus conceptus hominis, lapidis, animalis, viventis substantiae, etc.), duo possunt designari, vel ipsa conceptio idest actio sive expressio qua intellectus intelligit et dicit sibi objectum, quod in casu est *ens*, vel potest designari ipsum objectum idest ipsum ens quod intelligitur et vi intellectionis est intellectui praesens: si designetur ipsa conceptio seu actio qua intellectus intelligit et sibi dicit objectum (quod in casu est ens), tunc habetur *conceptus formalis*, qui nihil est aliud nisi actus et perfectio subjectiva, hoc est forma mentis; si autem designetur ipsum objectum (in casu est ens), habe-

tur *conceptus objectivus*. — Haec facilis et elementaris distinctio conceptus *formalis* et *objectivi* semper prae oculis habenda est ne inepte et turpiter erretur cum subjectivistis et pantheistis (cf. n. 10 et 238 seqq.)

412. **Conceptus nihili.** — Putant quidam ut Le-Roy (1) conceptum nihili haberi nullo modo posse ; sed factum ipsum quo de nihilo loquimur evidens signum est quod nihilum concipimus. Fortasse aequivocatio in hac philosophorum dissensione locum habet. Quamvis enim *nihil per se* non possit esse objectum cognitionis, et ideo per se non possit intelligi per conceptum proprium, potest tamen intelligi per ens, hoc est per conceptum entis. Nam intellectus concipiens ens potest ipsum negare, et sic concipere ens negatum sive in particulari, sive in generali ; et ita per conceptum viventis percipit non vivens, et per conceptum entis percipit non ens, hoc est nihilum, et sic percipiuntur negationes, privationes de aliquo subiecto idest per negationem entitatis. — Haec tamen mens percipit ad modum mentis, unde in mente habetur quoddam ens rationis.

413. **Abstractio entis.** — Conceptus entis, ut patet, est abstractissimus, abstrahit enim ab omnibus determinationibus ; tamen semper aliquid positivum importat, non enim abstratio entis est abstractio negatiomis, aut privationis, aut nihili, sed *objecti* quod esse importat, et propterea dicitur ens idest habens esse, quod toto coelo differt ab ipsa negatione, privatione etc. — Utique illud quod importatur non est aliquid determinatum in mea cognitione, sed ex hoc non sequitur quod sit negatio aut nihil (2).

---

(1) Cf. *Revue de Métaphys.* Juillet 1907 : pag. 479-480.

(2) *Ens reale, ens ideale.* Ad cavendas confusiones, aequivocationes et cavillationes praecipue subjectivistarum sedulo at-

414. **Alio modo contingit abstractio entis generalissime sumpti et abstractio entis determinati.** — Abstractio entis generalissime sumpti non importat aliquam rationem seu notam *distinctam* ab aliis notis seu proprietatibus quasi extra conceptum entis generalissimi positis, nam ratio entis generalissime accepta potest de quacumque ratione vel nota in objecto posita vere praedicari vel affirmari; quidquid enim est in objecto ens dici potest ex hoc ipso quod est, idest quod habet esse. — E contra abstractio entis determinati puta abstractio *animalis* ab homine importat aliquam rationem extra conceptum aliarum proprietatum puta extra conceptum rationalitatis, aut risibilitatis, aut doctrinae positam.

415. **Abstractio entis generalissime sumpti excludit distinctionem et importat confusionem; et contra abstractio entis determinati importat distinctionem et confusionem excludit.** — Patet ex dictis (n. praec.), nam ens generalissime sumptum

---

tendendum est quod haec nomina non semper eodem sensu usurpantur; nam ens *reale* quandoque significat ens *actuale*, idest ens physicum ut existens, quandoque ens *possibile* idest ens ut nomen, quandoque ens quod ab utroque praescindit. Ens *ideale* vero vel sumitur pro ente *rationis* et hoc proprissime; quandoque vero pro ente *possibili* et etiam pro ente prout ab utroque idest a possibili et actuali praescindit, sed ens sic ut importat aliquid exclusive objectivum valde improprie dicitur: ideale tamen proprie diceretur inquantum est a mente conceptum. Quandoque sumitur etiam pro ipsa conceptione mentis. Itaque ens reale potest proprie importare *esse ideale*, hoc tamen est distinctum ab *esse reali* ipsius, imo est ei extrinsecum omnino et nihil est aliud quam intelligere ex parte intellectus, et intelligi ex parte entis; unde *esse ideale* in ente importat esse relativum idest esse *praesens intellectui* ut objectum per actionem ipsius intellectus. (Cf., n. 190-191).

non importat aliquam notam distinctam inter plures notas objecti cum de omnibus possit vere praedicari, et ideo ab illis non distinguatur, unde aliquid confusum importat omnino ; igitur excludit distinctionem et importat confusionem. E contra abstractio entis determinati puta abstractio animalis ab homine, vel hominis a Petro importat distinctionem et ex hac parte excludit confusionem.

416. **Ens abstractum et ipsa abstractio.** — Cum dico ens abstractum duo intelliguntur, ipsa res seu objectum quod abstrahitur et ipsa abstractio ; ipsum objectum quod abstrahitur importat aliquid reale, nam importat esse et est, et dicitur vere ens et quidem independenter a mente, et propterea vere affirmatur de quocumque objecto reali et de proprietatibus realibus ipsius, sed ipsa abstractio non importat aliquid reale in objecto et non est realis abstractio quasi realis separatio entis indeterminate et generalissime sumpti ab objecto vel ab objectis singularibus individuis, vel determinatis in quibus a mente apprehenditur et a quibus abstrahitur.

417. **Existentia entis generalissimi seu abstractissimi.** — Unde ens generalissimum ut abstractum idest in statu abstractionis consideratum non existit nisi in mente et sic formaliter acceptum ut importat abstractionem est quid ideale et logicum ; tamen ipsum in sua objectivitate acceptum existit extra mentem, non tamen ut unum abstractum vel communicabile, sed individuatum. Unde est in mente et extra mentem, tamen diversimode ; est extra mentem cum suis determinationibus, explicationibus et distinctionibus, et non est unum tantum, sed multiplex ; est in mente modo confuso et indeterminato (1) unitatem habens quatenus mens

(1) Hic autem modus diversus quo enti alicui particulari con-

concipit ipsum abstrahendo a suis determinationibus, in quibus reperitur et in quibus divisum existit; unde a mente abstrahente habet unitatem et vi hujus abstractionis mentalis habet ut possit comparari ad multa et de illis praedicari (cf. n. 181 et 185).

418. **Corollarium.** — Ratio ergo entis, quae praedicatur, per se ut talis importat aliquid objectivum et reale a mente independens, et inde est quod propositiones in quibus ipsa affirmatur de rebus sunt verae vel falsae independenter a mente, prout ipsa verificatur vel non verificatur de subjecto cui tribuitur. — Unde si non importaret aliquid objectivum a mente independens, sed aliquid subjectivum ipsius mentis ratio entis esset vera de subjecto dependenter a mente ipsa, et proinde eo ipso quo a mente ei tribueretur. Unde propositiones falsae essent impossibiles.

419. **Ratio objectiva entis secundum se neque aliquid perfectum, neque imperfectum importat.** — Nam ratio objectiva entis generalissime accepta importat aliquid confusum prout menti objicitur, non aliquam rationem distinctam, ut dictum est

---

tingit esse extra mentem, puta in loco, et in mente ex modo diverso recipiendi et attingendi dependet; alio enim modo ipsum attingit, mens alio modo attingit locus in quo fortasse ei esse contingit; nam mens attingit intelligendo, locus autem quantitative et materialiter ipsum amplectendo, si est sermo de ente materiali, et ideo alia est relatio praesentialitatis, quam habet objectum idest ens ad mentem, et alia ad locum si enti contingat esse in loco. Mens enim potest multipliciter ipsum objectum attingere seu intelligere, idest magis vel minus perfecte ipsum penetrando distincte, vel confuse, a suis determinationibus abstrahendo puta a quantitate, ab individuatione etc., sed locus nonnisi uno modo idest cum suis determinationibus quantitativis etc. potest illud attingere et in se continere.

(n. 415), et propterea est applicabilis omnibus omnino sive perfectis sive imperfectis, ipsi naturae et ejus proprietatibus, toti et parti. Hoc autem fieri non posset si importaret secundum se aliquid perfectum vel imperfectum. Tamen ex parte mentis concipientis confuse importat imperfectum aliquid; unde imperfectio est in ipsa conceptione mentis.

420. **Unitas entis.** — Quia ens de pluribus singillatim sive perfectis sive imperfectis vere et proprie praedicatur, et haec multa sunt physice et realiter distincta, ideo ens physice loquendo non est unum tantum; similiter quia ens non importat unam rationem abstractam *distinctam* a coeteris, (n. 415) ideo ens proprie non est unum *metaphysice* quasi importet aliquam rationem abstractam vel abstractissimam *distinctam* sive perfectam sive imperfectam. Ens dicitur unum *logice* inquantum scilicet mens sub hoc uno nomine multa singillatim modo indistincto in eorum singularitate designat. — Haec unitas est a mente, tamen cum fundamento in re.

421. **Unitas et multiplicitas entis.** — Ens in natura est multiplex; unde non unum ens tantum sed multa entia habentur: quia tamen mens modo confusissimo potest apprehendere simul vel successive unumquodque ipsorum, ita scilicet ut ob confusissimam cognitionem unum non distinguat ab alio, ideo unumquodque eodem modo menti exhibetur vi talis cognitionis et eodem modo menti praesens est, idest sine ulla distinctione; et ideo ex parte mentis concipientis habetur unitas, non distinctio, quia menti concipienti idem est esse hoc vel illud sibi praesens vi talis cognitionis. Unde habetur unitas omnino relative ad mentem; sed per hoc non aufertur distinctio objectorum in natura, neque realitas objecti in se et in ordine ad mentem con-

cipientem. — Inde est quod mens potest designare unumquodque ipsorum per unum nomen indistincte.

422. **Ratio entis non est aliquid potentiale in natura quod evolvitur.** — Nam in natura plura entia existunt adinvecem distincta, imo et diversa. Non autem existit aliqua ratio entis imperfectissima unitatem habens quae evolvatur et determinetur in multa; hoc enim adserere absurdissimum est. Non enim potest concipi aliqua potentialitas realis minimum habens de perfectione, aut de entitate quae in multa determinetur et multipliciter perficiatur. Nam illa potentialitas esset summa in hypothesi sine ulla actualitate et determinatione, ea autem quae superadduntur tanquam explicationes sunt actus et perfectiones; actus autem et perfectiones haberi ex pura potentia repugnat omnino. De coetero si daretur ut sic non posset praedicari de rebus quia falsum est quod res singulares sint aliquid pure potentiale. Unde etiam si existeret non esset illud ens quod de omnibus praedicatur (cf. n. 417-419).

423. **Quomodo ens aliquid potentiale importet.** — Unde ratio *universalissima* entis est quid potentiale ea ratione qua menti ens exhibetur modo confuso et indeterminato. Tamen est aliquid reale praesens menti modo vago. Non autem est aliquid potentiale in se seu in natura, quia in natura ens ut abstractum non existit. — Praedicatur autem de rebus non ut abstractum, idest ut indeterminatum et potentiale, sed objective ut importat aliquid. Unde abstractio ex parte mentis requiritur ut conditio necessaria ut possit ens praedicari, sed non est objectum vel pars objecti quod praedicatur; aliis terminis objectum sive ens non praedicatur ut abstractum, et propterea de quolibet obiecto etiam de Deo ens potest praedicari, quia in sua objectiva praedicatione non importat aliquid potentiale.

424. **Distinctio rei ab ente.** — *Ens* est participium verbi substantivi *esse,* et est idem ac habens esse, seu existentiam; et ideo duo distinguuntur in *ent* nempe *res* quae habet esse, et *esse* seu existentia; e. g. in homine distinguitur ipse homo qui est *res* quaedam seu *essentia,* et ejus *existentia,* seu *esse.* Igitur *res,* seu *essentia,* dicitur *ens nominaliter* seu *substantive* sumptum; et dicitur *nominaliter* quia *ens* exprimitur per *nomen.* Ens autem prout importat etiam existentiam dicitur *ens* ut *participium* vel *ens simpliciter,* quia *ens,* simpliciter loquendo, est id cujus *actus est esse* seu existere. In usu tamen *res* et *ens* promiscue usurpantur, et nonnisi quandoque ob necessitatem adhibetur distinctio (1).

425. **Conclusio I.** *Ens transcendentale nullam compositionem importat, sed est omnino simplex.*

Prob.: Ens in partes resolvi nullo modo potest: individuum, e. g. Petrus, resolvitur in naturam spe-

(1) *Esse essentiae, esse existentiae, esse logicum.* Ex dictis patet triplex *esse* distingui debere 1.° *esse essentiae* per quod habetur *ens* expressum per nomen puta homo, lapis, res, cui opponitur *non esse essentiae* idest nihilum in ordine realitatis sive actualis sive possibilis, et dici potest nihilum metaphysicum, absolutum e. g. circulus quadratus; 2.° *esse existentiae,* per quod habetur *ens* participialiter sumptum designans actum *essentiae* et dicitur *existens,* cui opponitur non esse existentiae, idest nihil in ordine realis existentiae, hoc est nihilum physicum, non autem nihil absolutum, hoc est in ordine essentiae; 3.° *esse logicum* quod exprimitur per copulam *est* et hoc dupliciter; vel quia *logice* est deductum sicut esse causae ex effectibus; (Cf. S. Thom. P. I. q. 3. a. 4. ad 2.^{m}), et tunc habetur esse reale idest existentiae, et dici potest logicum quatenus *logice* deductum; vel quia exprimit ens rationis quatenus *est* potest applicari etiam negationibus vel privationibus, et habetur ens *logicum* proprie dictum seu ens rationis quod habet esse tantum objective in mente. — Cf. S. Th. De verit. qu. I. a. I; I, Dist. XIX qu. v. a. I; in IV Metaphys. lect. II; et opusc. de *ente et essentia.*

cificam et in notas individuantes ; species resolvitur in genus et differentiam; genus supremum resolvitur in *ens* et *per se subsistens,* si est substantia, in *ens* et *alteri inhaerens,* si est accidens. Sed ens amplius in partes resolvi nequit, cum supra ens nihil aliud sit ; et ideo est ultimus terminus ad quem per analysim pervenitur ; unde ens nullam compositionem importat, et est omnino simplex. Haec tamen simplicitas competit enti vi actionis et analysis mentis. Unde non est aliquid in ente objective per se inclusum, et ideo ens praedicatur etiam de rebus compositis. Et hoc adverte diligenter (cf. n. 419).

426. **Conclusio II.** — *Ens est quid communissimum inclusum seu imbibitum in omnibus.*

Prob. : Quod de omnibus praedicatur et sine quo nihil potest concipi est quid communissimum imbibitum seu inclūsum in omnibus omnino. Atqui ens de omnibus praedicatur, et sine eo nihil omnino potest concipi, nam sive concipiatur individuum, sive species, sive differentia, sive genus, concipitur ens, secus haec omnia essent nihil. Ergo ens est communissimum imbibitum seu inclusum in omnibus omnino.

427. **Conclusio III.** — *Ens proprie non est genus neque species.*

Prob.: Generi conjungitur aliquid quod non est genus, videlicet differentia, per quam genus trahitur ad speciem ; sed enti nihil quod non sit ens, sive nihil extraneum conjungi potest; quidquid enim ut positivum concipitur est ens. Ergo ens non est genus ; consequenter neque species quae in genere continetur. Insuper species constat ex genere et ex differentia ens autem omnino simplex est.

428. **Conclusio IV.** — *Ens non est univocum seu non eadem ratione de omnibus praedicatur* (1).

Prob.: Cum ratio univoca in rebus distinctis reperiatur, et ipsa formaliter et in se sumpta importet convenientiam et unitatem importat aliquid unum ut formaliter diversum ab iis, quae ut distinctiva in rebus univocis concipiuntur; e. g. homo importat aliquid formaliter diversum a notis individuantibus, et *animal* importat aliquid formaliter diversum a *rationalitate.* Atqui ratio entis non importat aliquid unum formaliter diversum ab iis, quae ut distinctiva in entibus sive in rebus univocis concipiuntur. Ergo ratio entis non est univoca; et ideo *ens* non est quid univocum etc. — *Prob. minor:* Nam ratio entis communissima est; et ideo de omnibus praedicatur, etiam de iis quibus res ab invicem distinguuntur; ergo non importat aliquid unum ut formaliter diversum ab iis, quae ut distinctiva in entibus sive in rebus concipiuntur.

Confirmatur: Si ratio entis esset univoca, nulla ratio distinctionis reperiretur in rebus; nam ratio univoca neque diversitatem, neque distinctionem in se et formaliter sumpta importat, sed convenientiam et unitatem. Cum ergo quidquid concipitur, sub ratione entis concipiatur, si ratio communissima entis esset univoca, sequeretur quod omnia, sub quacumque ratione considerentur, convenirent in ratione univoca entis, idest non importarent ullam diversitatem et distinctionem, et proinde essent unum (2).

429. **Conclusio V.** — *Ens proprie non est universale.*

Prob.: Proprie loquendo universale importat aliquid unum in se, seu in sua ratione formali indistinctum, quod de pluribus praedicatur, et per aliquid sibi extranenum (e. g. per notas individuantes, ut species,

(1) Cf. Goudin, IV pars., *Phil.* Metaph. Disp. I, qu. II, a. II.
(2) Cf. Goudin, ib.

vel per differentiam specificam, ut genus) determinatur et multiplicatur, et secundum suam rationem formalem aequaliter ad omnia, de quibus praedicatur, se habet. E contra *ens* non importat aliquid unum in se indistinctum et formaliter immultiplicatum, secus plura entia dari non possent, cum *ens* non habeat extraneum a quo multiplicetur ; quid enim concipitur quod non sit *ens ?* et ideo neque per aliquid sibi extraneum individuatur aut multiplicatur, neque secundum suam rationem formalem aequaliter se habet ad omnia, de quibus praedicatur; nam in uno e. g. in substantia importat rationem *per se subsistentis*, non enim *subsistentia*, aut *rationalitas* est quid extraneum rationi entis, sed rationem entis includit. Ergo ens, seu ratio entis, non est universale proprie loquendo. Quia tamen de omnibus essentialiter praedicatur ratione suae transcendentalitatis, ideo ipsi saepe universalitatem concedimus.

430. **Conclusio VI.** — *Entia determinata non distinguuntur ad invicem per differentias extraneas enti, sed quatenus exprimunt diversum modum essendi qui per ens non exprimitur.*

Prob.: Non enim ens suscipit differentias sibi extraneas, nam ipsum praedicatur intrinsece et essentialiter de omnibus rebus ; et ideo nihil ei extraneum esse potest. Quid enim est quod non sit ens ? Ergo ens non differt ab alio ente per differentiam quae non sit ens. Et tamen differt ens ab alio ente. Quomodo ergo ? Differt per hoc quod magis vel minus vel diversimode in rebus diversis et distinctis explicatur, sicut magis lucidum a minus lucido. Vel quia scilicet ipsa ratio entis est diversa in diversis, univocationem quantum est de se non importans.

431. **Corollaria.** — I. Ens *est* quid *analogum respectu eorum quibus tribuitur*. Nam ens non aequivoce (n. 25) dicitur de rebus diversis, sed quatenus hae

omnes, quamvis non eodem modo, conveniunt in communi ratione essendi, ordinem habentes ad illam rationem quam intellectus concipit in unaquaque ipsarum, cum praescindat a propria determinatione uniuscujusque, sive individuali, sive specifica, sive generica (cf. n. 27).

II. Ens proprie definiri non potest, nam ea quae definiri possunt constare debent genere et differentia et ideo sunt in genere, quod enti repugnat.

III. Individuum vage acceptum ut praescindit ab omni specie et genere quid analogum importat non univocum.

432. **Ens analogice dicitur de Deo et de creaturis.** — Nam non dicitur univoce, quia cum ens quod de Deo praedicatur, in actu praedicationis importet necessitatem, aseitatem, esse irreceptum, infinitum, ex hoc ipso quod Deo vere concepto ut tali idest ut distincto a creaturis tribuitur (si enim cum quis *ens* Deo tribuit non intelligit vere et proprie quid significet hoc nomen *Deus*, non loquitur et ideo non praedicat ens de Deo, sed de aliquo ente a ratione conficto), sequitur quod *non eadem ratione* simpliciter apprehendatur convenire et tribuatur ipsi Deo et creaturis, sed imo apprehendatur et asseratur eo ipso Deo convenire per excessum et quidem maximum. Sed non dicitur pure aequivoce, quia *ens* licet alio et alio modo, tamen vere et proprie convenit Deo et creaturis, et nulla aequivocatio committitur dum ens enuntiatur; igitur remanet quod dicatur analogice.

433. **Ens dicitur de Deo et de creaturis analogice analogia proportionis, proportionalitatis et etiam attributionis.** — Ens de Deo dicitur analogice, sed qua analogia? Respondetur 1.° analogia *proportionis;* non quidem ea proportione qua importatur certa

et determinata habitudo unius quantitatis ad aliam, nam cum esse Dei in infinitum excedat esse creaturae, non potest attendi talis proportio inter Deum et creaturam ; sed *proportione* generali modo accepta quatenus scilicet quaelibet habitudo effectus ad causam proportio dicitur secundum quod perfectio causae in effectu licet modo inferiori reperitur. (Cf. S. Th. P. I, qu. XII a. I, ad 4). — Potest autem attendi proportio inter Deum et creaturam secundum similitudinem proportionum quae attenduntur inter duas vel plures quantitates etiam quarum una summopere aliam excedit, et sic potest attendi quaedam aequalitas, ut si dicamus quantitatem X per suum dimidium divisam, idest per $\frac{X}{2}$ proportionem habere cum Y item per suum dimidium divisam, idest per $\frac{Y}{2}$. Unde haec proportio habetur $X : \frac{X}{2} :: Y : \frac{Y}{2}$ — Et ad similitudinem hujus proportionis dici potest : quod ita *ens* praedicatum de creatura se habeat ad ipsam creaturam, sicut esse praedicatum de Deo se habeat ad ipsum Deum. Unde in creatura importat esse receptum, finitum etc. in Deo esse irreceptum, infinitum etc. — Haec tamen *proportio* rectius dicitur *proportionalitas*, ut eam vocat S. Thomas (De verit. qu. II, a. 11, c.), quia non est proportio quantitativa, sed proportio ad similitudinem proportionis quantitativae intellecta. — Potest haec analogia entis dicti de creatura et de Deo considerari per ordinem ad tertium non quasi praesuppositum ontologice ante ipsum Deum, sed praesuppositum logice in intellectu humano à quo fit praedicatio. Ex hoc enim ipso quod intellectus humanus primo et per se cognoscit *ens objectivum* et *reale* ut praescindit a ratione creaturae et Dei,

non est mirum si mens creaturam et similiter Deum dicat esse *ens* reale per ordinem ad hujusmodi ens ab ipsa mente confusissime conceptum ut aliquid objectivum reale, et generalissime nominatum (cf. n. 417), non quidem tanquam ad aliquid praesuppositum ontologice vel ad aliquid perfectius, sed in ordine ad aliquid praecognitum reale objectivum licet indeterminate (1).

---

(1) *Opinio Scoti et Rosminii.* — Putat Scotus ens univoce praedicari quasi importans *eamdem rationem*, sed non eadem perfectione, neque eodem ordine, nec eodem modo. Rosminius autem docet ens dici univoce secundum minimam univocationem de Deo et de creaturis, et addit, quod hujusmodi ens est minimum possibile, est ens ideale quod ipsemet Deus abstrahit ab ipsa sua essentia. Unde realiter est ipse Deus licet non sit formaliter utpote a Deitate etc. abstractum. — Hae duae sententiae in hoc discriminare videntur quod prima ponit ens realiter existens, secunda ens possibile praedicari univoce de Deo et de creaturis.

Critica. — Utraque sententia admittens univocitatem entis rejicienda est omnino, ut patet ex dictis (n. 428 et 432). Sed oportet hujus erroris indigitare radicem, quae in eo sita est quod putetur ens abstractissimum importare distinctam aliquam rationem ; cum e contra exhibeat aliquid confusissimum (cf. n. 415). Insuper cum aliquod praedicatum indeterminatum et praecipue indeterminatissimum sicut est ratio entis tribuitur alicui subjecto, ex ipsa idea subjecti accipit suam determinationem ; et ideo praedicatio ipsa est diversa juxta diversitatem subjecti. Cum e. g. dico : Haec pictura est *homo*, praedicatum *homo* ex ipso subjecto quod est pictura aliam omnino rationem significat ac si *homo* applicetur Francisco. Similiter hoc nomen ens ex hoc ipso quod Deo applicatur, aliam simpliciter *rationem* significat ac si applicetur creaturae (cf. n. 432). Adde quod illa *ratio* entis quatenus convenit vere et realiter Deo vero ut concepto ab aliis rebus distincto non potest importare nisi improductum esse *actualissimum* et ideo *ipsum esse*, cum esse potentiale Deo omnino repugnet ; ac proinde impossibile omnino est quod creaturae conveniat, cum ratio entis praedicata de creatura in actu praedicationis saltem implicite importet aliquid potentiale, et ei

Caput IV.

De Essentiis rerum et earum existentia

(Aristotel. Categor. et VIII Metaphys cum comm. S. Thomae; S. Th. de ente et essentia cum comm. Cajet.; Suarez Disp. Metaph. disp. 31; Zigliara,, Ontol. Lib. II, cap. I, art. IV, V, VI; Liberatore, Ontol. Cap. I, art. II, III; Mercier, Ontol. l. II, sect. I, c. V; Lorenzelli; De Maria, Ontol.; Willems. Ontol. c. II).

434. **Ratio capitis.** — Hucusque egimus de ente indistincte prout sumitur tum nominaliter, tum ut participium; in presenti capite loquimur de ente exclusive nominaliter, idest prout est res seu essentia.

435. **Quid est essentia magis explicatur.** — Res quae a mente concipitur ita ut in suo conceptu objectivo nullam repugnantiam ad existendum involvat, dicitur *essentia*. Potest autem definiri vel describi *essentia: Id per quod respondetur* interroganti quid *res sit;* ut si quis quaerat quid est anima? respondetur: *principium primum vitae in his quae apud nos vivunt.* Est igitur *essentia* id, quo intellecto, res ipsa intelligitur, id quod est velut radix et subjectum omnium proprietatum quae in re sunt: id cujus actus est *esse,* seu existentia. *Essentia* dicitur etiam *natura,* vel *quidditas.* Dicitur *essentia* quasi importans ordinem ad *esse;* dicitur *natura* quasi importans ordinem ad *operationem* aliquam; dicitur *quidditas,* quia ipsa exprimit *quid* sit res; dicitur etiam *quod quid est, quod est* et *ratio.*

---

repugnet esse actualissimum. Aliis terminis non potest substineri praedicatio entis univoca de Deo et de creatura nisi ipsum esse actualissimum divinum confundatur cum esse creaturae, atque proinde sine saltem periculo pantheismi, quod quidem periculum evidentissimum est in expositione Rosminiana (cf. Nostram Introd. P. I, c. XIV).

436. **Notio existentiae.** — Licet quid intelligatur nomine *existentiae* omnibus notum sit, tamen ejus descriptio tradenda est quatenus a mente nostra ab *essentia* distincta concipitur. Ipsa propria definitione, cum sit res simplex, definiri non potest; sic autem describitur: *Id per quod respondetur quaestioni: An res sit;* vel: *Actus quo res ponitur extra statum possibilitatis: Actualitas essentiae: Ultima rei actualitas: Id quo res constituitur extra suas causas: Actualis rei praesentia in ordine physico seu reali, sistentia rei extra causam et nihilum;* et etiam: *quo est.*

437. **Essentiae rerum a nobis vere cognoscuntur.** — 1.° Nam saepe nos de essentiis rerum loquimur, imo semper de iis est sermo noster; unde loquimur de corporibus tam in genere quam in specie, puta de auro, de argento, de lapide, de animali, de sono, de colore, de sapore, de quantitate et de sexcentis aliis. Non autem de iis loqui possemus nisi aliquomodo ea cognosceremus. Absurdum est enim adserere, sicut nominales adserunt, nomina quibus utimur in nostris locutionibus res et objecta non significare cum totum genus humanum res et objecta exprimere intendat.

2.° Insuper in scientiis cum loquimur distinguimus objecta seu corpora simplicia a compositis; proprietates inter se se et ab ipsis corporibus, quibus juxta eorum diversitatem proprietates et leges adscribimus, discernimus; quod fieri non posset nisi aliquam horum omnium cognitionem et quidem scientificam haberemus.

3.° Supra ostendimus contra nominales (n. 193) universalia, quae perpetuo sunt objecta nostrae cognitionis, non esse pura nomina, et contra subjectivistas non esse puros mentis conceptus (n. 194); sed constituere ipsas rerum essentias (cf. n. 225

et n. 226 seqq.). — Consule etiam ea quae de objectivitate judiciorum contra Kantium disseruimus (n. 254 seqq.), et de rerum objectivitate (n. 376 seqq.).

438. **Essentiae rerum saltem omnes non cognoscuntur cognitione intuitiva sed abstractiva.** — Dixi saltem omnes quia haec quaestio diffusius suo loco examinabitur. In praesenti sufficiat animadvertere quod essentiae rerum cognoscuntur a nobis per earum proprietates, et hae cognoscuntur praecipue per correspondentes operationes. Sic e. g. homo cognoscitur et distinguitur ab aliis rebus quatenus importat capacitatem sciendi, seu quatenus ordinatur ex sua natura ad intelligendum, et ad ratiocinandum etc. — Similiter animal quatenus facultatibus seu proprietatibus sensitivis praeditum est, et quatenus ordinatur ad sentiendum. — Idem est dicendum de aliis. Haec autem cognitio quatenus ex proprietatibus infertur et ex operationibus, non est intuitiva, sed abstractiva. Vera tamen est et scientifica etiam esse potest quatenus ab effectuum cognitione ad cognitionem principii et causae procedimus (n. 148) (1).

439. **Essentiae rerum sunt a mente nostra independentes.** — *Prob.:* 1.° Mens nostra non est causa essentiarum, sed ipsas supponit tum in statu actualitatis, tum in statu possibilitatis. Ergo essentiae rerum a mente humana non dependent. — *Prob. antec.:* Si mens humana non existeret non propterea essentiae rerum esse cessarent; neque ante mentis humanae existentiam essentiae rerum seu ipsae res, puta sol, luna, lapis, aurum, elementa quibus constant puta hydrogenium, oxigenium etc. propria realitate carebant et multo minus propria objectivitate

(1) Cf. Rosselli l. c.

seu possibilitate; nam quamvis res plurimae sint quoad existentiam contingentes et temporaneae, non tamen quoad earum possibilitatem.

2.° Si essentiae rerum a mente penderent ideo penderent quia a mente procederent et efficierentur. Sed illud quod a mente procedit non est nisi conceptio subjectiva mentis. Ergo si essentiae a mente penderent non essent nisi mentis subjectivae conceptiones. — Unde haberetur subjectivismus quem supra late refutavimus (cf. n. 194, 225 seqq. et n. 376 seqq.).

440. **Essentia objective accepta, essentia realis, essentia idealis.** — Essentia triplici modo considerari potest 1.° exclusive seu praecisive in se ut exprimitur per definitionem (cf. n. 178, 182), et sic procul dubio est aliquid reale si reale accipiatur ut praescindit ab actuali et possibili (n. 407); sic accepta essentia dici potest considerari in sua objectivitate exclusive; unde dici potest essentia *objective* in se accepta; 2.° essentia potest considerari ut informatur seu actuatur ab esse existentiae, et sic accepta essentia a seipsa primo modo considerata essentialiter non distinguitur; unde eadem praedicata essentialia habet et eamdem suscipit definitionem, sed differt ab essentia hoc est a seipsa objective considerata quatenus importat existentiam a qua informatur et actuatur, et ideo quatenus importat praeter seipsam expressam per definitionem, relationem ad existentiam ex conjunctione ad ipsam. Unde dicitur realis non solum eo modo quo reale dicitur etiam ipsum possibile, sed etiam *realis* prout reale idem est ac *actuale* (n. 407); 3.° essentia potest considerari in ordine ad mentem concipientem ipsam; et sic eadem essentia nihil aliud importat (praeter seipsam) quam relationem ad mentem a qua essentia intelligitur, quae relatio importat esse ideale (n. 190).

441. **Essentia quoad triplicem statum.** — Igitur essentia eadem quoad sua attributa essentialia potest considerari quoad triplicem statum 1.° objective in se sine existentia idest in statu possibilitatis, et sic dici potest essentia *metaphysice*, 2.° cum actuali et reali existentia, et sic dici potest essentia *physice* et actualis realis ; 3.° ut est ab intellectu humano intellecta et sic nihil aliud importat (praeter seipsam objective definitam) quam *relationem* praesentialitatis in ratione objecti ipsi intellectui ; et hoc est per actionem ejusdem intellectus. — Haec relatio importat esse ideale per quod essentia dicitur esse in mente cum a mente intelligitur. — Et sic patet essentiam in sua objectivitate distingui et esse omnino independentemtum ab existentia, quae ei unitur contingenter, tum ab esse ideali quod forte in mente humana habet (cf. n. 190).

442. **Essentiarum dotes.** — Dotes essentiarum quatuor recensentur; 1.° necessitas ; 2.° immutabilitas; 3.° indivisibilitas ; 4.° aeternitas.

1.ª *Necessitas.* Nam 1.° attributa essentialia cum essentia necessario et inseparabiliter connectuntur ; e. g. *animal* et *rationale* inseparabiliter connectuntur cum *homine* non solum in *re*, idest quatenus in natura existit homo, sed etiam in *conceptu objectivo* hominis, in quo includuntur ; quae attributa essentialia, etiam singillatim sumpta, si non habeantur, ipsa essentia hominis non habetur. 2.° Essentia objicitur intellectui sine contingentia quam habet a parte rei ; et inde ut quid immobile et necessarium ; sed haec necessitas est necessitas negativa, quae se tenet ex parte essentiae ab existentia praecisae ; ipsi enim existentia contingenter conjungitur.

2.ª *Immutabilitas.* Essentiae rerum sunt omnino immutabiles *quoad attributa essentialia quibus consti-*

tuuntur, licet sint mutabiles *quoad accidentia,* quae eis superveniunt; *homo* e. g. non potest esse, neque concipi nisi ut *animal rationale,* et circulus nisi ut *figura rotunda.* Unde essentiae non possunt esse subjectum mutationis quoad attributa essentialia; si enim unum attributum essentiale auferatur ab aliqua essentia, ipsa essentia non remanet, neque proinde subjectum mutationis in ipsa mutatione manet (1).

3.ª *Indivisibilitas.* Essentiae rerum sunt etiam *indivisibiles quoad attributa essentialia;* nullum enim attributum potest ab eis separari vel dividi, remanente essentia; imo si essentia metaphysice sumatur, unum attributum essentiale ipsius ab alio separari nequit, ita ut separatum in esse perseveret e. g. in *homine animal* et *rationale* ita connectuntur, ut ab invicem separari nequeant. Potest etiam essentia physice considerari in rebus materialibus ut partibus physicis constat, et tunc una pars ab altera separari potest, seu dividi, non remanente essentia, e. g. *corpus* et *anima* rationalis hominis possunt ad invicem separari, non tamen remanente homine.

4.ª *Aeternitas.* — *Essentiae sunt aeternae aeternitate negativa.* Illud est aeternum aeternitate *positiva* cui competit habere actualitatem ab aeterno; et ideo existentiam ab aeterno; non enim datur actualitas essentiae sine existentia. Solus Deus est aeternus aeternitate positiva. Aeternum aeternitate *negativa* illud dicitur, quod licet in sua actualitate consideratum conjungatur tempori, tamen formaliter et essentialiter sumptum non importat tempus et ab intellectu concipitur sine tempore, quod ei conjungitur, idest abstractum a tempore. Vel etiam est aeternum quoad connexionem praedicatorum essen-

(1) Cf. Rosselli, *Summa Philos.* Methaph. qu. II, a. II.

tialium; sed haec aeternitas non est aeternitas quoad existentiam et absoluta seu simpliciter et physica, sed secundum quid et metaphysica; unde essentia seu natura secundum suam objectivitatem ab intellectu humano independentem in quovis tempore, et etiam extra tempus, importat talia attributa essentialia; unde posito quod ab aliquo intellectu concipiatur etiam ab aeterno, nonnisi cum hujusmodi attributis concipi potest.

443. **Corollarium.** — Quia essentiae rerum quoad connexionem praedicatorum praecipue nullo modo pendent a mente nostra, sed ab ea supponuntur, et quia dotes enumeratae conveniunt essentis ex ipsa connexione praedicatorum sequitur quod illae dotes sint omnino a mente nostra independentes.

444. **Quaestiones.** — Circa rerum essentias diversae moventur quaestiones, 1.°: An dependeant quoad propria constitutiva, quae sunt genus et differentia, a Deo, vel sint a Deo omnino independentes, 2.° a quo attributo divino dependentiam habeant, an scilicet a voluntate divina, an ab intellectu etc.

445. **Sententiae.** — 1.° Schola Wolfiana retinuit essentias rerum, et ideo intrinsecam rerum possibilitatem, pendere quidem a Deo quoad realem existentiam, sed nonnisi a seipsis pendere quoad earum ideale constitutivum. — 2.° E contra Okam scriptor saeculi decimi quarti, rejecta distinctione inter possibilitatem intrinsecam et extrinsecam, agnitaque sola extrinseca possibilitate, hanc docet desumi ab omnipotentia divina, a qua consequenter essentiae rerum pendent in hac sententia. — 3.° Renatus Descartes, seu Cartesius, docuit essentias rerum a libera Dei voluntate pendere; unde juxta ipsum quod homo sit animal rationale ex libera voluntate Dei est ita ut Deus potuisset, si voluisset, fa-

cere ut homo *non esset animal rationale,* vel ut *circulus non esset rotundus,* sicut etiam *ut summa angulorum in triangulo non esset aequalis duobus rectis.* Contra has sententias sequentes conclusiones ponimus:

446. **Conclusio I.** — *Essentiae rerum quoad sui constitutivum essentiale a Deo dependent.*

Prob. 1.°: Si essentiae rerum a Deo quoad proprium constitutivum non dependerent, sequeretur Deum dependere ab ipsis rerum essentiis in cognoscendo et in efficiendo; *in cognoscendo* quidem, quia cognitio, quae objectum supponit a cognoscente independens, ab objecto dependet; *in efficiendo,* quia in hac hypothesi Deus non potest quidquam facere nisi ad essentias ab ipso independentes adspiciendo, et illis essentiis innixus, eo modo quo homo in sua cognitione et in sua operatione ab objectis praesuppositis extrinsecis dependet. Atqui hoc adserere est absurdissimum, cum Deus sit primum ens, prima causa efficiens et exemplaris omnium rerum.

2.° Omnis veritas a prima, et essentiali veritate dependet; omne enim quod est tale per participationem ab eo quod est tale per essentiam intrinsece dependet. Atqui Deus est prima, infinita et per essentiam veritas. Ergo essentiae rerum essentialiter dependent a Deo.

3.° In essentiis rerum non habetur nisi esse reale et esse ideale hoc est esse existentiae in se et esse objectivum in ordine ad mentem. Atqui tum quoad esse reale, tum quoad esse ideale a Deo dependent. Ergo omnino a Deo dependent essentiae rerum. — *Prob. minor:* Et imprimis eas dependere a Deo quoad esse reale seu actuale ab omnibus conceditur; quoad esse ideale autem patet ex eo quod esse ideale non habent nisi ab intellectu divino a quo primo con-

cipiuntur et quo non existente, nullus intellectus existeret, et ideo nullum esse ideale haberent essentiae rerum.

Dices: Verum est in hypothesi Dei non existentis essentias rerum veritatem idealem non habere. Ergo saltem illud verum est independens a Deo.

Resp. negando conseq. Nam *nunc* verum est in hypothesi Dei non existentis essentias rerum veritatem idealem non habere, propterea quod *nunc* est intellectus apprehendens eas veritatem non habere in illa hypothesi. Sed quia intellectus apprehendens a Deo dependet, etiam illud verum in mente solummodo existens a Deo dependet. In hypothesi autem Dei non existentis nullus intellectus existeret, et ideo neque ullum verum, etiam in intellectu extaret. Sed haberetur nihilismus absolutus. (Cf., S. Th., 1.ª p., q. 16, a. 7 ad 4.m).

447. **Conclusio II.** — *Essentiae rerum non pendent neque a voluntate neque ab omnipotentia divina.*

Prob. 1.°: Si essentiae rerum a libera Dei voluntate aut ab omnipotentia divina penderent, fieri posset per Dei voluntatem quod essentiae non essent id quod sunt quoad propriam perfectionem essentialem qua constituuntur, idest posset fieri a voluntate divina quod e. g. *homo*, videlicet, *animal rationale, remanendo animal rationale, non esset animal rationale,* quod est contradictorium. Unde non haberetur amplius certitudo scientifica, quae est de rebus necessariis et immutabilibus, quae aliter esse non possunt, et quae supponit contradictoria non posse de eodem verificari simul secundum idem.

Insuper ipsa essentia mutata est essentia et non est essentia; e. g. *homo* sive *animal rationale* mutatum quoad proprium constitutivum est *animal ratio-*

nale et non est *animal rationale*, utpote non habens amplius *rationalitatem* aut *animalitatem:* et ideo esset *homo* et non *homo, ens* et *non ens.* Atqui Deus cum sit ens a se, non potest ferri in non ens, ut docet ipse Cartesius, idest non potest producere non ens, nam producere non ens est deficere in actione a productione, quod Deo convenire non potest.

Speciale argumentum circa omnipotentiam divinam: Si essentiae rerum dependerent ab omnipotentia divina, haec non supponeret eas esse possibiles, sed ipsae ideo essent possibiles, quia Deus eas posset producere; non ergo Deus diceretur omnipotens quia posset omnia quae sunt possibilia, sed diceretur omnipotens quia posset omnia quae posset, quod ridiculum est, cum quaelibet potentia etiam creaturae possit omnia quae potest.

448. **Conclusio III.** — *Essentiae rerum* 1.° *proxime et formaliter dependent ab intellectu divino, sed* 2.° *remote et mediate ab essentia divina.*

Prob. 1.ª *pars:* Nam essentiae rerum, ut supra ostensum est, a Deo dependent. Ergo aut a voluntate, aut ab omnipotentia, aut ab intellectu divino. Atqui neque ab omnipotentia, neque a voluntate, ut ostensum est. Ergo ab intellectu divino.

Confirmatur: Essentiae rerum, subtracta reali existentia secundum quam a voluntate divina dependent, non habent nisi esse ideale hoc est objectivum respectu mentis. Atqui quod habet exclusive esse ideale ab intellectu dependet, cum non habeat esse nisi in intellectu et ab intellectu. Ergo essentiae rerum formaliter pendent ab intellectu divino.

2.° Essentiae rerum sunt objectivae similitudines, et participabilitates, ut ita dicam, essentiae divinae. Atqui similitudo participabilis non potest intelligi

nisi prout dicit ordinem essentialem dependentiae ab exemplari formali et proximo, a quo possit participari, vel sub quo possit exemplari. Cum igitur exemplar proximum et formale rerum creatarum sint ideae divinae, seu sit essentia divina ut intellecta, sequitur quod essentiae rerum dependeant ab essentia divina ut intellecta, seu ab intellectu divino intelligente essentiam divinam, sicut a principio proximo.

3.° Si essentiae rerum formaliter proxime ab intellectu divino concipiente non dependerent, sed dependerent a sola essentia divina antequam conciperetur (ut ita dicam) intellecta ab intellectu divino, essentiae rerum jam conciperentur verae et ut realiter distinctae in ipsa essentia divina independenter ab intellectione intellectus divini. Atqui hoc simplicitati divinae essentiae repugnat; nam secus in ipsa conciperetur vera distinctio ante operationem cujuslibet intellectus, (Cf., S. Th., 1.ª p., qu. XV, a. 2). Ergo essentiae rerum ab intellectu divino dependent formaliter et vere sicut a principio proximo.

4.° Essentia divina non est vere et formaliter imitabilis a tali creatura, nisi ut idea, seu nisi ut intellecta ab intellectu divino. Sed essentiae rerum dependent ab essentia divina ut imitabilis est. Ergo essentiae rerum dependent ab essentia divina ut idea est, seu ut est intellecta ab intellectu divino. *Prob. major:* Quia essentia divina ut imitabilis habet rationem exemplaris; exemplar autem habet rationem ideae intellectae. Unde S. Thomas dicit (loc. cit.): « Inquantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut... ideam hujus creaturae ». Sed dignus est ut legatur citatus articulus S. Thomae ex quo haec argumenta efformavi.

Prob. 2.ª *pars :* Esse cognitum seu obiectivum et possibile supponit esse reale simpliciter loquendo et in ipso fundatur seu melius ordo logicus supponit ordinine realem ; essentiae autem rerum ab intellectu non habent nisi esse cognitum sive esse ideale et objectivum, et proinde supponunt aliquod esse reale in quo fundamentum habent. Atqui esse reale quod supponit intellectus divinus in cognoscendo non potest esse nisi essentia ipsa divina. Ergo essentiae rerum in essentia divina fundamentum habent, ac proinde ab ea remote et mediate pendent.

449. **Quare essentiae rerum sunt necessariae, immutabiles, aeternae.** — Ratio quare essentiae rerum his dotibus idest necessitate, immutabilitate et aeternitate donantur est quia ab intellectu necessario ex necessitate, ab intellectu immutabili immutabiliter, ab intellectu aeterno aeternaliter in illo statu obiectivo et possibilitatis concipiuntur. Et nonnisi absurdissime praedictas dotes per ipsam mentem humanam, quae contingens, mutabilis et temporanea est, explicare conamur. Ratio enim quae adsignatur debet esse proportionata iis quibus adsignatur.

450. **Quaestio altera.** — Nunc comparanda est essentia cum existentia, in qua comparatione quaeritur, an distinguantur inter se realiter, vel secundum rationem tantum, idest ex modo concipiendi. Affirmat S. Thomas et Thomistae realem distinctionem intercedere inter essentiam et existentiam. Scotus autem et Suarez, quos sequuntur multi recentiores, negant, agnoscentes dumtaxat distintionem rationis. Quidam dubitant de mente S. Thomae sed irrationabiliter, sic enim expresse ait: « Est ergo considerandum quod sicut esse *(existentia)* et *quod est* differunt in simplicibus secundum intentionem

ita in compositis differunt realiter » (1). Inde explicat quid intelligat per ens simplex dicens : quod « vere simplex... non potest esse nisi unum », et concludit : « Hoc autem simplex unum et sublime est Deus ». Et alibi idem S. Doctor ait : « Omne quod est in genere substantiae est compositum *reali compositione eo quod id* quod est in praedicamento substantiae est in suo esse subsistens et oportet quod esse suum sit aliud quam ipsum » et concludit quod « compositum est saltem ex esse et quod est » (2).

451. **Conclusio.** — *Essentia et existentia in rebus creatis realiter distinguuntur* (3). — Dico in rebus creatis; nam in Deo essentiam et existentiam realiter non distingui certissimum est.

Prob. 1.° : Existentia quae est idem realiter ac essentia est ipse Deus, seu una tantum. Ergo in rebus creatis essentia et existentia realiter distinguuntur. — *Prob: antec.:* Existentia quae est idem realiter ac essentia est in se et per se subsistens; existentia autem in se et per se subsistens est actualitas ultima in se et per se subsistens. Atqui actualitas ultima in se et per se subsistens est ipse Deus. Ergo existentia etc. — *Prob: minor :* Ultima actualitas in se et per se subsistens est ipsum *esse* subsistens quod excludit potentialitatem, cum non importet nisi esse, quod indifferenter omnes perfectiones respicit quantum est de se; et ideo si ponatur in se et per se realiter subsistens, omnes perfectiones includit, idest plenitudinem essendi ; et ideo non potest esse nisi unum, nempe Deus. Ergo existentia etc.

Prob. 2.° Quod non distinguitur realiter ab alio in illo realiter et essentialiter includitur, et ad

(1) In lib. Boetii lect. 2.

(2) Qq. disp. de ver. qu. 27. a. 1. ad 8.^{m}.; cf. I. Dist. 8 q. v. a. 2.

(3) Goudin, IV pars., *Philos.* Metaph., disp. I. q. II, a. III.

essentiam ejus realiter pertinet. Atqui quod ad essentiam alicujus rei pertinet, ut identicum cum illa, potest ingredi definitionem ipsius. Ergo si existentia non distinguitur realiter ab essentia, potest ingredi definitionem essentiae ; sic ergo cum definitur essentia aliqua, poterit semper afferri in medium existentia, ut aliquid ipsi essentiae intrinsecum. Imo in qualibet definitione essentiae existentia saltem implicite continebitur, secus definitio non totaliter essentiam continebit ; hoc autem absurdum est. Ergo in rebus creatis essentia et existentia realiter non sunt idem (1).

452. **Pro solutione difficultatum.** — Pro solutione difficultatum adverte 1.° quod adversarii supponunt essentiam existere vi sui, nos autem adserimus ipsam existere non vi sui, sed vi *realitatis* ab ipsa distinctae, quae est actualitas ejus, idest vi existentiae distinctae ab ipsa ad quam comparatur essentia sicut potentia ad actum. — Adverte 2.° vi existentiae multa convenire essentiae, puta esse existentem, esse contingentem, esse mutabilem, quatenus scilicet essentia potest esse existentiae induere aut amittere etc. ; sicut parieti convenit esse album ratione albedinis superadditae, et privari albedine et ideo mutari. — Adverte 3.° essentiam constitui extra causam per existentiam formaliter ut existentem, sed non constitui formaliter ut essentiam per existentiam, sed per seipsam expressam per definitionem. — Adverte 4.° essentiam formaliter vi sui importare realitatem, sed non actualitatem, hanc enim importat per existentiam a qua actuatur : unde essentia importat formaliter vi sui potentiam realem, non tamen est realiter sine existentia, quae requiritur tanquam conditio necessaria ad habendam actu realitatem essentiae in natura.

(1) Cf. Rosselli, Metaph., quaest. II, art. V. ; Gondin l. c.

Caput V.

De unitate, de identitate, de distinctione et de multitudine

(Aristot. V. Metaphys. cum comm. S. Thom. lect. 7 et 8; et in X. Metaph. lect. IV; item S. Th., p. I, qu. XI, a. I-II.; De verit. qu. VIII; Comm. Cajet et Bannes in I. P. l. c.; Suarez, l. c. disp. IV; Zigliara Ontol., l. II. cap. II, Art. I, II, c. III, art V; Liberatore, Ontol. cap. I, art. IV, V, cap. II, art. X, Prop. 8; Hugon et auct. praecit.).

453. **Ratio capitis et divisio eorum quae agenda sunt.** — Considerato ente in seipso, de proprietatibus entis remanet dicendum. Tres autem recensentur entis proprietates; videlicet: *unitas, veritas, bonitas;* et ideo de his omnibus dicendum est per tria capita. In praesenti quidem *de unitate;* in successivis *de veritate* et *bonitate.* Sed quia *unitati* opponitur *distinctio* et *multitudo, veritati* autem *falsitas* et *bonitati malitia,* ideo agendo de *unitate,* etiam de *distinctione* et *multitudine* in eodem capite agemus; agendo de *veritate* agemus simul de *falsitate,* et agendo de *bonitate* etiam de *malo* dicemus. Et quia bonitas importat perfectionem ad quam saepe sequitur quidam nitor qui pulchritudinem in bono importat ideo addimus quartum capitulum de pulchritudine.

454. **Unitatis notio ejusque praecipua divisio.** — Unum dicimus quod in se indistinctum seu indivisum est: unde *unitas* importat privationem seu negationem divisionis; sed quia divisio importat potentialitatem, et imperfectionem, ideo *unitas* importat privationem seu negationem imperfectionis;

consequenter importat aliquid positivum, non negativum, licet explicetur per terminos negativos (cf. n. 26). Haec est unitas transcendentalis quae afficit et consequitur ens transcendentale absolute consideratum. Sed praeter hanc unitatem distinguitur unitas numerica quae ad genus quantitatis pertinet, imo ipsa est quantitas proprie loquendo; nam unum unitate numerica proprie et per se dicitur res *quanta* aut pars ejus (e. g. cubitum), et ideo unitas numerica, licet dicat indivisionem, tamen importat intrinsece divisibilitatem, quam non importat per se loquendo unitas transcendentalis.

455. **Conclusio.** — *Unitas transcendentalis est realiter idem ac entitas rei; ab entitate tamen distinguitur secundum rationem.* — Quod distinguatur ratione patet, nam entitas praecise sumpta non dicit formaliter et explicite negationem divisionis quae formaliter importatur in unitate, ut unitas est. — Itaque *probatur* 1.ª *pars conclusionis:* Unitas transcendentalis, ut dictum est supra, non aliud significat quam rei indivisionem. Atqui indivisio non est aliqua realitas distincta a re quae dicitur indivisa. Ergo unitas transcendentalis non distinguitur realiter ab entitate rei, seu a re. — *Confirmatur:* Illud ipsum quod dicitur *ens* est etiam unum, idest indivisum. — *Confirmatur* 2.º quia omne ens aut est simplex, aut est compositum; si est simplex, non solum vi suae naturae est indivisum et ideo unum, sed etiam indivisibile; si autem est compositum, tamdiu est illud ens quod est, quamdiu est compositum, idest quamdiu est indivisum et consequenter unum. Unde esse rei seu natura rei in indivisione consistit. Hinc illud axioma in Scholis: *Unum et ens convertuntur* (1).

(1) Cf., S. Th., p. I, qu. XI, a. 1, c.

456. **Species diversae unitatis.** — Unitas, quae competit rei simplici omnino, dicitur unitas *indivisibilitatis :* unitas quae competit rei compositae dicitur unitas *compositionis,* et etiam perfectionis. — Unitas *compositionis* dicitur *naturalis,* si consistit ex partibus natura sua ordinatis ad talem unitatem constituendam, ut sunt anima et corpus in homine ; dicitur unitas *artificialis,* si constet ex partibus arte ordinatis, ut domus ; dicitur unitas *aggregationis,* si resultet ex partibus sola relatione contiguitatis unitis, ut lapidum acervus (1).

457. **Unitas per se et unitas per accidens, unitas numerica, specifica, generica.** — *Unitas* per se ea dicitur qua constituitur unum esse simpliciter sive res, quae habet esse, sit simplex, ut *anima* vel *angelus,* sive sit composita, ut *homo ; unitas* vero artificialis vel aggregationis, vel alterius cujuscunque rationis ex qua rei essentia non exurgit, dicitur *per accidens,* ut *unitas* ex *homine* et *colore. Unitas* quae dicit indivisionem in plura individua e. g. unitas *Petri* dicitur unitas *numerica ;* quae dicit indivisionem *in plures species,* ut *homo,* dicitur unitas *specifica ;* quae dicit indivisionem *in plura genera,* ut *animal,* dicitur *generica.*

458. **Unitas praedicamentalis et mensurae.** — Unitas numerica proprie dicta dicitur unitas praedicamentalis, quia cum illa sit quae habetur ex divisione quantitatis quatenus habet rationem mensurae, ad ipsam quantitatem pertinet et in ipsa et sub ipsa continetur ; quia igitur quantitas est praedicamentum merito unitas numerica proprie dicta dicitur praedicamentalis. Sed ipsa sub unitate transcendentali continetur, cum nihil sit quod sub tran-

(1) Cf. Lepidi, *Ontol.,* lib. II, lect. I, cap. III.

scendentalibus non contineatur. — Tamen ad unitatem transcendentalem addit 1.° determinationem quantitativam ; 2.° rationem mensurae. Quia ipsa mensurat quantitatem quamlibet. — Unde triplex est, sicut quantitas triplex distinguitur, idest *longitudo, latitudo, altitudo.*, quae in concreto mensuratur per unitatem quae dicitur *Centimetrum ; pondus* quod mensuratur per *grammum ;* et *tempus,* quod mensuratur per *secundum.* — Itaque unitas praedicamentalis potest distingui in unitatem longitudinis seu extensionis, in unitatem ponderis, in unitatem temporis : quae triplex unitas rationem mensurae importat, tum respectu quantitatis, tum respectu numeri (1).

459. **De identitate.** — Identica ea dicuntur, quae licet apprehendantur distinctis conceptibus, tamen non sunt distincta ; unde identica conveniunt in esse, et ideo identitas dici apte potest : *Convenientia rei cum seipsa,* E. g. *Tullius idem est ac Cicero, idem est sibi ipsi ; homo est idem ac animal rationale.* Est autem vel *numerica,* vel *specifica,* vel *generica,* ut de unitate dictum est. Insuper est vel *realis,* vel *rationis* seu *formalis,* secundum quod aut res est identica in re, quamvis sub diversis conceptibus intelligatur, ut *animalitas* et *rationalitas* in homine, vel secundum quod etiam ratione ipsa idem est, ut *homo* et *animal rationale.*

460. **De distinctione** (2). — *Distincta* dicuntur quae non habent idem esse, seu quorum unum non

(1) « Mensura nihil est aliud (ait S. Thomas) quam id quo quantitas rei cognoscitur per unum et numerum. Per unum quidem sicut cum dicimus *unum stadium* vel *unum pedem ;* per numerum autem sicut cum dicimus tria stadia vel tres pedes ; ulterius autem omnis numerus cognoscitur per unum eo quod unitas aliquoties sumpta quemlibet numerum reddit ». — Metaphys. X, lect. 2.

(2) Cf. Lepidi *Ontol.* lib. III, sect. I, cap. I.

est aliud, ideo *distinctio* dici potest: *Carentia identitatis inter plura:* nam distinctio identitati opponitur.

461. **Distinctio realis et rationis.** — Distinctio *realis* dici potest *carentia identitatis inter plura independenter a mentis consideratione;* e. g. lapis, arbor distinguuntur realiter, item anima et corpus etc. Distinctio *rationis,* quae etiam *logica* dicitur, est *carentia identitatis rebus conveniens per solam mentis considerationem et ab ipsa mentis consideratione pendens.* Ita in homine *animalitas* et *rationalitas* non sunt duae res distinctae; et tamen mens nostra ut duas res concipit. Haec est potius distinctio conceptuum quam distinctio rerum.

462. **Distinctio realis entitativa, modalis et virtualis.** — Distinctio *realis* alia est *realis major* seu *entitativa* seu *realis realis,* alia *modalis,* alia *virtualis. Realis major* est distinctio rei a re, sive hujusmodi res sint substantiae, sive accidentia, sive substantiae et accidentia; e. g. *anima* a *corpore, Petrus* a *Francisco, sapor pomi* ab ejus *colore,* distinguuntur distinctione reali *entitativa. Modalis* est distinctio rei a suo modo e. g. lineae a sua curvitate, hominis a sessione, deambulatione etc. *Virtualis* distinctio est fundamentum realis distinctionis, et propterea quamvis ipsa proprie non sit realis distinctio, tamen dicitur quandoque distinctio realis: e. g. *anima humana,* licet entitative sit una, est tamen virtualiter multiplex, idest non solum est *intellectiva,* sed etiam *sensitiva* et *vegetativa,* et ideo ipsa in homine praestat plures effectus, *sensationis, vegetationis* etc. Unde distinctio *virtualis* potius quam distinctio, est fundamentum *realis distinctionis* eorum quae res aliqua praestare potest; et est fundamentum distinguendi per rationem diversas formalitates quae realiter sunt

unum ; ut e. g. in homine *rationalitas et animalitas,* a quibus est sensatio et ratiocinium.

463. **Distinctio rationis ratiocinatae et ratiocinantis.** — Distinctio quae fit a mente in aliquo objecto, in quo proximum fundamentum talis distinctionis non reperitur, dicitur distinctio *rationis ratiocinantis ;* ut si distinguamus rationem *subjecti* vel rationem *praedicati* in aliqua re ; semper tamen oportet ut in tali objecto sit fundamentum aliquod remotum, secus vana omnino et nulla esset distinctio. Cum vero mens distinguit in una et eadem re, ob fundamentum proximum in ipsa existens, plures formalitates, quae tamen in re non distinguuntur, habetur distinctio rationis ratiocinatae ; et haec dicitur etiam distinctio *virtualis,* quatenus formalitates illae sunt vel costituunt principium potens plura producere realiter distincta. Hujusmodi est distinctio formalitatum in anima, quae innititur distinctioni virtuali.

464. **Distinctio rationis ratiocinatae major et minor.** — Distinctio rationis ratiocinatae seu virtualis alia est *major,* alia *minor.* Distinctio *major* est distinctio formalitatum, quarum una non includit aliam ; sicut e. g. animalitas et rationalitas, et generatim ratio generica rationem specificam non includit, et ideo, licet in eodem subjecto, in quo forte reperiuntur, sint realiter idem et inseparabiles, tamen possunt in diversis subjectis esse separata et distincta, ut e. g. *animalitas* separata invenitur a *rationalitate ;* et generatim ratio *generica* a ratione *specifica.* Haec distinctio dicitur etiam *metaphysica.* — Distinctio *minor* est distinctio formalitatum quarum una implicite continetur in alia, sicut una proprietas entis aliam continet ; e. g. *entitas* continet implicite *bonitatem* et *veritatem,* et vicissim,

neque possunt ab invicem separari, quia ubi est una et alia est; item unum attributum in Deo aliud continet, e. g. *justitia* implicite continet alia attributa (1).

465. — **Distinctio quidditativa.** — Saepe inter philosophos est sermo de distinctione quidditativa, quin tamen explicetur in quo consistat; itaque breviter a nobis explicanda est. — Distinctio quidditativa est distinctio quae attenditur inter varias quidditates seu essentias; unde ea quidditative distinguuntur quae definitiones distinctas suscipiunt. — Haec distinctio potest esse realis et rationis secundum quod quidditas definita distinguitur ab alia realiter vel ratione tamtum.

466. — **Distinctio quidditativa realis et rationis.** — Distinctio quidditativa est realis cum refertur ad res seu essentias reales quae se mutuo et explicite et implicite non se includunt in proprio conceptu. — Cum enim res seu essentiae reales se invicem in proprio conceptu objectivo non includunt neque implicite neque explicite, tunc vel ad invicem comparantur ut una sit omnino extra aliam, vel ut una sit in alia inclusa ut vera pars, quae proinde licet includatur ab alia, non tamen aliam includit. — Unde solummodo habetur distinctio quidditativa rationis cum duae quidditates seu essentiae defini-

(1) Scotus praeter distinctionem realem et rationis ponit aliam distinctionem mediam quam vocat *actualem formalem* a parte rei, quae neque realis est neque rationis. Haec tamen distinctio scotistica communiter a philosophis rejicitur; et merito quia est ipsa distinctio virtualis seu rationis ratiocinatae. Plura contra hanc scotisticam distinctionem habet Cajetanus in opusc. *Div. Thom.* de ente et essentia; et GOUDIN in *phil.* pars IV, disp. I, qu. III, a. II et communiter nostri theologi agentes de attributis Divinis; Cf. etiam nostram theol. spec. P. I. c. VIII, n. 95.

tae se mutuo explicite vel implicite includunt etiamsi quidditates definitae realitatem importent; ideo entitas et bonitas, animalitas et rationalitas designato homine secundum rationem tantum distinguuntur.

467. — **Distinctio in possibilibus.** — Distinximus ens actuale et ens possibile et utrumque diximus *ens reale;* (n. 407) igitur ea quae exposuimus de distinctione non solum rationis, quae attenditur secundum mentis conceptum, sed etiam de distinctione reali, conveniunt enti possibili. Unde ipsa possibilia concipiuntur a nobis distincta independenter a mente; sicut vere possibilia sunt independenter a mente nostra; homo possibilis e. g. realiter distinguitur a lapide possibili; et Petrus possibilis a Francisco possibili; et similiter res quaelibet possibilis sive in specie sive in individuo considerata realiter distinguitur ab iis rebus quae actu existunt, praecipue si res actu existentes se habeant tanquam causae in ordine ad ipsa possibilia. Unde aedificium possibile realiter distinguitur ab artifice a quo cogitatur et inde perficitur.

468. — **Distinctio quidditativa circa possibilia.** — Quia distinctio quidditativa respicit essentias rerum et essentiae rerum possunt considerari in statu possibilitatis, ideo haec distinctio etiam ipsis possibilibus convenit; possibilia enim inter se distinguuntur non solum secundum mentis considerationem, sed realiter hoc est distinctione reali. Possibile enim est vere ens reale, ipsae enim res sunt possibiles et distinguuntur ab ente rationis (cf. n. 407).

469. — **Distinctio realis et objectiva in possibilibus.** — Distinctio quae est inter possibilia vel inter possibilia et actu existentia dicitur et est vere realis utpote rerum quae habent esse distinctum secundum propriam definitionem independenter a mente

nostra ; sed tamen non est *realis* distinctio importans *existentiam realem in possibilibus.* Ideo ad cavendas aequivocationes, quae contingere possunt dum eis tribuimus distinctionem *realem,* consideremus ipsa secundum quod menti exhibentur per definitionem vel per apprehensionem ut *quaedam objecta* cognita seu percepta et dicamus ea distingui inter se se et ab existentibus puta ab ipso concipiente (e. g. ab artifice) *objective.* — Quae distinctio est media inter distinctionem rationis, et *realem* realitate existentiae.

470. **De Multitudine.** — Identitati opponitur distinctio et unitati opponitur *multitudo ;* nam multitudo importat divisionem, unitas autem indivisionem. Sed quia quodlibet indivisum est unum, ideo multitudo definiri vel describi potest : *Id quod est ex unis, quorum unum non est alterum.*

471. **Discrimen inter multitudinem et numerum.** — Quamvis quilibet numerus apte multitudo dici possit, non tamen proprie loquendo quaelibet multitudo dici potest numerus : etenim multitudo generice sumpta importat divisionem et pluralitatem entitatis, sive substantialis, sive accidentalis ; unde etiam in spiritualibus datur multitudo ; e contra numerus proprie loquendo resultat ex divisione quantitatis, vel importat divisionem quantitatis continuae, quae non potest resolvi in partes inextensas et simplices, ut suo loco probabitur, et ideo unitates, ex quibus constat numerus, non possunt esse simplices omnino. Unde proprie loquendo numerus rebus spiritualibus non convenit, quamvis eis conveniat multitudo, sed rebus extensione praeditis tantum. — Patet autem multitudinem opponi unitati ut unitas est, et propterea opponitur unitati, *quae est principium numeri et unitati transcendentali ;* diversimode tamen : unitati, *quae est principium nu-*

meri opponitur sicut mensuratum suae mensurae, unitati *trascendentali* sicut divisum indiviso. Sed quia multitudo numerica importat pluralitatem, quae est per divisionem materiae, et etiam ipsa continetur sub transcendentibus, dici potest quod opponitur etiam unitati numericae non solum ut mensuratum suae mensurae, sed etiam ut divisum indiviso (1).

472. **Corollaria.** — I. Quia unitas multiplex est et *numerica* et *specifica* etc. ita etiam multitudo quae unitati opponitur. Proinde aliquid potest esse *unum* et *multiplex ;* e. g. unum *genere,* et multiplex *specie,* unum *specie* et multiplex *numero ;* quod tamen dicitur simpliciter *multiplex* vel simpliciter *multa,* et secundum quid *unum* (2).

II. Omnis multitudo unitatem supponit et in unitate fundatur. Nam multitudo constat ex unis, ut dictum est, idest ex unitate repetita. Insuper multitudo importat divisionem, divisio autem praesupponit dividendum indivisum ; quod quidem aut est genus, aut species, aut subjectum, aut principium.

473. **Conclusio.** — *Multitudinem esse actu infinitam omnino repugnat.* — (S. Th., P. I., qu. VII, a. 4).

Prob.: Multitudo sive numerus si ponatur existens oportet ut sit in aliqua specie determinatus, nihil enim potest actu esse nisi determinatum, cum indeterminatum ut tale repugnet existere, e. g. si motus ponatur existens oportet ut respiciat aliquem terminum determinatum, item si animal existat, oportet

---

(1) S. Th. l. c. ad 1.^{m} — Cf. Goudin, log. maj., I, P. Disp. II. qu. II. a. V.

(2) Cf. S. Th. ib. ad 2.^{m}

ut sit vel rationale, vel irrationale. Atqui repugnat omnino multitudinem, sive numerum determinatum in aliqua specie esse infinitum. Ergo omnino repugnat multitudinem esse actu infinitam. — *Prob. minor :* 1.° quia quilibet numerus et quaelibet multitudo est mensurata ab unitate ; esse autem mensuratum infinito repugnat; 2.° quia quilibet numerus potest augeri per additionem unitatis, infinito autem repugnat additio, cum non habeat terminum cui aliquid addi possit ; 3.° quia quilibet numerus et multitudo aut est par aut impar, quod etiam repugnare infinito est manifestum (1).

474. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Non est impossibile id quod est in potentia reduci in actum. Atqui multitudo in potentia est infinita. Ergo non est impossibilis multitudo actu infinita.

Resp.: Distinguo maj. : Non est impossibile reduci ad actum *secundum modum sui esse, conc. ; aliter nego.* Et, *concessa minori, nego conseq.* — Multitudo non potest esse in actu nisi in aliqua determinata specie, non enim potest existere genus nisi in specie, nulla autem species multitudinis potest esse infinita ; sed qualibet specie data, potest major haberi in infinitum. Unde multitudo non potest esse tota simul sicut nec tempus, licet possit augeri in infinitum. (S. Th. p. I, qu. VII, a. IV. ad 1.^{m}).

Obj. 2.ª Cujuslibet speciei possibile est esse aliquod individuum in actu. Atqui species figurarum sunt infinitae. Ergo possibile est esse figuras actu infinitas.

Resp. : Dist. maj. : Successive *conc. ;* simul *nego.* « Species figurarum habent infinitatem ex infinitate numeri. Sunt enim species figurarum ut trilaterum,

(1) Cf. Rosselli, Metaph. qu. IX, art. 4., et Lepidi, *Ontol.*, lib. II, Sect. I, cap. III, art. III.

quadrilaterum, et sic inde. Unde sicut multitudo infinita numerabilis non reducitur in actum quod sit tota simul, ita nec multitudo figurarum ». P. I q. VII a. IV. ad 2.um

Caput VI.

De veritate et de falsitate

(S. August. Soliloq. l. II, c. V; et de vera relig. c. 36; S. Anselmus, cc. 7 11 et Monol. c. 31-36; S. Thom. in 1 Sent. dist. 17 et 39; et P. I, qu. 16 cum comm. Cajet., Bannes etc., Suarez, disp. VIII; Alamannus IV, P. Metaph. q. 17; Zigliara, Ontol. lib. II, cap. II, art. III et IV; Liberatore, Ontol. Cap. I, Art. VI; Lepidi, Sanseverino, Mercier, Lorenzelli, Hugon, C. Willems).

475. **Veritas ontologica seu metaphysica.** — Intellectus dicitur verus vel falsus ex hoc quod conformis est ipsis rebus de quibus judicat, vel difformis est ab eis. Conformitas autem quae est in intellectu ad rem, est *veritas logica* (n. 125). Et non solum intellectus dicitur verus, sed etiam *res* dicuntur *verae* et *falsae;* e. g. dicitur *vera* sapientia, *falsus* nummus etc.; et ideo veritas est etiam in rebus. Igitur veritas quae est in rebus ut distinguatur a veritate, quae est in intellectu dicitur veritas *metaphysica;* dici etiam potest *transcendentalis, ontologica, objectiva.*

476. **Conclusio I.** — *Veritas ontologica realiter est entitas rei quae dicitur vera, et entitas rei est ipsa veritas ontologica.*

Prob. 1.a *pars: Omne verum ontologicum est ens,* nam verum ontologicum importat adaequationem sive ordinem ad intellectum. Atqui adaequatio rei, sive ordo rei ad intellectum, non potest esse nisi in ente. Ergo omne verum ontologicum est ens. Inde illud tritum axioma: *Verum et ens convertuntur.*

Prob. 2.ª *pars :* Veritas importat adaequationem; et quidem veritas logica adaequationem intellectus cognoscentis ad rem cognitam, unde in intellectu est veritas, cum ipsi intellectui cognoscenti objectum correspondet; veritas autem ontologica e contra importat adaequationem seu ordinem rei ad intellectum, sive *actu*, si intellectus *actu* rem cognoscat, sive *potentia*, si intellectus rem possit cognoscere, et non cognoscat de facto, quae adaequatio sive ordo rei ad intellectum est rei intelligibilitas. Atqui omne ens per hoc quod est, idest vi suae entitatis, importat intelligibilitatem seu adaequationem sive ordinem ad intellectum, saltem in potentia. Ergo omne ens, vi suae entitatis, est verum.

477. **Conclusio II.** — *Veritas ontologica rerum essentialiter pendet ab intellectu divino.*

Prob. : Veritas ontologica rerum importat conformitatem seu adaequationem ipsarum ad intellectum divinum seu ad ideas intellectus divini sicut ad propria exemplaria sub quibus res totaliter exemplatae sunt. Atqui conformitas et adaequatio rei exemplatae omnino et essentialiter dependet a suo exemplari. Ergo veritas ontologica rerum essentialiter dependet ab intellectu divino.

Confirmatur: Quamvis praeter ideas divinas sint alia exemplaria ab eis distincta, sicut ideae artificis humani, tamen non sunt prima exemplaria, sed derivata totaliter, etiam ut exemplaria sunt, ab ideis divinis. Ergo non solum conformitas rerum quae immediate a Deo producuntur et sunt exemplatae sub ideis divinis immediate, sed etiam conformitas rerum ad alia exemplaria ab ideis divinis distincta essentialiter dependet ab ideis et ab intellectu divino, et ideo etiam veritas ontologica ipsarum (1).

(1) Cf. S. Th., p. I. qu. XVI, a. 1. C.

478. **Conclusio III.** — *Veritas ontologica rerum dicit ordinem ad intellectum creatum, 2.° sed ab intellectu creato non pendet, 3.° imo intellectus creatus dependet a veritate ontologica rerum* (1).

Prob. 1.ª *pars :* Veritas idem est ac conformitas seu intelligibilitas. Atqui in rebus habetur conformitas vel in actu vel in potentia, et ideo intelligibilitas in ordine ad intellectum creatum, nam res intelliguntur vel saltem possunt intelligi ab intellectu creato. Ergo veritas rerum dicitur etiam in ordine ad intellectum creatum.

Prob. 2.ª *pars :* Veritas ab illo intellectu essentialiter non pendet sine quo ipsa potest esse. Atqui veritas ontologica rerum esse absolute potest etiamsi non intelligatur ab intellectu creato, imo etiamsi intellectus creatus non existat (n. 314, 438, 446); nam in hac hypothesi res semper haberent conformitatem ad intellectum divinum. Ergo veritas ontologica rerum non pendet ab intellectu creato.

Prob. 3.ª *pars :* Intellectus creatus non dicitur verus nisi conformetur rebus, quas non causat, sed quas praesupponit, et quidem quatenus habent conformitatem ad intellectum divinum. Ergo a veritate ontologica rerum mensuratur et dependet (n. 314).

479. **Corollaria.** — I. Veritas prius est in intellectu quam in rebus. Nam ratio veritatis dicit rationem conformitatis; in rebus autem nulla est conformitas ad intellectum, nisi in eo praesupponatur cognitio quae est conformitas; et consequenter veritas est prius in intellectu absolute loquendo; et vi hujus est conformitas in re ad intellectum. Unde conformitas, sive veritas, quae est in rebus, a conformitate sive a veritate, quae est in intellectu, derivatur, et quidem primo a conformitate quae est in intellectu divino.

(1) S. Th. l. c.

II. Res sunt verae veritate derivata et participata a veritate quae est in intellectu divino, et quae est prima veritas. Lapis, e. g. est verus lapis quia conformatur veritati lapidis in mente divina existenti seu ideae quae est exemplar lapidis. Nulla ergo esset veritas, si non esset intellectus divinus.

480. **Quomodo res dicantur verae in nostris locutionibus.** — I. Tamen ex hoc non sequitur quod in nostris locutionibus a nobis res dicantur verae in ordine ad intellectum divinum, quia talis ordo et conformitas rerum ad intellectum divinum a nobis non cognoscitur, cum intellectus divinus a nobis non cognoscatur, directe et intuitive, sed per ratiocinium et abstractive; res autem nominantur secundum quod cognoscuntur.

II. Dicuntur ergo res verae a nobis per ordinem ad alium intellectum ab intellectu divino derivatum et dependendem, idest in ordine ad intellectum nostrum, qui solus in se et in suo exercitio directe est nobis notus.

III. Non autem dicuntur verae in ordine ad intellectum nude sumptum ut facultas est, sed ut cognoscentem, inquantum scilicet in ipso est vi abstractionis prototypus rei quae dicitur vera. Prototypus autem rei singularis existentis, quae dicitur vera, est ipsa res abstracta in sua specie vel genere etc. expressa a mente per definitionem. Unde aliquis dicitur verus homo per hoc quod constat animalitate et rationalitate, et verum vinum dicitur ille humor qui ex expressione uvarum per fermentationem habetur.

481. **Objectiones contra 1.^{am} conclusionem.** — *Obj.* 1.^{a} — Verum est proprie in intellectu. Atqui ens est proprie in rebus. Ergo verum et ens non sunt realiter idem.

Resp.: Dist. maj.: Verum logicum, *conc.;* verum ontologicum, *subdist:* Est proprie et exclusive in intellectu, *nego;* est in intellectu et in rebus *conc. Et, transmissa minori, nego conseq.* — Conclusio nostra est de vero ontologico, quod est ipsum ens dicens ordinem seu conformitatem ad intellectum divinum (1).

Obj. 2.ª — Id quod se extendit ad ens et non ens non convertitur cum ente. Atqui verum se extendit ad ens et non ens. Ergo verum et ens non convertuntur. — *Prob. minor:* Privatio e. g. *caecitas* est vera caecitas.

Resp.: Dist. min.: Verum se extendit *ad non ens* ut est *non ens* in se, *nego;* ad *non ens* ut est quoddam ens rationis, *concedo;* et *nego consequentiam.* — Non ens ut privatio, e. g. *caecitas,* non importat *esse,* neque aliquid, sed *negationem* perfectionis; et proinde non importat ordinem seu conformitatem ad intellectum per se, ordo enim nonnisi in re vere esse potest; tamen intellectus concipiendo esse illud quod est caecitati oppositum idest *visum,* apprehendit etiam *negationem* ejus idest *visus,* quam facit ipse: negatio autem, cum sit opus intellectus, apprehenditur ab intellectu, et sic apprehenditur *privatio* seu *negatio,* prout est ens ab intellectu seu a ratione effectum; et sic negatio, ut est ens rationis, dicitur vera (2).

Obj 3.ª Verum prius est quam ens. Ergo non est idem ac ens. — *Prob. antec.:* Quia ens sine ratione veri non potest intelligi.

Resp.: Dist. antec.: Verum *ontologice sumptum* prius est quam ens, *nego;* nam prius concipitur ens, posterius ipsum *esse* conforme intellectui; verum *lo-*

(1) Cf. S. Th., P. I. qu. V. a. I. ad 1.m
(2) Cf. S. Th. ib. ad 2.m

gice sumptum, subdist: In intellectu divino, *conc.;* in intellectu creato, *nego. Dist.* etiam *minorem:* Ens non potest intelligi sine ratione veri *ontologice sumpti, nego;* potest enim intelligi ens quin intelligatur ejus conformitas ad intellectum: *logice sumpti, transeat.* — Ens potest intelligi quin intelligatur ejus intelligibilitas idest ejus conformitas ad intellectum, potest etiam intelligi quin intelligatur conformitas, quae est in intellectu ad ens; non tamen potest intelligi nisi conformitas habeatur ad ipsum in intellectu, qui illud ens intelligit; quae conformitas est veritas logica (1).

482. **Observatio.** — Adverte, veritatem de qua locuti sumus in conclusionibus esse veritatem *formalem:* ad cujus majorem intelligentiam observandum est veritatem tripliciter sumi, idest 1.° *fundamentaliter,* et est ipsa entitas rei in se considerata, seu est *id quod est;* 2.° *formaliter* secundum quod veritas est distincta ratione a rei entitate, idest est ipsa entitas ut dicens *ordinem* ad *intellectum,* 3.° *effective* seu *logice,* prout scilicet est in intellectu cognoscente, et est ipsa conformitas seu adaequatio intellectus ad rem (n. 128).

483. **Definitio falsitatis.** — Falsitas veritati opponitur; et ideo definitionem oppositam suscipit et definitur: *Difformitas sive inaequalitas rei et intellectus.* Sicut enim res aliqua a nobis denominata, puta aurum vel argentum, dicitur vera per hoc quod correspondet prototypo in mente et a mente concepto sive definito (cf. n. 480), ita dicitur falsa si ei non correspondet. Unde si dicatur aurum id quod est plumbum, habetur falsitas quatenus plumbum, vocatum vel conceptum ut aurum, *auro* prout exprimitur per definitionem non correspondet.

(1) Ib. ad 3.m

484. **Corollaria.** — I. Falsitas proprie non est nisi in intellectu et quidem per accidens; quia proprie difformitas est in intellectu ad rem, cum intellectus apprehendit, idest judicat *esse id quod non est,* e. g. esse aurum quod non est aurum, aut apprehendit, idest judicat *non esse id quod est,* ut cum judicat Petrum *non esse* virtuosum, et Petrus est virtuosus. — *Est per accidens,* quia per accidens omnino est quod intellectus apprehendat sive judicet *esse id quod non est, aut non esse id quod est;* nam per se ordinatur ad apprehendendum *objectum esse id quod est.*

II. Falsitas non est in rebus formaliter, nisi quatenus res per sua exteriora falsitatis causam et occasionem intellectui praebent; nam falsitas formaliter sumpta opponitur veritati formaliter sumptae, veritas autem formaliter sumpta est ipsa rei intelligibilitas: et ideo falsitas formaliter sumpta si daretur esset rei inintelligibilitas. Atqui nulla res est inintelligibilis, licet per accidens quandoque non intelligatur; nam quaelibet res potest intelligi. Ergo falsitas formaliter sumpta non est in rebus. Unde res dicuntur falsae ex eo quod praebent intellectui ansam erroris seu falsitatis, quatenus scilicet exteriora alicujus rei, per quae in cognitionem ipsius rei pervenimus, sunt similia exterioribus alterius rei tali similitudine, ut nata sint ingerere opinionem falsam ut in pluribus; e. g. *color* alicujus metalli talem potest habere similitudinem colori auri, ut fere omnes homines, aut majorem partem hominum possit in errorem inducere; et tale metallum dicitur falsum aurum; sed quia hoc est per accidens, ideo etiam res dicuntur falsae per accidens et secundum quid, idest in ordine ad intellectum, quatenus errare potest in judicando et nominando.

485. **Conclusio.** — *Nulla res dici falsa potest respectu intellectus divini.*

Prob.: Nulla res, proprie loquendo, dicitur falsa nisi ex hoc quod ejus exteriora propter similitudinem ad exteriora alterius rei possunt esse occasio erroris. Atqui nulla res respectu intellectus divini potest esse occasio errandi. Ergo nulla res respectu intellectus divini dici potest falsa.

Confirmatur: Quaelibet res a conceptione intellectus divini procedit et essentialiter dependet, sicut artefactum a conceptione artificis, qui in suo opere conficiendo nunquam deficit. Ergo quaelibet res semper et necessario et plene intelligitur ab intellectu divino, et ideo nunquam ab intellectu divino est *difformis*, idest nunquam falsa respectu intellectus divini (1).

486. **Observatio.** — Adverte tamen res quandoque dici falsas respectu intellectus divini improprie, non propter difformitatem ad ipsum in intelligendo, sed propter difformitatem ad ipsum in regulando, quia scilicet ei non conformantur tanquam regulae. Et ita quia actiones hominum peccaminosae, licet perfectissime ab intellectu divino cognitae, non sunt conformes ipsimet intellectui divino, ut *regulae*, ideo in sacris litteris quandoque peccata *mendacia* et *falsitates* dicuntur.

(1) Cf. S. Th., qu. XVII, a. 3.

Caput VII.

De bono et de malo

(Aristot. I. Ethic et V. Metaphys.; S. Aug. de doctr. christ. l. I. P. LXXXIV, 32, et de Trin. l. VIII, c. 3; S. Thomas, q. 21 de verit., et P I. q. 5 cum comm. Caj., Bannes, Pegues; Suarez, dis. 10; Zigliara, Ontol Lib. II cap. II, art. V et VI; Lepidi, Ontol., lib. II, Sect. I, c. III, art. IV et V; Liberatore, Ontol. cap. I, art. VII; Hugon, et cit. auct.).

487. **Quid sit bonum declaratur.** — Illud quod unumquodque appetit dicitur bonum; unde scholastici dixerunt *bonum* esse *quod omnia appetunt.* Quod quidem scholasticorum principium non ita est intelligendum quasi unumquodque bonum ab omnibus appetatur, sed ita ut quidquid appetitur habeat aliqualiter rationem boni. Igitur bonum est quod est appetibile, seu appetitui aliquo modo conveniens. Appetitui autem non est conveniens nisi quod appetentem aliquo modo perficit. Unde ratio boni aliquomodo perfectionem importat; formaliter et entitative quidem in objecto, quod bonum dicitur, effective autem in appetente quod a bono perficitur (1).

488. **Corollarium.** — Ergo proprie bonum idem est ac perfectum. Perfectum autem est fundamentum appetibilitatis; nam appetibilitas est ordo, seu relatio rei aliquo modo perfectae ad appetitum: unde perfectum, et consequenter bonum, dici potest *appetibile fundamentaliter;* hoc enim significat fundamentum appetibilitatis, quae consequenter est potius proprietas consequens bonitatem quam ipsa bonitas. Ex his diversae conclusiones inferuntur (2).

---

(1) Cf. Rosselli. Metaph., qu. XV, a. II.

(2) Cf. Comm. Caj. in p. I. S. Th., q. V. a. I.

489. **Conclusio I.** — *Bonum et ens convertuntur, idest omne bonum est ens, et omne ens est bonum.*

Declaratur : Bonum idem est ac id quod aliquo modo perfectum est. Atqui id quod aliquo modo perfectum est idem est realiter ac ens ; nam quidquid aliquo modo est perfectum, est in actu, cum potentia dicat imperfectionem ; quod autem est actu, habet esse in actu, et ideo est ens. Ergo omne bonum est ens. — Insuper ens proprie est id quod habet esse et ideo quod est in actu. Atqui quidquid est in actu aliquo modo est perfectum, et ideo bonum ; nam unumquodque est perfectum inquantum est actu. Ergo omne ens est bonum ; et ideo bonum et ens convertuntur. Distinguuntur tamen ratione, quia bonum importat quamdam formalitatem, quam non importat ens, quae est perfectio, et relatio ad appetitum.

490. **Conclusio II.** — *Ex hoc quod aliquid dicitur simpliciter ens,* 1.° *non sequitur posse dici bonum simpliciter,* 2.° *sequitur tamen posse dici bonum secundum quid.*

Declaratur 1.ª *pars :* Ex hoc quod aliquid est ens, non sequitur ipsum esse *simpliciter perfectum.* Atqui bonum formaliter idem est ac perfectum. Ergo nec sequitur ens esse simpliciter bonum.

Declaratur 2.ª *pars :* Ex hoc quod aliquid dicitur *simpliciter ens,* sequitur ipsum esse aliquo modo in actu, et ideo aliquo modo perfectum ; ergo etiam aliquo modo dici potest bonum, idest bonum *secundum quid,* idest eo modo quo est ens in actu, nempe *inquantum est ens.*

Confirmatur : Ens dicitur *simpliciter ens* per illud quo primo discernitur ab eo quod est in potentia. Atqui illud per quod primo ens discernitur ab eo quod est in potentia, est esse substantiale ipsius ; et per quod non dicitur simpliciter bonum, sed per

accidentia superaddita, per quae fit perfectum simpliciter, et fit ens secundum quid, idest fit *ens tale*, sicut per sapientiam *homo* fit *sapiens*. Ergo ex hoc quod aliquid dicitur *ens simpliciter*, non dicitur *bonum simpliciter*, sed potius per hoc quod aliquid dicitur *ens secundum quid*, idest per accidentia superaddita, dicitur *bonum simpliciter* (2).

491. **Conclusio III.** — *Bonum proprie dicitur de solis rebus existentibus.*

Prob. : Bonum idem est ac aliquo modo perfectum. Atqui nihil dici potest perfectum, nisi habeat existentiam ; nam quae existentia carent sunt in potentia, quae dicit essentialiter imperfectionem. Ergo bonum proprie dicitur de solis existentibus.

Confirmatur : Cum bonum sit appetibile, ei competit trahere voluntatem, dilectionem in ipsa excitando. Atqui nihil potest trahere voluntatem, nisi aliquo modo existat. Ergo bonum nonnisi existentibus convenit. — Potest tamen aliquid idealiter conceptum a mente, in re non existens, ratione suae existentiae futurae trahere voluntatem ; ac proinde aliquid non existens potest dici bonum, non tamen in actu, sed in potentia ; habet enim rationem finis et moventis.

492. **Conclusio IV.** — *Ratio boni consistit in modo, specie et ordine.*

Prob.: Ratio bonitatis consistit in ratione perfectionis, unde unumquodque dicitur bonum in quantum est perfectum. Atqui perfectio rerum consistit in *modo, specie* et *ordine*. Ergo ratio boni consistit in modo, specie et ordine. — *Prob. minor* : Ad hoc ut res sit perfecta requiritur forma quae est actus et per-

(2) Cf. S. Th., l. c. a. 3, ad 1.^{m}

fectio; ipsa forma autem praeexigit: 1.° ut principia sive materialia, sive efficientia ipsam, sint commensurata et aptata ut habeatur *determinatio* ipsius formae: in hoc autem *modus* consistit; 2.° requiritur quod per formam res constituatur in sua *specie;* 3.° ad formam consequitur inclinatio rei in finem, et in hoc consistit *ordo* (1).

493. **Species boni.** — Bonum dicitur *verum* et *reale* cum aliquid vere et realiter est perfectivum appetentis; dicitur *apparens* et *falsum,* si appareat esse perfectivum, sed realiter perfectivum non sit; dicitur bonum *utile* quod appetitur ut medium ad aliquem finem consequendum; dicitur *honestum* quod est consentaneum voluntati per rationem ordinatae; dicitur bonum *delectabile* quod per hoc quod possidetur appetitum quietat. (S. Th. P. I. q. v. a VI).

494. **Mali notio.** — Malum opponitur bono, et ideo per oppositionem ad bonum definitur. Ergo malum est illud quod per se non est appetibile, quod appetenti non convenit, est perfectionis negatio. Sed non quaecumque negatio perfectionis dicitur malum, sed *negatio* perfectionis in subjecto talem perfectionem ex sua natura exigente: e. g. negatio visionis in animali, non in arbore; unde malum importat *privationem* perfectionis in subjecto (2).

495. **Malum dupliciter sumitur.** — Malum potest exprimi per terminum concretum et per terminum abstractum. Si exprimatur per terminum concretum, designat subjectum et carentiam perfectionis, ut e. g. *caecus.* Si autem exprimatur per terminum abstractum, designat *solam carentiam perfectionis, seu*

(1) Cf. S. Th. l. c., a. v. Rosselli. Metaph., quaest. XI, art. I.

(2) De malo agit S. Aug. De Mor. Manich. l. II. c. 4, et De Civ. Dei l. XI, c. 22; S. Thom., P. I. qu. 48-49 ubi vide Comm. Caj. Bannez, etc.

bonitatis, ut *caecitas.* Prima acceptio respicit malum in subjecto; secunda respicit malum in se. Haec distinctio est seduio consideranda.

496. **Malum physicum et malum morale.** — Malum dividitur etiam in *physicum* et *morale.* Malum *physicum* est privatio, seu carentia perfectionis debitae, ut caecitas, aegritudo. Malum *morale* est privatio ordinis, quo praedita esse debet actio intellectualis naturae ad praescriptas regulas morum, seu ad legem, ut occidere innocentem, furari etc.

497. **Malum non est nisi in subjecto bono.** — Malum nonnisi in aliquo subjecto bono reperitur, nam malum, sive physice sive moraliter sumatur, est carentia debitae perfectionis in subjecto capaci; sed subjectum capax debitae perfectionis est ens, habet esse, est in actu; et ideo aliquo modo perfectum; consequenter est bonum (1).

498. **Quaestio.** — Nunc movetur quaestio, an sicut existit summum bonum, quod est causa omnis boni, existat etiam aliquod summum malum quod sit causa omnis mali. Manichaei posuerunt existere duo summa principia ad invicem contraria, initio carentia et fine, unum summum bonum, alterum summum malum. Contra quos sit:

499. **Conclusio.** — *Summum malum nullo modo existere potest.*

Prob.: Sicut summum bonum de sui ratione excludit omne malum, ita summum malum de sui ratione, si existat, excludit omne bonum. Atqui repugnat existere aliquid quod excludat omne bonum. Ergo repugnat existere summum malum. — *Prob. minor:* Quod excludit omne bonum excludit *ens* vel *esse* (n. 489 concl. I), et ideo est *non ens.* Atqui repugnat existere

(1) S. Th., p. I, q. XLVIII, a. 3.

non ens. Ergo repugnat existere aliquid quod excludat omne bonum.

Confirmatur : Malum est privatio bonitatis seu perfectionis, seu entitatis, ita ut quanto majus est malum, tanto magis privat aliquod subjectum bonitate, perfectione et entitate. Ergo summum malum excludit quamlibet bonitatem, perfectionem, entitatem. Ergo est *non ens,* hoc est : *nihil.* Ergo repugnat summum malum existere (1).

Dices Manichaeos admisisse summum malum esse non privationem, aut negationem, sed quoddam subjectum, quod necessario influeret malum ex sua natura.

Sed contra : neque hac interpretatione admissa (quae est expresse contra auctoritatem S. Augustini, qui Manichaeorum sententiam certe agnovit, et contra auctoritatem aliorum SS. Patrum) substineri potest existere summum malum. Nam aut tale subjectum est aliquid increatum, seu improductum, aut aliquid creatum. Atqui neque aliquid increatum, neque aliquid creatum esse potest. Ergo nullo modo existere potest tale subjectum. — *Prob. minor :* Non potest esse aliquid increatum ; nam si est aliquid increatum, est *ens*, seu habet esse, secus esset nihil : imo habet esse per essentiam suam, seu est ens per essentiam, et consequenter est in actu et perfectum, et ideo *bonum* per essentiam suam. Ergo non potest esse ex sua natura malum, ita ut necessario malum influat in rebus. Si autem est aliquid creatum, procul dubio a summo bono creatum est, ac proinde est participatio bonitatis ipsius et in sua natura

---

(1) Cf. S. Th., p. I, quaest. XLVIX, a. 3 ; Rosselli, Metaph., quaest. XV, art. III ; et Per. Div. Thom., a. XXIV, 1903, pag. 131.

bonum; non ergo ex sua natura potest esse malum, neque ex sua natura necessario influere malum, sed bonum, nam bonum est diffusivum sui.

500. **Quaestio altera.** — Si summum malum, a quo omne malum originem ducat, non existit, undenam est malum? Malum enim existit in rebus. Pro solutione hujus quaestionis sit.

501. **Conclusio.** — *Malum* 1.° *non potuit habere originem nisi a bono,* 2.° *non quidem per se,* 3.° *sed per accidens.*

Prob. 1.ª *pars:* Malum non est a se, sed ab alio et in alio. Atqui praeter malum non existit nisi bonum. Ergo malum non potest esse nisi a bono.

Prob. 2.ª *pars:* Illud non producitur per se, quod per se ab agente non intenditur, vel ad quod producendum virtus agentis per se non ordinatur. Sed malum a bono per se non intenditur, neque ad producendum malum virtus agentis per se ordinatur. Ergo malum a bono non potuit per se originem habere. — *Declaratur major:* Agens aut operatur ex cognitione, et tunc non dicitur producere per se nisi illud quod per se intendit; unde fossor non intendens thesaurum, si thesaurum inveniat, non dicitur illum per se invenire, sed per accidens; aut agens operatur naturaliter sine cognitione, et non dicitur producere per se, nisi illud, ad quod producendum sua virtus per se, sive naturaliter ordinatur. — *Prob. minor:* Nullum agens intendit *non ens* in sua operatione, cum agat ex appetitu, malum autem est non ens (n. 494). Insuper bonum est naturaliter ex sua virtute diffusivum sui, et ideo quaelibet virtus per se respicit bonum.

Prob. 3.ª *pars:* 1.° Malum est a bono, ut ostensum est. Sed non est a bono per se. Ergo est a bono per accidens.

2.° Malum, cum sit carentia debitae perfectionis, aut est ex deficentia virtutis, sicut cum artifex ex imperitia, sive ex impotentia non producit formam in opere; aut ex indispositione materiae, quia scilicet materia non est apta ad suscipiendam formam, quam agens intendit, sicut lignum viride non est aptum ad suscipiendam formam ignis; aut ex nimia virtute agentis excludentis unam formam et inducentis novam, sicut cum ignis excludit formam ligni inducens formam ignis. Atqui in quacumque recensita hypothesi malum producitur a bono per accidens. Ergo malum nonnisi per accidens produci potest. — *Declaratur minor:* Nam in prima hypothesi malum producitur ex deficientia virtutis, quatenus non inducitur debita perfectio; consequenter non per se producitur ab agente, sed per accidens; in secunda hypothesi malum sequitur ex indispositione materiae, ergo non ex virtute agentis, et ideo non per se ab agente producitur; in tertia hypothesi malum sequitur ex efficacia virtutis excludentis a subjecto veterem formam. Sed agens non intendit excludere a subjecto formam, quam habet, nisi quatenus intendit novam formam suae similem inducere, sicut ignis intendit inducere formam ignis per se, et ratione hujus formae inducendae excludit formam veterem a subjecto, e. g. formam ligni a ligno, cui est malum exclusio talis formae; unde non per se, sed per accidens malum est ex bono vel ex agente.

Confirmatur: 1.° Produci per se non competit nisi effectui. Sed malum, idest carentia debitae perfectionis in subjecto, proprie non est effectus, sed defectus. Ergo non potest produci per se, sed solum per accidens. — 2.° Nullum agens intendit non ens, per se loquendo; nam agens intendit finem qui

habet rationem appetibilis, et ideo rationem boni, et ideo neque intendit malum (1).

CAPUT VIII.

De pulchro

(Cf. nostram Theol. P. I. c. VII; S. AUG. l. IV. Conf., De Civ. Dei l. 22, c. 19; S. THOM. opusc. De Pulchro; TAINE, Philos. de l'Art; VALLET, L'Idée de beau dans la philos. de Saint Thom.; DE WULF., La valeur de Beau etc.; ZIGLIARA, Ontol. lib. II, cap. II, art. VII; LEPIDI, Ontol. lib. II, sect. I, cap. III, art. VI; LIBERATORE, Ontol. cap. I, art. VIII; Card. MERCIER, Ontol. n. 266-282; DE MARIA, SCHIFFINI, HUGON in Ontol.; KRUG., De pulchritudine divina).

502. **Difficultas materiae.** — Nullus est qui non percipiat significationem hujus vocis *pulchrum;* sed declarare philosophice quid sit pulchrum est quam difficillimum.

503. **Pulchrum per alios sensus exteriores non percipitur quam per visum et auditum.** — Si fiat sermo de rebus sensibilibus, nonnisi objecta, quae possunt percipi per visum et auditum, pulchra dicuntur; non enim hoc nomine *pulchri* appellantur odores, sapores, dura, mollia; sed dicitur pulchra pictura ob varios colores et partium proportiones; item dicitur pulcher concentus etc. (2).

504. **Proprium objectum visus aut auditus non est ratio pulchritudinis.** — Sed tamen neque objectum proprium visus neque auditus sunt ipsa

(1) Cf. S. Th., l. c., art. I

(2) S. TH., 1-2. q. 27. a. 1. ad 3.^{m} ait « Illi sensus praecipue respiciunt pulchrum qui maxime cognoscitivi sunt, scilicet visus et auditus rationi deservientes; dicimus enim pulchra visibilia et pulchros sonos. In sensibilibus autem aliorum sensuum non utimur nomine pulchritudinis, non enim dicimus pulchros sapores aut odores ».

ratio pulchritudinis. Nam proprium objectum vĭsus est *color ;* et auditus est *sonus :* sed neque *color* per auditum, neque *sonus* per visum percipitur ; e contra pulchrum per utrumque sensum percipitur.

505. **Neque visus neque auditus per se percipiunt pulchritudinem.** — Quod per se percipitur ab aliqua facultate, ab omnibus habentibus talem facultatem percipitur, si in facultate ipsa non sit defectus, et ipsa sit expedita ad agendum, et sit completa, et si ejus perceptio sit intuitiva. Atqui in objecto pulchro non ab omnibus habentibus facultatem visivam, aut auditivam, quamvis sine defectu, quamvis expeditam ad agendum, quamvis completam, quamvis perceptio talis facultatis sit intuitio, percipitur pulchritudo. Ergo neque visus, neque auditus per se percipiunt pulchrum. — *Minor prob.* 1.° ex eo quod in brutis animalibus est facultas visiva et auditiva, et quandoque etiam perfectior quam in hominibus ; et tamen pulchritudinem non percipiunt, quamvis percipiant *colores,* quantitatem, plures partes etc. et percipiant sonum. 2.° Pueri habent facultatem visivam et auditivam, et quidem perfectiorem quam senes, et tamen senes, etiam qui defectuosam habent, pulchritudinem percipiunt saepe, quam non percipiunt juvenes ; aut perfectius percipiunt. 3.° Animus disciplinatus valde perfectius pulchritudinem percipit quam rudis ; disciplina autem non pertinet ad facultatem visus, neque auditus ; sed ad facultatem interiorem, quae est intellectus.

506. **Corollaria.** — I. Pulchrum a solo intellectu primo et per se percipitur.

II. A sensibus autem nonnisi per accidens pulchrum percipitur, quatenus scilicet sensus apprehendunt aliquid per se in quo pulchritudo reperitur, quae ab intellectu percipitur (n. 268-269).

III. Pulchritudinis ratio non est ipsa ratio utilitatis aut delectabilitatis; nam objectum utile aut delectabile etiam per alios sensus percipitur, non solum per visum et per auditum.

507. **Requisita ad rationem pulchritudinis habendam.** — Pulchritudo nonnisi ex effectu ejus declaratur, nam pulchra dicuntur quae secundum apprehensionem placent. Sed non placent ea quae sunt imperfecta, manca, confusa, sine ordine, sine proportione, neque ea quae sunt foeda et indeterminata. Igitur ad pulchritudinem requiritur *perfectio, ordo, species, modus, proportio et nitor* seu *splendor*. Quae si adsint, habetur pulchritudo; non autem si desint (1).

508. **Corollaria.** — I. Quia illa omnia quae nuper recensita sunt, idest *ordo, perfectio* etc. possunt verificari etiam in *specie*, idest in re secundum ea quae extrinsecus patent, et in similitudine quae rei exteriora repraesentat, hinc est quod etiam *somnia, fabulosae narrationes* etc. pulchra dicuntur.

II. Pulchrum non solum dicit ordinem ad intellectum, sed etiam ad voluntatem; nam pulchrum apprehenditur ab intellectu, et causat *complacentiam* quamdam in ipsa voluntate (2).

III. Hinc definiri potest quid sit pulchritudo: *Splendor formae integrae cum ordine et proportione.*

IV. Quia ordo et proportio secundum quod rebus perfectis conveniunt, in rebus spiritualibus attenditur praecipue et simpliciter respectu ultimi finis, qui Deus est, in quo consistit vera perfectio intellectualis seu spiritualis naturae, ideo vera pulchri-

(1) Cf. Hugon, Ontol. I, pag. 152-156.
(2) Cf. Krug. De pulchritudine divina, l. I, c. II.

tudo spiritualis nonnisi per virtutem habetur, per quam Deum natura spiritualis consequitur.

V. Contra honestatem non pulchritudo, sed turpitudo habetur.

VI. Quia pulchritudo spiritualis attenditur in rebus per hoc quod conformantur normae seu regulae propriarum actionum, et suprema norma et regula actionum est Deus, sequitur Deum esse pulcherrimum inter omnia.

509. **Pulchrum ideale et pulchrum reale.** — Pulchrum dividitur primo in *ideale* et *reale*. Pulchrum *ideale* dicitur typus quidam in mente existens et a mente conceptus, velut exemplar perfectum, quem imitari intelliguntur ea, quae fiunt in natura, aut per artem, magis vel minus ei conformitatem habentia; et est *duplex*, idest *divinum*, cui conformantur naturalia, et *humanum* cui conformantur artificialia. Pulchrum *reale* est objectum reale pulchrum *ideale* imitans, ab eo retrahens splendorem, perfectionem, ordinem et proportionem. Unde quo magis aliqua res haec retrahit, eo pulchrior evadit.

510. **Pulchrum sensibile, pulchrum spirituale.** — Pulchrum aliud est *sensibile*, aliud est *spirituale*; et spirituale potest considerari *physice* et *moraliter*. Pulchrum *sensibile* dici potest: *Splendor formae integrae cum ordine et proportione partium in rebus sensibilibus*. Et *splendor formae* etc. *in rebus spiritualibus* constituit *pulchrum spirituale*, quod dici potest *physicum* si ipsae res spirituales in proprio constitutivo et in his quae in eis concipiuntur ut superaddita tanquam ejus perfectiones considerentur; si autem considerentur moraliter, idest secundum quod per suas operationes conformantur regulae et mensurae, a qua diriguntur in finem, habetur pulchrum *morale*, quod dici potest *splendor honestatis*.

Caput IX.

De actu et potentia

(Aristoteles, IX Metaphys. et Physic. II, III, VII et VIII, cum comm. S. Thomae; De ente et essentia cum comm. Cajet.; Alamannus, q. 27; Goudin, Metaphys.; Zigliara, Ontol., lib. II. cap. I, art. II; Liberatore, Ontol. cap. II, art. I; Card. Mercier, De Maria, Schiffini, Card. Lorenzelli, Hugon, in eorum ontologiis).

511. **Ratio capitis.** — Hucusque de ente et de ejus proprietatibus egimus: dicendum ergo remanet de his in quae ens divitur; prima autem divisio entis est in *actum* et *potentiam*, nam actus et potentia dividunt ens et quodlibet genus entis, et ideo de actu et de potentia agendum est. Quod duobus capitibus perficiemus, in quorum primo definitiones et divisiones varias actus et potentiae trademus atque actum et potentiam adinvicem comparabimus; in secundo vero intimius naturam potentiae ontologicae, quae specialem difficultatem exhibet, examinabimus praecipue in ordine ad intellectum a quo pendet eam considerantes.

512. **Habere aliquid in actu, habere aliquid in potentia.** — Multa sunt quae a nobis actualiter habentur de facto et possidentur, ita e. g. a docto habetur doctrina, a virtuoso habetur virtus etc.; et similiter multa sunt quae non habentur de facto, sed tamen possunt haberi vel acquiri, ita a vitioso non habetur virtus, neque a rudi viro habetur scientia. Igitur cum aliquid actu habetur, si manet in habente et ad ipsum pertinet aliquo modo perficiens eum dicitur *actus* ipsius. Potest tamen magis vel minus perfecte aliquid, puta scientia, virtus etc. pos-

sideri tamquam perfectio; et sic contingit haberi aliquid actu modo imperfecto, quo in casu actus est potentiae mixtus. Similiter quod actu habetur vel non habetur potest esse aliquid accidentale, ut de doctrina in homine dictum est, vel aliquid substantiale, sicut in corpore humano dum vivit est anima, hinc variae species actus et potentiae a philosophis distinguuntur.

513. **Definitio seu notio actus.** — *Actus* utpote simplicissimus, propria definitione definiri non potest, potest tamen explicari quid sit. Si etymologia nominis spectetur actus ab agere dicitur, unde idem est ac *actio*, et quamvis actus vere et proprie sumi possit et de facto saepe sumatur pro ipsa actione, tamen ejus significatio proprie accepta generalior est. Unde saepe sumitur pro ipso effectu actionis qui inducitur in aliquo subjecto seu in aliqua re; et quia effectus inductus per actionem importat perfectionem in re in qua inducitur, ideo *actus* generaliter et quidem proprie, sumitur pro quacumque perfectione. Unde *actus* generatim loquendo perfectio quaedam est (1); et ideo entitatem importat. Variae species actus a scholasticis recensentur; nos praecipuas cum Goudin referimus (2).

514. **Actus purus et non purus.** — Actus *purus* dicitur qui est omnino sine potentia, seu qui non admiscetur potentiae. Actum autem admisceri potentiae dupliciter contingere potest: 1.° quia est actus ali-

(1) Aristoteles (l. IX. Metaphys. c. IX) sic actum definit: *Est autem actus rem existere non ita quemadmodum dicimus potestate.* Ipsemet Aristot. actum sumptum pro actione vocat energiam, et pro perfectione, entelechiam. — Cf. *Revue Thomiste,* 1893 n. 6, et 1899.

(2) Goudin. IV partis *phil.*, disp. I, q. I, a. II.

cujus potentiae, ut anima corporis; 2.° quia ipse actus ad alium actum ordinatur, e. g. intellectus hominis est actus ordinatus ad intelligendum, neque est ipsum suum intelligere; sicut quaelibet creatura habet *esse,* sed non est *esse,* quod habet, seu, ut ajunt scholastici, non est *suum esse.* Actus igitur *non purus* dicitur, qui est *admixtus potentiae,* seu qui est vel actus alicujus potentiae, vel est in potentia ad ulteriorem actum, a quo perfici intelligitur.

515. **Actus formalis et actus essendi.** — Actus non purus dividitur in actum *formalem,* et actum *essendi,* seu in actum *essentiae* et actum *existentiae. Actus formalis* est quo essentia determinatur ad certam speciem rei, unde idem est ac forma; e. g. *anima* in vivente est actus formalis. *Actus essendi* est ipsum *esse,* seu *existere.*

516. **Actus primus et actus secundus.** — Actus qui alium actum in subjecto non supponit dicitur *actus primus,* sicut e. g. *forma substantialis,* et in specie *anima* in vivente. Actus qui alium actum supponit dicitur *actus secundus,* sicut e. g. *operatio,* quae supponit existentiam subjecti, et *existentia* vel *esse* in creaturis est actus secundus respectu essentiae, vel formae substantialis.

517. **Actus per se subsistens, actus per se non subsistens.** — *Actus* qui solus existere potest, ut angelus, anima rationalis, dicitur *per se subsistens.* Qui tamen est vel *perfecte per se subsistens,* si nullum ordinem ad materiam habeat ut angelus; *non perfecte per se subsistens* si dicat ordinem ad materiam, sicut anima rationalis. Actus vero qui solus esse nequit dicitur *per se non subsistens;* e. g. *anima bruti. Actus per se non subsistens* subdividitur in *substantialem,* seu in *subsistentem,* et est qui dat esse

simpliciter potentiae suae, idest subjecto substantiali; (1) et *accidentalem* seu non subsistentem; et est qui supponit esse in sua potentia, seu supponit esse simpliciter in suo subjecto; sicut *albedo* supponit *esse parietis* in pariete (2).

518. **Triplex actus seu perfectio in ente.** — Perfectio seu actus in aliqua re, vel in aliquo subjecto triplex consideratur: 1.° *Perfectio*, qua subjectum constituitur in sua determinata specie, quin consideretur ejus realis existentia; e. g. potest considerari corpus vivum, definitione expressum, quin consideretur existens; constituitur autem corpus vivum per animam, quae proinde est actus ejus. 2.° *Perfectio,* qua subjectum in sua specie jam constitutum realiter existit, potest enim considerari ipsum subjectum actualiter existere. 3.° *Perfectio,* quae superadditur subjecto existenti, et qua subjectum perficitur, ut virtus aut doctrina in homine. Primus actus dicitur *essentialis,* secundus dicitur *existentia* vel *esse,* tertius dicitur *accidens* (n. 13).

519. **Quid sit potentia explicatur.** — Id quod ordinatur ad actum potentia dicitur. Ad actum autem aliquid dupliciter ordinari intelligitur: *active* producendo ipsum, *passive* illud recipiendo. Unde potentia dici potest *aptitudo aliquid faciendi vel recipiendi.*

---

(1) Dicitur subsistens quia licet per se non subsistat, tamen subsistit simul cum subjecto seu cum potentia cui dat esse substantiale. Unde neque ipsa potentia cui dat esse est per se subsistens, licet sit subsistens utpote potentia substantialis. Illud quod per se subsistit est compositum. — Attende aliud esse *subsistere* aliud *per se subsistere.*

(2) Cf. nostram *Theol. Specialem,* vol. I, n. 510, et vol. II, c. XV, n. 176, SUBSISTENTIA.

520. **Potentia activa et potentia passiva.** — Potentia activa potius est actus quam potentia, metaphysice loquendo; dici autem potest *aptitudo aliquid faciendi.* Potentia vero passiva est *aptitudo ad recipiendum actum,* e. g. in tela est aptitudo ad recipiendam figuram. Unde esse in *potentia* est habere aptitudinem ad actum.

521. **Potentia passiva pura et non pura.** — Potentia passiva alia est *pura,* alia *non pura;* prima est quae nullum actum importat ut materia prima; secunda est quae licet aliquem actum importet, ordinatur tamen ad ulteriorem actum, sicut potentia subjecti ad accidentia.

522. **Potentia naturalis et obedientialis.** — Potentia *naturalis* ea est quae ordinatur ad *actum viribus naturae proportionatum,* ut ad calorem est potentia naturalis in aqua, vel ferro. Potentia *obedientialis* ea dicitur quae *ordinatur* ad *actum vires naturae excedentem et a Deo inductum,* quatenus Deus supra leges naturae operatur. Duplex enim potentia passiva in creatura distinguitur, una per respectum ad agens naturale, et dicitur potentia *naturalis;* alia per respectum ad agens primum, quatenus supra naturae leges operatur, et dicitur potentia *obedientialis,* secundum quam quaelibet creatura suo Creatori obedit ad nutum; nam quanto aliqua virtus activa est altior, tanto eamdem rem potest perducere in altiorem effectum. — Aliqui, quos inter Suarez, Card. Mazzella et generatim Molinistae, potentiam obedientialem in creatura distinguunt in *activam* et *passivam.* Attamen *passiva* tantum dari videtur; et ideo:

523. **Conclusio.** — *Non potest dari potentia obedientialis* activa *sine additione novae virtutis.*

Prob.: Potentia obedientialis activa aut esset ipsa virtus naturalis activa creaturae entitative accepta,

aut vis superaddita virtuti naturali cujuslibet creaturae veluti participatio divinae omnipotentiae. Si primum, sequeretur ipsam virtutem naturalem esse naturalem et supernaturalem simul; naturalem, ut supponitur; supernaturalem, quia esset de se ordinata ad actum excedentem vires naturae; si secundum, sequeretur etiam simile inconveniens, nam illa vis utpote omni creaturae conveniens esset naturalis; sed insuper esset supernaturalis utpote ordinata ad effectum viribus naturae improportionatum. Ergo potentia obedientialis *activa* non datur in creatura, sed potentia obedientialis est per se et essentialiter potentia passiva (1)

524. **Potentia subjectiva et potentia objectiva.** — Potentia passiva alia est *subjectiva,* et est *aptitudo* seu capacitas *in subjecto ad actum suscipiendum ;* imo dici potest etiam *capacitas in subjecto existente ad actum susceptum retinendum,* si actum jam susceperit. Unde quod resultat dicitur compositum ex actu et potentia. Haec potentia dicitur etiam physica. Potentia vero *objectiva,* quae etiam *logica* et *ontologica* et *metaphysica* dicitur, est *mera possibilitas* actus, seu pura non repugnantia vel idealis aptitudo ad existendum fundata in non repugnantia terminorum, e. g. *mons* aut *aedificium aureum,* vel *alius mundus* a *praesenti distinctus* nullam repugnantiam involvunt. Haec dicitur etiam possibilitas intrinseca rerum, et ex sola non repugnantia terminorum seu notarum per terminos expressa determinatur, unde

(1) Cf. Goudin, IV Partis phil., disp. I, qu. I, a. IV ; Gonet, Clypeus theol. de Deo uno disp. III. a. III, parag. III, Billuart ; Cf. etiam S. Thomam, P. III, qu. XI. a. I, c. ; et qu. I. a. III ad 3.m ; Quaest. disp. de potentia q. VI. a. I. ad 18.

dici potest : *Capacitas existendi in essentia ex notis* idest ex *praedicatis non repugnantibus constante ab intellectu concepta.*

525. **Errores circa potentiam.** — Circa potentiam duo fuerunt errores. Primus fuit quem professi sunt Megarici negantes distinctionem inter potentiam et actum, unde asseruerunt potentiam existendi tunc solum esse cum res actu existit, et agendi cum quis actu agit. Megaricos sequuntur omnes moderni qui vel negant causalitatem rebus ut occasionalistae, subjectivistae, materialistae omnes, Monistae, dynamistae etc., vel etiam illi qui cum Cartesio causalitatem omnem ad motum localem reducunt. At Megaricos invicte refutavit Aristoteles (1) quem scholastici antiqui secuti sunt, sicut etiam recentiores qui a modernis renovatum errorem impugnarunt (2). Secundus error fuit ponentium impossibilia esse vere possibilia ; et talis tribuitur Heraclito, quem nervose refutavit idem Arestoteles (3), et Hegelio ; cum enim hi duo philosophi negaverint principium contradictionis, idem posuerunt esse et non esse, actum et potentiam, possibilia et impossibilia.

526. **Refutatio.** — Non est necesse ut multam immoremur in refutandis doctrinis tam evidenter absurdis. Ea enim quae breviter (n. 512 seqq.) exposuimus falsitatem primi erroris confundentis actum cum potentia satis produnt. Insuper animadvertatur, quaeso, mutationes quam plurimas contingere in rebus ; unde multa sunt quae nascuntur, quae intereunt, quae ex

---

(1) Metaphys. l. IX, c. III.

(2) Inter recentiones consuli potest Card. MERCIER, FARGES, GLOSSNER, GARDEIL, DOMET DE VORGES, etc.

(3) GARDEIL, l. c.

statu imperfecto ad statum perfectum pertingunt, quae ad invicem mixcentur, chymice combinantur, et inde novae proprietates, res et naturae habentur, sicut ex hydrogenio et oxigenio aqua etc. Haec autem omnia important subjecti alicujus transitum de uno statu ad alium, idest de statu potentiae ad statum actualitatis et perfectionis. Tandem admissa illa sententia sequerentur quam plurimae absurditates e. g. quod animal habens oculos clausos non posset videre quia actu non videt, et philosophus actu non considerans non posset objecta philosophiae considerare, et quod ille qui actu sedet, actu non comedit, actu non dormit etc. non posset ambulare, non comedere etc. Hic error in fatalismo, in quo ponuntur omnia esse necessaria, fundamentum habere videtur.

Quoad secundum errorem sufficiat animadvertere fundari in negatione principii contradictionis de quo supra egimus (n. 305); et quod, si impossibilia sunt vere possibilia sequitur etiam quod possibilia sunt impossibilia, unde eadem erit definitio possibilium et impossibilium, rerum et absurditatum, idem erit circulus rotundus, et circulus quadratus, qui proinde erit possibilis sicut et homo irrationalis etc.

527. **Axiomata quaedam scholastica.** — Ex tradita notione actus et potentiae quae in mutua quadam oppositione consistunt (quia *actus* dicit perfectionem, et *potentia* perfectionis carentiam) plura axiomata sequuntur.

Primum : In tantum aliquid est perfectum, inquantum est in actu, imperfectum vero inquantum est in potentia.

Secundum : Actus omnino purus est omnino perfectus, cum excludat quamlibet potentialitatem, et ideo quamlibet deficientiam et imperfectionem.

Tertium : Actus purus in aliquo ordine est omnino perfectus in illo ordine, cum in illo ordine sit omnino actus.

Quartum : In tantum aliquid agit in quantum est in actu, patitur vero in quantum est in potentia ; nam agere importat actum, pati potentiam.

Quintum : Potentia, qua talis, nequit semetipsam ad actum reducere, sed ab alio principio existente in actu oportet ut reducatur, potentia enim, qua talis, est carentia actus ; nemo autem dat quod non habet, et ideo non potest sibi dare actum. — Hinc sequitur ea quae sunt in potentia passiva, vel in potentia logica seu objectiva, non esse possibilia nisi per ordinem vel respectum ad aliquam primam potentiam quam actu supponunt et quae essentialiter activa est.

Sextum : Omne ens mutabile constat ex actu et potentia. Nam ens mutabile potest amittere aliquid quod habet, aut potest acquirere quod nondum habet (Cf. Goudin l. c. a. II).

528. **Conclusio.** — *Potentia et actus ad quem ipsa potentia essentialiter est ordinata, ut ad specificativum sui, sunt in eodem genere supremo.* — Idest si unum horum est in genere substantiae, etiam aliud ; item si unum est in genere accidentis, itidem et aliud ; vel si unum est accidens, et aliud debet esse accidens ; si unum substantia, et aliud est substantia.

Prob. conclusio : Potentia ideo concipitur, dicitur et est ordinata ad actum essentialiter tamquam ad specificativum sui, quia ipsa importat aliquid essentialiter, idest in sua essentia, incompletum, et proinde per actum ad quem essentialiter ordinatur essentialiter completur. Atqui substantia non potest compleri *essentialiter* per accidens, neque accidens per substantiam. Ergo si potentia quae essentialiter or-

dinatur ad actum aliquem ut ad specificativum sui, est substantia, idest si est in genere substantiae, etiam actus, ad quem essentialiter ordinatur, debet esse in genere substantiae ; et si ipsa est accidens, etiam actus est accidens ; et viceversa si actus ad quem essentialiter potentia ordinatur, est in genere substantiae, etiam ipsa potentia debet esse in genere substantiae; et si in genere accidentis, et actus debet esse in genere accidentis.

529. **Impossibilitas seu impotentia objectiva.** — Potentiae objectivae seu logicae opponitur impotentia *objectiva* seu *logica,* quae nihil est aliud quam repugnantia ad existendum ex repugnantia terminorum seu notarum per terminos expressarum proveniens : e. g. *homo irrationalis, circulus quadratus, creatura improducta.* Haec dicitur impossibilitas *absoluta, logica, objectiva, metaphysica, ontologica.*

530. **Possibile et nihil.** — *Nihil* est negatio entis ; sed ens potest esse actuale vel possibile ; igitur *nihil* potest esse negatio absoluta tum entis actualis tum entis possibilis, et est idem ac *impossibile :* vel est solummodo negatio entis actualis, et tunc non excludit ens possibile, quod est ens reale, licet non sit ens actuale (*cf.* n. 407).

531. **Radix potentiae objectivae.** — Radix et fundamentum remotum primum potentiae objectivae, seu merae possibilitatis est primum ens, seu ens per essentiam, quod potest participari, idest est essentia divina prout est imitabilis ; fundamentum autem proximum est intellectus divinus, seu est ipsa essentia divina prout est concepta ab intellectu divino, et ideo prout habet rationem ideae ad cujus similitudinem res fieri possunt (n. 448). Unde potentia objectiva, ut diximus, *est idealis aptitudo ad existendum ex non repugnantia terminorum proveniens ;* solummodo enim

negationes seu contradictiones nequeunt esse expressiones, seu similitudines idearum.

532. **Potentia objectiva in ordine ad nostram cognitionem.** — Quamvis fundamentum potentiae objectivae in se consideratae sit essentia divina ut idea, tamen nos hanc possibilitatem vel potentiam non directe ex essentia divina cognoscimus sed ex creaturis, hoc est ex rebus finitis. Intellectus enim noster videt quasdam notas rerum creatarum non simul actu unitas in rebus creatis, esse tamen unibiles seu associabiles vel insociabiles ex ipsa natura ipsarum notarum; e. g. videt montem et videt aurum et inde ex simplici comparatione videt eorum sociabilitatem, et ideo *possibilitatem* montis aurei; et similiter videns in circulo rotunditatem, et in aliquo polygono quadraturam ex simplici comparatione videt etiam has notas esse omnino insociabiles; et inde eorum unionem impossibilem — Dei autem existentia probata intellectus noster ex rebus contingentibus, sicut harum videt esse fundamentum, idipsum ratiocinando concludit etiam de potentia obiectiva juxta imitabilitatem essentiae divinae.

533. **Potentia activa in Deo.** — Sed frustra essentia divina esset imitabilis secundum ea quae dicuntur esse in potentia objectiva, si in ipso Deo non esset potentia activa, vi cujus ea produci possent quae imitari possunt essentiam divinam. Ideo potentia activa divina ad illa omnia se extendit; unde est infinita omnia possibilia respiciens, et dicitur omnipotentia; imitabilitatem essentiae divinae supponit, et ideo supponit ipsa possibilia absoluta (n. 448).

534. **Possibile absolutum et possibile relativum.** — Hinc possibile potest considerari dupliciter: 1.° in se, 2.° in ordine ad potentiam ipsi possibili extrinsecam, quae potentia, vel est ipsa potentia activa

Dei, vel est participatio hujus potentiae divinae, idest potentia activa rei creatae et finitae. Si possibile consideretur *in se* dicitur *possibile absolutum* vel *ontologicum, metaphysicum :* si autem consideretur secundo modo, in ordine scilicet ad potentiam extrinsecam a qua esse habere potest, dicitur *possibile relativum.*

535. **Corollaria.** — Hinc patet quod : 1.° Possibile relativum est possibile absolutum, non enim est impossibile ; a nulla enim potentia activa fieri potest quod secundum se repugnat. 2.° Possibile absolutum est possibile relativum per respectum ad potentiam Dei. 3.° Sed non est possibile relativum respectu cujusque potentiae activae. 4.° Impossibile relativum respectu potentiae Dei est impossibile absolutum. 5.° At impossibile relativum respectu alicujus potentiae non est impossibile absolutum. 6.° Impossibile absolutum est impossibile respectu cujuslibet potentiae (1).

536. **Potentia realis et naturalis intrinseca ad non esse.** — Potentia ad *non esse* realis naturalis intrinseca est aptitudo seu tendentia, quam habet aliquid ad *non esse* ex principiis essentialibus ipsius, e. g. in animali est talis potentia; et est propria omnium corruptibilium. Absentia hujus potentiae est ipsa *impotentia,* seu melius *impossibilitas* naturalis ad non esse.

537. **Potentia logica, et realis extrinseca, seu possibilitas ad non esse.** — Potentia logica ad non esse, quae etiam possibilitas logica non essendi dicitur, est mera non repugnantia ad non esse ex habitudine terminorum proveniens, ut si dicam : ens productum habet potentiam ad non esse, angelus potest non esse ; nulla enim apparet repugnantia si ponatur non esse ens productum, imo aliquando non fuit : haec potentia est logica non realis in re, ut est in anima hu-

(1) Cf. Rosselli l. c. q. v., Liberatore, Ontolog. c. II, a. II; Lepidi et Hugon in suis Ontolog.

mana; absentia hujus potentiae constituit impossibilitatem absolutam ad non esse, quae dici potest repugnantia ad *non esse* ex habitudine terminorum proveniens.

538. **Observatio.** — Advertendum tamen est potentiae logicae in re ad non esse correspondere potentiam realem in causa extrinseca, vi cujus res illa potest esse privari, nam secus omnino repugnaret tam ab intrinseco quam ab extrinseco ut esse privaretur, et ideo nullam potentiam neque logicam haberet ad non esse.

Caput X.

De potentiae objectivae natura

(Cf. auctores citatos supra C. IV).

539. **Potentia objectiva rerum et ipsae res.** — Potentia *objectiva* seu ontologica rei ab ipsa re considerata in statu merae possibilitatis non distinguitur. Nam ipsa attenditur ex sociabilitate idearum seu ex non repugnantia terminorum; sociabilitas autem idearum ex non repugnantia terminorum non attenditur in ideis vel in terminis in seipsis subjective et materialiter consideratis, sed quatenus exprimunt *notas* seu *proprietates objectivas* unibiles vel unitas in unum objectum quod res vel essentia dicitur. Unde potentia objectiva est ipsa res concepta quatenus non involvit proprietates repugnantes et propterea dicitur potentia objectiva quia importat objectum.

540. **Discrimen inter potentiam physicam et objectivam seu ontologicam.** — Discrimen inter potentiam physicam et objectivam in hoc reperitur, quod prima importat subjectum actualiter existens, vel ut exactius loquar, existentiae conjungitur; secunda importat objectum capax existentiae, res autem seu objectum existentiae capax non potest dici su-

bjectum, quia subjectum importat existentiam quam recepisse intelligitur et cui subjicitur tanquam actui, et ideo ex hoc ipso quod existentiam habet subjectum dici potest.

541. **Potentia ontologica seu objectiva praecedit potentiam physicam.** — Potentia passiva cum non sit ab aeterno et ens a se, ut patebit, antequam existeret, erat in statu potentiae ontologicae seu objectivae, et ideo potentia objectiva praecedit potentiam physicam.

542. **Quaestio.** — Nunc quaeritur de natura potentiae objectivae. Nempe potentia objectiva quae attenditur ex non repugnantia terminorum et quae dicitur potentia intrinseca rerum, quid est? est ne aliquid in se, est ne distincta ab intellectu vel a rebus ipsis?

543. **Conclusio I.** — *Potentia objectiva est ipsa essentia rei non existens in se, sed ut objective concepta ab aliqua mente sine sua existentia.*

Prob. 1.ª *pars:* Potentia objectiva ut sic considerata ea est quae attenditur ex pura non repugnantia terminorum quatenus termini accipiuntur et uniuntur non quidem materialiter accepti, sed secundum propriam significationem, hoc est quatenus per ipsos importatur objectum significatum. Atqui objectum significatum per terminos est ipsa essentia vel res, vel natura non ut existens considerata, sed in se objective ut distincta et praecisa ab existentia; unde dicimus quod termini significant sine tempore. Ergo potentia objectiva seu possibilitas objectiva nihil est aliud quam essentia non existens sed ab existentia praecisa.

2.º Potentia objectiva importat aliquid reale distinctum a nihilo absoluto quod est impossibile, imo etiam distinctum ab ente rationis (cf. n. 407, 408), unde est aliquid capax existendi sive in se sive in alio. Atqui quod est reale distinctum ab impossibili et ab ipso ente rationis importans capacitatem exi-

stendi sive in se sive in alio, est ipsa essentia seu res quae per definitionem exprimitur non actu existens. Ergo potentia objectiva est ipsa essentia etc.

Prob. 2.ª *pars:* Potentia objectiva est aliquid reale existendi capax distinctum ab impossibili, imo ab ipso ente rationis, et tamen non est seu non existit in se. Atqui quod est reale a nihilo absoluto distinctum, aut est existens (in se vel in alio), vel est in aliqua mente, idest ab aliqua mente conceptum. Ergo potentia objectiva est in aliqua mente ab ipsa mente concepta.

2.º Quod non habet esse seu existentiam in natura, neque objective in aliqua mente, est nihilum absolute, quia non habet esse naturale, neque ideale hoc est objectivum. Atqui potentia objectiva a nihilo absoluto distinguitur omnino (n. 530). Ergo cum non habeat esse in natura utpote actuali existentia destituta, habet esse objectivum seu cognitum in aliqua mente.

544. **Potentia ontologica est concepta ab intellectu divino et ab eo dependet.** — Hoc sequitur tanquam corollarium ex dictis, si enim potentia objectiva habet esse in aliquo intellectu, a fortiori habet esse in intellectu divino seu cognoscitur ab intellectu divino; insuper cum rerum essentiae concipiantur ab intellectu divino et ab ipso dependeant (n. 448), idem dicendum est de potentia objectiva (sive ontologica sive logica dicatur) quae a rerum essentiis non distinguitur.

545. **Corollarium.** — Potentia objectiva, essentiae rerum, et ipsum possibile, non differunt inter se se, sed sunt idem, et important objectum cognitum ab intellectu divino. Unde non important aliquid negativum sed positivum.

546. **Conclusio II.** — *Essentiae rerum in statu illo potentiae objectivae seu possibilitatis distinguuntur*

ab intellectu divino. — Ante probationem adverte quod non est sermo de distinctione quae habetur per proprium esse existentiae, quasi scilicet existentiam propriam habeant; sed per proprietates et notas quibus res constituuntur (cf. n. 539).

Prob. 1.°: Essentiae rerum in statu illo possibilitatis objiciuntur intellectui divino et cognoscuntur secundum propriam rationem, quia ipsae sunt quae vere cognoscuntur, 2.° ipsae secundum propriam rationem in illo statu vere ab intellectu divino dependent, 3.° imo cognoscuntur a Deo ut distinctae objective a suo intellectu, ab essentia sua. Atqui propria ratio essentiarum, ratio dependentiae, et esse cognitum ut quid distinctum ab essentia divina et ab intellectu divino, important veram distinctionem ab intellectu divino, ab ideis divinis, ab essentia divina. Ergo etc. (cf. n. 440, 441).

Confirmatur ex eo quod secus essentiae rerum secundum propriam rationem possent praedicari de ipso intellectu divino etc. quod est absurdissimum adserere.

547. **Conclusio III.** — *Essentiae rerum in statu illo objectivitatis secundum propriam rationem acceptae, si forte reducantur ad existentiam, non distinguuntur ab essentiis rerum ad existentiam inde reductis, consideratis praecise secundum propriam rationem.*

Prob. 1.° Essentiae rerum in statu objectivitatis seu possibilitatis si considerentur exclusive secundum propriam rationem, easdem notas et proprietates essentiales important et eamdem definitionem suscipiunt atque essentiae rerum actu existentes, praecise consideratae ab existentia et exclusive secundum propriam rationem. Atqui ea quae eamdem definitionem suscipiunt utpote easdem proprietates essentiales habentes non differunt. Ergo.

2.° Essentiae rerum in statu objectivitatis consideratae non sunt causae formales exemplares extrin-

secae, neque ideae divinae, secus aut haberetur ontologismus, imo et pantheismus in hac secunda hypothesi (cf. n. 199, 201); aut realismus Platonicus in 1ª hypothesi; et Deus dependeret ab illis quasi ab exemplaribus extrinsecis in rebus producendis. — Atqui essentiae rerum sunt verae causae formales. Ergo sunt causae formales intrinsecae rerum existentium cum hae actu existentiam habent.

3.° Individuus, puta Petrus possibilis non distinguitur vere positive et realiter a Petro existente si ipse individuus accipiatur secundum se; unde Deus antequam producat individuum illum ipsum conspicit esse producendum, qum inde vere producit; absurdum enim est adserere aliud esse opus quod artifex et praecipue Deus concipit conficiendum et illud quod de facto conficit. Tunc enim opus non esset praecognitum et casu produceretur. Atqui objectum quod perficitur secundum sua essentialia sive specifica sive individuantia etiam praecise ab existentia considerata, a Deo et secundum se et realiter distinguitur; ergo etiam possibilia seu essentiae rerum in statu possibilitatis (cf. n. 448).

548. **Conclusio IV.** — *Essentiae rerum prius habent esse intellectum seu prius intelliguntur quam habeant esse simpliciter.*

Prob.: Essentiae rerum non habent esse simpliciter et in se nisi per existentiam et habent esse intellectum seu intelliguntur eo ipso quo habent esse objectivum et possibile. Atqui esse objectivum et possibile praecedit esse existentiae quae rebus contingenter et ad tempus convenit. Ergo essentiae rerum prius habent esse intellectum quam esse simpliciter. — *Prob. major:* Essentiae rerum non dicuntur esse simpliciter nisi cum actu existunt; sed eo ipso quo habent esse possibile intelliguntur ab intellectu divino.

549. **Conclusio V.** — *Essentiae rerum in statu objectivitatis seu possibilitatis consideratae sunt ex necessitate simul cum intellectu divino concipiente essentiam divinam.*

Prob.: Essentiae rerum eo ipso sunt in statu illo possibilitatis quo essentia divina concipitur imitabilis et ut exemplar illarum. Atqui eo ipso quo intellectus divinus concipit essentiam divinam, haec habet rationem ideae et ideo exemplaris et imitabilis. Ergo essentiae rerum in statu possibilitatis intrinsecae sunt eo ipso quo intellectus divinus concipit essentiam divinam.

550. **Conclusio VI.** — *Essentiae rerum in statu objectivitatis seu possibilitatis intrinsecae non sunt nisi dependenter a conceptione divini intellectus.*

Prob.: Essentiae rerum sunt in illo statu ratione imitabilitatis, exemplaritatis et ideo idealitatis essentiae divinae, quatenus haec est idea objecta intellectui divino. Atqui essentia divina non est exemplar et idea objecta nisi quatenus concepta ab intellectu divino. Ergo essentiae rerum sunt in illo statu vi conceptionis et dependenter a conceptione intellectus divini (cf. n. 448).

551. **Corollaria.** — Hinc sequitur quod intellectus divinus non supponit essentias rerum in statu possibilitatis, extrinsecus ab ipsa sua conceptione seu intellectione independentes. — Sed ipsa actio seu conceptio intellectus divini est ratio illarum essentiarum quoad earum constitutivum. — Unde essentiae rerum ideo sunt in illo statu objectivitatis et possibilitatis seu secundum esse metaphysicum quo formaliter constituuntur, quia intelliguntur; non ideo intelliguntur ab intellectu divino quia sunt. — Non tamen intellectus divinus est causa formalis, sed exemplaris et quidem extrinseca (cf. n. 448).

552. **Difficultates.** — *Obj.* 1.ª Si essentiae rerum ab intellectu divino dependerent, non possent intelligi nisi intelligeretur intellectus divinus. Atqui falsum est quod intellectus divinus per eas intelligatur. Ergo. (1)

Resp.: Dist. maj.: Si dependerent ab intellectu divino sicut a causa formali eas intrinsece constituente *conc.*, si tanquam a causa exemplari extrinseca *nego.* — Et *nego conseq.* Insuper essentiae rerum cognoscuntur a nobis cognitione abstractiva non intuitiva; unde etiam ex hac parte deficit argumentum.

553. *Obj.* 2.ª — Essentiae rerum in statu objectivitatis seu possibilitatis sicut et in statu actualitatis sunt objectum intellectus divini. Atqui intellectus supponit objectum suum. Ergo.

Resp.: Dist. maj.: Sunt objectum secundarium *conc.*, primarium *nego.* Et *contradd. min.:* Intellectus supponit semper et per se objectum secundarium *nego*, primarium *transeat.* — Intellectus non est potentia pure passiva, sed quamdam habet activitatem, et ideo potest se habere active ad objectum suum. Intellectus divinus activissimus est, unde licet supponat essentiam divinam tanquam objectum primarium, non tamen supponit objectum secundarium, idest essentias rerum; imo tanta est activitas intellectus divini ut vi illius producatur ipsum divinum *verbum* quod ad ipsum objectum primarium intellectus divini pertinet. — Sed de his ad theologos.

554. **Quomodo essentiae rerum dicantur extrinsecae intellectui divino.** — Essentiae rerum non dicuntur extrinsecae intellectui divino quasi habentes esse objectivum seu possibile sive metaphy-

(1) Ita arguit Willems, Ontolog. cap. II, & 4 de possibilibus, pag. 422.

sicum independens ab ipso; quid enim potest concipi extra intellectum divinum ab eo independens? — Sed dicuntur extrinsecae ipsi utpote ab eo distinctae objective et realiter, non realitate physica sed metaphysica, quia neque ipsum constituunt neque ab ipso formaliter intrinsece constituuntur; at constituuntur formaliter per seipsas quasi termini imitativi et exemplati divinae essentiae ut ab intellectu divino intellectae.

555. **Comparatur ens rationis in mente nostra cum essentiis rerum in mente divina.** — Essentiae rerum habent esse, quo constituuntur metaphysice seu ontologice et objective ab intellectu divino eo ferme modo quo ens rationis a mente nostra formatum habet esse tantum objective in mente, unde neque mentem constituit neque est perfectio ejus. — Summopere tamen ens rationis differt ab illo ente objectivo quod a mente divina concipitur, nam illud est capax existendi in se, et ideo habet realitatem metaphysicam essentiae cum ordine ad realitatem existentiae. Unde habetur ens reale possibile, et inde, per actionem divinam creatricem, realiter existens in se non solum in mente. Ratio tantae differentiae et distinctionis praeter diversitatem intellectus est diversum fundamentum; nam fundamentum essentiarum quae objective sunt in intellectu divino est ipsa essentia divina; entis rationis autem ens creatum.

556. **Conclusio VII.** — *Essentiae rerum vere et proprie sunt in intellectu divino.*

Prob.: Esse vere et proprie in aliquo non importat per se loquendo esse identicum illi aut intrinsecum quasi perfectio subjectiva ipsius, sed importat solum rationem seu relationem praesentialitatis, vel relationem dependentiae ut contingit de ente rationis in mente nostra. Atqui essentiae rerum in statu

illo possibilitatis important rationem praesentialitatis respectu intellectus divini, imo etiam rationem totalis dependentiae. Ergo vere et proprie sunt in intellectu divino.

2.° Illud proprie et vere est in aliquo quod continetur praecipue secundum se totum et retinetur a virtute illius. Atqui essentiae rerum in statu objectivitatis seu possibilitatis secundum se totas continentur et retinentur a virtute intellectus divini et quidem immediate. Ergo proprie et vere sunt in intellectu divino.

557. **Quomodo essentiae rerum sunt in intellectu divino.** — Essentiae rerum consideratae in statu possibilitatis non sunt in intellectu divino physice quasi propriam existentiam habentes, sed *objective* sine propria reali existentia; unde dici possunt esse in intellectu divino solum quantum ad id quod exprimitur per propriam definitionem individuatione inclusa seu per esse *metaphysicum* et *objectivum;* et sic etiam distinguuntur ab intellectu divino idest *objective.*

558. **Corollarium.** — Quod dicitur de essentiis rerum respectu intellectus divini intelligi debet de omnibus rebus seu essentiis, sive completis, sive incompletis in specie, sive substantialibus sive accidentalibus. Videlicet intelligi debet de omnibus quae per definitionem sive explicationem exprimuntur non exclusa ipsa existentia quae non minus intelligitur a Deo quam quaelibet alia essentia, licet tamen vi conceptionis essentiarum et ipsius existentiae haec non intelligatur esse in essentiis, sed ipsa exclusive intelligitur secundum proprium conceptum objectivum et praecisivum.

559. **Extra intellectum divinum proprie et stricte loquendo nihil est.** — Nam proprie loquendo quod est distinctum potest esse in eo a quo

distinguitur ut patet de locato respectu loci; nunc autem Deus omnia continet in sua virtute conservante, in suo intellectu ea intelligente magis et perfectius quam locus contineat locatum. Unde Deus dicitur esse in rebus per potentiam, praesentiam, et per essentiam et omnia dicuntur esse in Deo; ideo proprie extra Deum nihil est. Sed tamen dici possunt res extra Deum quatenus a Deo secundum proprium esse distinguuntur, vel quatenus Deum non perficiunt; nihil enim a Deo distinctum ipsum perficit. Et in hoc sensu dicitur quod quidquid est in Deo, id est ut ejus perfectio, Deus est.

560. **Conclusio VIII.** — *Intellectus divinus ex hoc quod concipit essentias rerum non concipit eas existere.*

Prob.: Intellectus divinus ex hoc ipso quod concipit essentias rerum in statu illo ontologico seu objectivo, non intelligit eas nisi ut aliquid importans capacitatem existendi. Atqui illud quod concipitur exclusive ut importans capacitatem existendi non concipitur existere. Ergo intellectus divinus ex hoc ipso etc.

2.° Si intellectus divinus ex hoc ipso quod concipit essentias rerum conciperet eas existere, sicut essentiae rerum necessario et ab aeterno sunt conceptae seu cognitae objective, ita ab ipso cognoscerentur necessario et ab aeterno existere. Atqui quod ab intellectu divino esse cognoscitur et intelligitur, est sicut esse intelligitur, secus falleretur intellectus divinus. Ergo essentiae rerum in hac hypothesi existerent necessario et ab aeterno.

561. **Corollaria.** — I. Si essentiae rerum prout exprimuntur per definitionem non distinguerentur ab existentia sequeretur eas necessario et ab aeterno existere (cf. n. 451) (1).

---

(1) Cf. *Revue Thomiste*, Mars-Avril 1910, pag. 209 seqq.

II. Quamvis essentiae rerum secundum propriam definitionem idest prout includunt propria attributa essentialia, utpote a Deo concepta ex necessitate, sint necessariae et aeternae in illo statu objectivitatis, tamen sunt contingentes quoad existentiam dum actu existunt, quia existentia non est attributum essentiale ipsarum, sed aliquid eis contingenter conveniens; est enim ultima actualitas ad quam essentiae ordinem dicunt, seu cujus capaces esse intelliguntur a divino intellectu.

III. Per hoc quod essentiae rerum fiunt actu existentes, non mutantur quoad sua constitutiva essentialia sed remanent ipsae mutantes statum, quatenus ex statu merae objectivitatis et potentialitatis fiunt actu existentes; seu in statu actualitatis ponuntur per ultimum actum qui est ipsa existentia.

CAPUT XI.

De variis perfectionibus entis quibus insigniri potest

(ARISTOT. IV Metaphys., c. 24 cum comm. S. THomae; et ipse S. Th. P. I. cum comm. auct. supra cit.; ZIGLIARA, Ontol. lib. II, cap. III; LIBERATORE, LEPIDI, MERCIER, SANSEVERINO, SCHIFFINI, DE MARIA, HUGON, WILLEMS).

562. **Ratio capitis.** — Considerato ente secundum se, secundum suas proprietates et partes, in quas dividitur, transcendentales, idest in actum et potentiam generalissime sumptam, consequens est ut consideremus ipsum secundum perfectiones quae ei conveniunt. Unde juxta varias perfectiones alias praecipuas entis divisiones etiam trademus. Quod perficiemus quatuor capitibus, agentes 1.° de per-

fectionibus entis generatim ; 2.° de ente necessario et contingente; 3.° de ente finito et infinito; et 4.° de ente mutabili et immutabili, ubi etiam de ente a se et ab alio absoluto et relativo erit sermo. Haec omnia breviter et dilucide quantum fieri potest pertractabimus.

563. **Notio perfectionis in genere.** — *Perfectum,* si vim nominis spectes, idem est ac *totaliter factum.* Unde aliquid intantum est perfectum inquantum est actu. Est autem aliquid perfecte in actu cum ei nihil deest de pertinentibus sive substantialiter sive accidentaliter ad suam naturam, et ideo perfectum definitur communiter *id cui nihil deest secundum modum suae naturae.* Nomine ergo perfectionis intelligitur *actus sive substantialis sive accidentalis,* quo natura compleri intelligitur. In aliqua natura variae perfectiones partiales considerari possunt, sicut et varii actus (n. 360), quae possunt esse aut realiter aut virtualiter distinctae ; simul sumptae perfectionem totalem constituunt, quae est forma totius. — Carentia perfectionis dicitur imperfectio, et quod perfectione caret imperfectum. — Unde sicut perfectio importat actualitatem, ita imperfectio importat potentialitatem (n. 412).

564. **Perfectiones quaedam dicuntur simpliciter simplices, quaedam secundum quid.** — Primae sunt quae nonnisi perfectionem exhibent in proprio conceptu ; sicut e. g. *vita, sapientia, intelligentia,* quae absolute loquendo esse possunt sine ulla imperfectione, et infinitatem habere. — *Perfectiones secundum quid* illae sunt quae in suo conceptu, praeter entitatem (ex qua parte sunt perfectiones), imperfectionem includunt ; e. g. vita vegetativa, vita sensitiva, ratiocinari et generatim omnes quae materiam aut potentialitatem includunt in suo conceptu.

565. **Perfectio aliqua esse potest in aliquo formaliter, virtualiter, eminenter.** — 1.° Dicitur esse in aliquo *formaliter* cum reperitur in illo proprie secundum suam specificam rationem, sicut sapientia est *formaliter* in sapiente, sensibilitas in animali, rationalitas in homine. — 2.° Dicitur esse perfectio in aliquo *virtualiter*, cum potest a tali subjecto produci; sicut arbor *virtualiter* dicitur esse in semine; vel etiam cum a tali subjecto praestari potest quidquid praestat illa perfectio si separata inveniatur; sicut anima humana dicitur *virtualiter* sensitiva, quia ipsa, licet sit *formaliter* intellectiva, tamen praestat in homine quidquid praestat anima sensitiva in brutis. — 3.° Dicitur esse in aliquo subjecto *eminenter* cum continetur in eo perfectiori modo quam sit in se ipsa formaliter considerata, sive contineatur *eminenter formaliter*, sicut cum subjectum perfectionem illam *formaliter* possidet, quo sensu *sensitivum* continetur in homine: sive *eminenter virtualiter*, sicut cum subjectum habet talem perfectionem non *formaliter*, sed modo superiori; ita perfectiones quae quoad rationem formalem continentur in pictura, modo superiori continentur in idea pictoris, et *perfectiones secundum quid* creaturarum continentur in Deo a quo sunt (1).

566. **Variae species perfectionis in aliqua re.** — Prima perfectio desumitur ex *essentia*, et dicitur *essentialis*, ut anima rationalis in homine, nam quod primo in re concipitur est ejus *essentia*. — Secunda perfectio habetur ex consecutione finis, et

(1) Cf. Billuart, De Deo uno, diss. III, a. II; et Bannes super I. F. Summ. S. Thom. q. IV, a. II.

dicitur *perfectio ex fine :* nam unaquaelibet res ex consecutione finis perficitur ; finis enim habet rationem boni. — Tertia perfectio, quae ordine temporis secunda concipitur, et quae est media inter duas recensitas est *accidentalis ;* et haec desumitur ex iis quae ipsi essentiae adveniunt, ipsamque juvant, quia est perfectiva operationis ad finem consequendum, vel est ipsa operatio ; et haec mensuratur ex fine et fini proportionatur. Imo ipsa operatio habet rationem finis, licet non ultimi, cum unaquaelibet res sit propter suam operationem (1).

567. **Perfectum autem aliud est relativum, aliud absolutum.** — Perfectum *relativum* illud dicitur quod habet omnes perfectiones, quae suae naturae conveniunt ; e. g. homo dicitur perfectus, si corpus organicum integrum et animam rationalem habet, et sic quaelibet res dicitur perfecta in sua specie. Perfectum *absolutum* illud est cui omnes possibiles perfectiones et sine ulla limitatione conveniunt.

568. **Imperfectum privative et imperfectum negative.** — Quod caret perfectione sibi ex propria natura debita, dicitur imperfectum *privative ;* et hujusmodi imperfectio est *malum* in subjecto, in quo est : illud cui deest perfectio absoluta dicitur imperfectum *negative*, et hujus perfectionis carentia non est malum proprie loquendo.

(1) Cf. S. Th., p. I, qu. VI, a. III, c.

CAPUT XII.

De ente necessario et contingente

(Cf. supra citatos commentatores in P. I. S. Thomae qu. II. a. II, et philosophos supra citatos in suis Ontologiis).

569. **Necessarium et contingens.** — Necessarium communiter loquendo illud dicitur quod non potest non esse: seu quod ita est ut sit impossibile non esse. Illud autem, quod ita est, ut possit non esse, dicitur contingens.

570. **Necessarium absolutum seu metaphysice seu simpliciter, et necessarium physice.** — Necessarium absolutum illud dicitur quod ita est ut repugnet non esse, seu quod neque potentiam logicam habet ad *non esse* (n. 536); necessarium autem physicum dicitur illud quod quamvis in se habeat potentiam logicam, seu non repugnantiam ad non esse, tamen non habet potentiam realem naturalem intrinsecam ad non esse (n. 436), et dicitur etiam et frequentius incorruptibile; ita *materia* si consideretur praecisa a quacumque sui determinatione; *angelus, anima rationalis.*

571. **Necessarium hypotheticum et necessarium relativum.** — Necessarium dicitur hypotheticum, quod non potest non esse, non ex intrinseca sua natura, sed vi alicujus hypothesis factae, ut si dicam: Si Petrus currit, movetur. Dicitur necessarium relativum illud, quod non potest non esse per comparationem ad aliquam potentiam, quatenus scilicet ab ea non potest impediri quominus sit, ut si dicam: Necessarium est hominem mori; hoc enim respectu hominis necessarium est, et etiam respectu totius

naturae creatae. Necessarium relativum potest esse necessarium et contingens respectu diversae virtutis et potentiae, secundum quod ab una potentia potest privari existentia, vel impediri quominus sit, non autem ab alia, quatenus est in potestate unius et non alterius.

572. **Ens necessarium absolute et simpliciter et ens contingens.** — Ens idem est ac *habens esse* proprie loquendo, vel *habens existentiam* sive *existens.* Unde *ens necessarium* est idem ac *necessario existens,* et ideo est illud cui ita competit *esse,* seu *existere,* ut repugnet non *esse.* Unde idem est ac necessarium metaphysice (n. 569). — Ex opposito *ens contingens* illud est, cui ita competit existentia, ut possit ipsi etiam non convenire, quin nullum sequatur absurdum. — Ens simpliciter contingens potest esse necessarium relative seu secundum quid, et hoc multipliciter contingere potest. Unde multa dicuntur necessaria (1), respectu hujus aut illius agentis naturalis, vel respectu totius naturae, quae sunt contingentia simpliciter loquendo, idest in se et respectu agentis Dei. — Generatim contingens in se dicitur necessarium respectu illius agentis a quo impediri non potest ut sit.

573. **Conclusio I.** — *Ens contingens, si existat, est ab alio productum.*

Prob.: Si ens contingens realiter existens non est ab alio productum, sequitur vel quod sit improductum, vel quod a seipso sit productum. Atqui repugnat ut sit improductum, repugnat ut a seipso sit productum. Ergo ens contingens, si existat, est

---

(1) (Cf. Nostram Introduct. in Sac. Theol. P. II. c. IX, n. 251).

ab alio productum. — *Prob. minor :* 1.° *Repugnat ut ens contingens sit improductum :* Nam 1.° ens improductum habet esse, seu actualitatem improductam a se existentem, quae excludit de se et a se quamcumque potentialitatem, cum sit ipsum esse per se subsistens ; et ideo quantum est de se non potest non esse, idest necessario est. Sed neque in aliquo ente extrinseco potest esse ratio non existentiae illius, quasi possit ab eo existentia privari, cum sit omnino independens a quocumque extrinseco, et ab eo in sua existentia sempiterna aeternaliter et necessario supponatur ; et ideo ens improductum est ens necessarium omnino et nullo modo contingens.

2.° *Repugnat omnino ut a seipso producatur.* Nam omne producens seu agens intelligitur esse antequam agat, et ideo si se produceret, ens contingens haberet esse antequam esset ; quod est absurdissimum.

574. **Conclusio II.** — *Ens contingens non potest realiter existere, nisi sive mediate, sive immediate producatur ab ente necessario.*

Concedimus aliquod ens contingens posse produci immediate ab alio ente contingente, ut patet ex facto ipso ; sensus igitur conclusionis est quod ultima ratio entis contingentis tandem non possit esse nisi in ente necessario ; itaque :

Prob. conclusio : De ratione entis contingentis est ut non habeat rationem suae existentiae in se, sed in alio. Ergo sive unum ens contingens ponatur, sive plura, sive etiam infinita, sive seorsum, sive collectim sumpta, in se non habent rationem propriae existentiae, sed in alio. Ergo *omnia entia* contingentia sive seorsum, sive collectim sumpta supponunt *ens* distinctum ab *omnibus* contingentibus ; et ideo *ens non contingens*, in quo habeant rationem pro-

priae existentiae et a quo habeant existentiam : hoc autem est *ens necessarium* (1).

575. **Quid est compositum, quid simplex.** — Quod partibus constat *compositum* dicitur. *Simplex* vero dicitur illud quod partium expers est. — Unde *compositum* ut quoddam *totum* concipitur, et divisiones etiam *totius* subit, idest dividitur in *reale, physicum, logicum* etc. (n. 51 et seqq.). Qua compositi notione posita :

576. **Conclusio I.** — *Apud nos composita sunt perfectiora simplicibus.*

Prob. : Composita ex simplicibus constant et ideo comparantur ad simplicia sicut totum ad partes. Sed totum est quid perfectius quam partes. Ergo composita perfectiora sunt quam simplicia.

577. **Conclusio II.** — *Quamvis composita apud nos sint perfectiora simplicibus, tamen nullum compositum est absolute perfectum.*

Prob. : Quod in se includit potentialitatem non est absolute perfectum, nam potentia dicit imperfectionem : sed omne compositum importat in se potentialitatem. Ergo nullum compositum est absolute perfectum. — *Prob. minor :* Nam vel una pars quae includitur in composito est in potentia respectu alterius vel omnes partes sunt in potentia respectu totius ; insuper totum *potest* resolvi in partes ex quibus constat.

578. **Corollaria.** — I. Nullum compositum est primum ens, neque ab alio independens : nam compositum partes ex quibus coalescit supponit, et est

---

(1) Cf. etiam relate ad ens necessarium et contingens Rosselli, *Summa Philos.* Metaph., quaest. VII ; et Liberatore, Ontol., cap. II, art. VIII ; cf. etiam Lepidi, Hugon in suis Ontologicis. Garrigou-Lagrange O. P., et theol. *Revue de science phil.* Avril, 1907.

eis posterius et ipsis innititur, consequenter ex eis dependet.

II. Ens absolute perfectum non potest esse nisi ens simplicissimum : quod tamen nullo modo potest esse pars compositi, nam secus esset in potentia, et ideo esset imperfectum (1).

579. **Conclusio III.** — *Omne ens contingens est compositum.*

Prob. : 1.° Omne ens contingens potest esse et non esse. Atqui quod potest esse et non esse est compositum. Ergo omne ens contingens est compositum. — *Prob. minor* : Quod potest esse et non esse constat ex potentia et actu, ex essentia et esse seu existentia et ideo est compositum.

2.° Ens omnino simplex est *ipsum esse,* non est aliquid habens esse ; ipsum autem *esse* non est aliquid contingens sed necessarium, non enim potest esse expoliari, aut concipi ut in potentia et in indifferentia ad esse et non esse.

580. **Corollarium.** — Ex hoc sequitur etiam quod omne ens compositum sit contingens : nam ens compositum non est ipsum esse idest actualitas pura quae importatur in hoc quod dico *ipsum esse ;* et ideo praeter *esse* importat subjectum seu potentiam quae in suo conceptu non includit *esse,* et ideo indifferens est ad esse et non esse : unde contingenter est.

---

(1) S. Th. I p., q. III, a. VII ; Rosselli, l. c., quaest. XI; et Liberatore, l. c., art. IX.

Caput XIII.

De ente finito et infinito

(S. Thomas, P. I. qu. VII cum comm. Cajet, Bannes, Gonet, Billuart, Joann. a S. Thoma, Satolli. Janssens, Buonpensiere et praecitatos philos. (in praec. cap.), in suis respectivis Ontolog.).

581. **Finiti et infiniti notio generica.** — *Finitum* dicitur quod habet extremum; et e contra, *infinitum* quod extremum seu finem non habet. — Unde *finitum* dicitur id cujus entitati limites praefiguntur, *infinitum* autem id cujus entitas limites non habet.

582. **Infiniti variae divisiones.** — Infinitum distinguitur in infinitum *privative* et *infinitum negative*. *Infinitum privative* dicitur illud quod importat absolutam privationem perfectionis in subjecto aliquo; unde est quid omnino potentiale et nullo modo actuale: materia prima hoc modo dicitur esse *infinita*. Infinitum *negative* illud dicitur quod importat perfectionem illimitatam in subjecto. Et est duplex: *relativum* et *absolutum*. *Infinitum absolutum*, quod dicitur etiam *infinitum simpliciter*, illud est, quod importat perfectionem omnimodam in ratione entis, et ideo in omni genere perfectionum quamlibet imperfectionem excludens; infinitum *relativum* illud dicitur quod importat omnimodam perfectionem in aliquo determinato ordine entitatis, limites in illo ordine excludens; e. g. *linea* sine limitibus, si daretur, esset *infinita* secundum *longitudinem*.

583. **Conclusio.** — *Unum infinitum non potest esse altero majus in eodem ordine.*

Prob.: Absumantur duae lineae infinitae longitudinis: si una altera major supponatur, poterit praecidi illud in quo alteram excedit et ipsa fieri aequalis alteri. Sed per hoc quod praeciditur illud in quo alteram excedit, aliquod punctum adsignatur in quo linea major praeciditur et in quo consideratur aequalitas cum altera, quae proinde erit finita contra hypothesim.

584. **Infinitum, indefinitum, ens in genere, et infinitum negativum.** — Inter *infinitum* et *indefinitum* maximum interest discrimen: nam *infinitum* illud est quod in se limitibus caret; e contra *indefinitum* dicitur illud, quod, licet limites habeat, tamen ubinam habeat designari non potest: unde idem est ac *non definitum:* a scholasticis dicebatur *infinitum in potentia,* vel *syncategorematicum,* sicut *infinitum* dicebatur *infinitum in actu* seu *categorematicum.* — Item *infinitum negativum* et *ens in genere* maxime differunt. Nam infinitum negativum omnes perfectiones in se actualiter includit, quamlibet potentialitatem a se excludens; e contra ens in genere est aliquid vagum, indeterminatum, quid abstractum per operationem intellectus et de omnibus etiam imperfectissimis praedicatur, in quibus suam determinationem habet; imo ens in genere sic acceptum, ut quid scilicet vagum et indeterminatum, non existit in re neque existere potest (cf. n. 417). Unde potest dici infinitum *privative,* vel etiam in *potentia,* quatenus ad infinita se extendere potest per varias et infinitas determinationes.

585. **Quaestiones determinandae.** — Circa *infinitum* diversa determinanda occurrunt, 1.° in ordine ad nostram cognitionem, 2.° de ipso infinito in se. —

Quantum ad nostram cognitionem quinque determinantur per quinque conclusiones.

586. **Conclusio I.** — *Cognitio quam nos habemus de infinito est negativa-positiva.*

Prob.: Conceptus de re positiva habitus per viam negationis est conceptus positivus-negativus. Atqui conceptus qui habetur a nobis de infinito est de re positiva habitus per viam negationis. Ergo conceptus de infinito, qui a nobis habetur est positivus-negativus. — *Major patet.* Nam est positivus ex parte objecti et negativus ex modo cognoscendi. — *Prob. minor:* 1.° *conceptus de infinito est de re positiva;* infinitum enim res positiva est, non enim est nihil. — 2.° *habetur per viam negationis.* Nam infinitum, licet sit res positiva, exprimitur tamen a nobis vocabulo negativo. Sed quod aliquod objectum exprimatur vocabulo negativo, aut est ex ipso objecto, eo quod est aliquid negativum, aut est ex modo concipiendi, quatenus scilicet per viam negationis cognoscimus: non datur medium. Cum ergo non sit ex objecto, nam infinitum non est objectum negativum, sed positivum, sequitur quod sit ex modo concipiendi.

587. **Conclusio II.** — *Finitum potest intelligi in se quin apprehendatur infinitum.*

Prob.: Ens finitum hoc modo expressum duo dicit, videlicet entitatem et limites. Atqui optime potest intellectus concipere entitatem et limites, quin concipiat ex hoc ipso infinitum. Ergo ens finitum potest absolute intelligi quin intelligatur infinitum. — *Prob. minor: Entitas*, sic formaliter accepta, non dicit infinitatem, neque relationem ad aliud, puta ad infinitum; concipitur enim ut aliquid absolutum, non ut relativum; item limites non importat neque infinitatem in se, neque relationem ad infinitum, sed solummodo negationem ulterioris entitatis. Ergo in-

tellectus potest intelligere entitatem et ejus limites, quin intelligat infinitum.

588. **Conclusio III.** — *Notio infiniti nequit haberi per continuam additionem finiti ad finitum.* — Est contra Lockium.

Prob.: Ex additione finiti ad finitum potest haberi major entitas, sed non potest haberi infinitum, nisi infinities, idest per infinitam successionem, infinitae additiones fiant praecedentibus. Atqui repugnat ut fiant infinitae additiones successivae, nam infinita successio non potest pertransiri; sicut nullus potest successive pertransire infinitam viam; nam si pertransit, ergo habet finem; et ideo non est infinita. Ergo per additionem finiti ad finitum non potest haberi notio infiniti.

589. **Conclusio IV.** — *Sensus religiosus et experientia religiosa dare notionem vel ideam infiniti non possunt.* — Haec conclusio est contra pragmatistas (1).

Prob.: Ad cognoscendum infinitum requiritur facultas summe abstractiva. Atqui solus intellectus est facultas abstractiva, et summe abstractiva; sensus autem et experientia sive religiosa sive non religiosa nonnisi objecta concreta et determinata, particularia et finita respicere possunt. Ergo solus intellectus attingit infinitum, nusquam vero *sensus,* quicunque sit aut experientia religiosa.

2.° Sub sensu sive exteriori sive interiori sive religioso sive non, cadere non potest nisi *sensibile,* et similiter sub experientia non potest cadere nisi objectum experimentale quod ipsi experientiae exhibetur et quasi obviam fit. Atqui infinitum non est quid sensibile, neque est objectum experimentale quod obviam

---

(1) Inter alios qui infinitum docent cognosci per *sensum religiosum* etc. est HUGEL. — Cf. *Revue Philosophiae,* mars 1907.

fiat per experientiam. Ergo neque sensus, neque experientia dare potest notionem infiniti (1).

3.° Si sensus religiosus et experientia religiosa notitiam aliquam infiniti praeberent, cum haec notitia seu idea directe exhiberetur homini, et quidem communiter, posset exprimi imo de facto exprimeretur etiam directe et per se termino proprio et positivo. Atqui idea seu notio infiniti non potest exprimi nisi termino negativo. Ergo infiniti notitia neque per sensum neque per experientiam haberi potest, sed per intellectum solum.

590. **Conclusio V.** — *Notio infiniti haberi potest ex notione finiti; imo de facto habetur.* — Est contra Cartesianos et recentiores ontologistas.

Prob. 1.ª *pars:* Intellectus est capax non solum intelligendi ens, sed etiam negandi ens, et non solum concipiendi limites entis, sed etiam totaliter negandi limites. Atqui ex hoc quod negatur ens, habetur *non ens,* et aliquo modo intelligitur. Ergo ex hoc quod entis limites negantur habetur et aliquo modo intelligitur ens sine limitibus, quod est ens infini-

---

(1) « Demito intellectum, ait Pius PP. X; homo externos sensus ad quos jam fertur, proclivis sequetur. Perperam iterum; non phantasiae quaevis de sensu religioso communem sensum non expugnabunt: communi autem sensu docemur perturbationem aut praeoccupationem animi quampiam non adiumento, sed impedimento esse potius ad investigationem veri.... Experientiam enimvero tanto operi adiutricem inferunt. Sed quid haec ad sensum illum animi adjiciat? Nil plane praeterquamquod vehementiorem faciat; ex qua vehementia fiat proportione firmior persuasio de veritate ect. Iam haec duo non efficiunt ut sensus ille animi desinat esse sensus, neque ejus immutant naturam semper deceptioni obnoxiam, nisi regatur intellectu ». Encycl. « Pascendi Dominici gregis », VIII sept. 1907.

tum. Hoc autem est habere notionem infiniti ex notione finiti.

2.° Ad hoc ut unum aliqualiter cognoscatur ex altero non est necesse quod contineatur in illo physice et realiter, sed sufficit quod connexionem cum illo habeat sive per similitudinem sive per dependentiam, vel, ut dicunt scholastici, sufficit ut in ipso logice contineatur. Atqui finitum habet connexionem essentialis dependentiae cum infinito; ab ipso enim est et nonnisi ab ipso esse potest, ut patebit ex dicendis. Ergo infinitum potest cognosci per ens finitum.

Prob. 2.ª pars : Idest per negationem limitum a finito notionem infiniti de facto haberi.: Nos concipimus infinitum notione *positiva-negativa*, ut supra (n. 400) dictum est. Ratio autem hujus notionis ex qua parte est negativa, aut desumitur ex ipso infinito, aut ex modo concipiendi intellectus, quatenus procedit per viam negationis negando limites a finito. Sed non desumitur ex ipso infinito; nam infinitum, licet exprimatur vocabulo negativo, in se est quid positivum, et ideo quantum est de se directe et cognitione positiva potest intelligi. Ergo nonnisi ex modo concipiendi intellectus nostri quatenus procedit per viam negationis, negando sive removendo limites a finito, desumi potest.

Dices : Infinitum est perfectius finito. Atqui minus perfectum non potest praebere cognitionem perfectioris. Ergo finitum non potest gignere cognitionem infiniti.

Resp.: Conc. maj.: Dist. min.: Imperfectum non potest ducere in cognitionem perfectam perfectioris *conc.;* in cognitionem imperfectam perfectioris logice connexi cum imperfecto *nego;* et *nego conseq.*

591. **Quaestiones circa subjectum infinitatis.** — Putant quidam subjectum infinitatis esse multitudinem, et proinde admittunt multitudinem entium actu infinitam; ita materialistae infinitatem de facto tribuunt multitudini corporum. Sed de infinitate multitudinis jam diximus (n. 473); de infinitate magnitudinis dicetur dum agetur de quantitate: solum ergo subnectam duas conclusiones de infinito simpliciter; unde:

592. **Conclusio I.** — *Ens absolute infinitum non potest esse nisi ens simplicissimum.*

Prob.: Infinitum absolutum est infinitum in genere entis, et ideo omnes perfectiones omnino complectitur omnem imperfectionem excludens. Atqui quodlibet compositum sive sit compositum ex partibus quantitativis, sive ex partibus essentialibus physicis, sive metaphysicis, non potest esse infinitum in genere entis omnes perfectiones includens omnemque imperfectionem excludens. Ergo nullum compositum potest esse absolute infinitum; consequenter infinitum non potest esse nisi ens simplicissimum, non quidem potentiale, nam potentia dicit imperfectionem, sed actuale. — *Declaratur minor:* Et revera omne compositum constat ex partibus, quarum nulla est infinita absolute, sed quaelibet finita est; nam secus perfectiones aliarum partium includeret, et ideo aliae partes essent superfluae, neque totum esset quid majus in perfectione, quam pars illa infinita. Ex partibus autem finitis non potest haberi infinitum, praecipue absolutum. Insuper quodlibet compositum potentialitatem includit; nam vel una pars est in potentia respectu alterius, vel saltem omnes partes sunt in potentia respectu totius. Potentialitas autem negat perfectionem et entitatem, et ideo compositum non potest esse absolute sive in genere entis infinitum.

593. **Conclusio II.** — *Ens absolute infinitum non potest esse nisi ens necessarium ; et viceversa ens necessarium non potest esse nisi ens infinitum absolute.*

Prob. 1.ª *pars :* Ens absolute et simpliciter infinitum illud est quod in se importat omnes perfectiones possibiles quamlibet imperfectionem excludens, seu quod importat omnimodam actualitatem sine ulla potentialitate. Atqui quod est hujusmodi non est ens contingens, sed ens necessarium omnino. Ergo ens absolute infinitum est ens necessarium. *Prob. minor :* Quod importat in se omnes perfectiones quamlibet potentialitatem excludens omnimoda independentia donatur, nam independentia importat perfectionem ; insuper excludens quamlibet potentialitatem excludit etiam potentiam ad non esse, et ideo est ens necessarium ; insuper oportet ut sit ipsum esse subsistens utpote omnimoda actualitas, unde est ipsa existentia subsistens, qua proinde expoliari non potest.

Prob. 2.ª *pars :* Ens necessarium ita est ut ei repugnet non esse, et ideo est independens a quocumque alio, est ens a se, est pura actualitas sine ulla potentialitate, nam cum potentia fundetur in actu et dicat carentiam perfectionis et entitatis, repugnat ei esse a se : unde ens necessarium est ipsum esse seu pura actualitas in se et per se subsistens. Atqui ipsum esse, pura actualitas in se et per se subsistens, cum includat omnes perfectiones omnino et excludat consequenter quamlibet imperfectionem, est infinita simpliciter. — Ergo ens absolute necessarium non potest esse nisi ens infinitum.

594. **Conclusio III.** — *Nullum ens contingens potest esse infinitum simpliciter.*

Prob. : Haec conclusio ut corollarium ex praece-

dentibus sequitur; nam si ens infinitum absolutum non potest esse nisi ens necessarium, sequitur manifeste nullum ens contingens posse esse infinitum (1).

Caput XIV.

De ente mutabili et immutabili

(Cf. S. Thom. p. I, qu. IX cum comm. auctorum supracit. et philos. supra citatos).

595. **Mutationis notio.** — Mutatio perfectioni opponitur cum potentialitatem includat, et ideo de mutatione aliquid dicendum est. Illud *quod aliter incipit quam antea se habere* dicitur mutari. Ideo de ratione mutationis est quod *aliquid idem esse habeat aliter nunc et prius.* Unde mutatio communiter dicitur: *Transitus entis ab uno ad alium modum essendi.* Dispositio ad mutationem dicitur *mutabilitas.*

596. **Corollaria.** — I. Ad mutationem tria requiruntur: 1.° Subjectum aliquod, 2.° aliquid a quo incipit mutatio e. g. albedo, quam *subjectum* amittere incipit, et dicitur *terminus a quo,* idest *a quo* incipit mutatio, sive a quo recedit subjectum, et potest esse etiam aliquid negativum, sicut cum subjectum a *caecitate* ad visum procedit, 3.° aliquid, ad quod subjectum pertingit vi mutationis, sive sit aliquid *positivum,* sicut cum quis ex caecitate per-

(1) Cf. S. Thom. P. I. qu. VII; Rosselli, l. c., quaes. IX; et Liberatore, l. c., art. X.

tingit ad *visum*, sive sit quid *negativum*, sicut cum subjectum ex visu procedit ad caecitatem. Et hujusmodi dicitur *terminus ad quem*. Terminus negativus *a quo* dicitur simpliciter *privatio*, terminus positivus *ad quem* dicitur forma vel actus. Denominationem et speciem mutatio a termino *ad quem* desumit.

II. *In omni mutatione habetur aliquod subjectum quod idem semper perseverat.* — Unde creatio proprie loquendo mutatio non est, nam ipsa est eductio *totius* rei ex nihilo sui et subjecti.

III. *In omni mutatione aliquid manet et aliquid transit, idest* manet idem subjectum sub nova forma, vel sub privatione : unde *annihilatio* non est mutatio proprie loquendo cum nihil remaneat.

IV. *Omne quod mutatur, mutatione aliquid acquirit, vel aliquid amittit.*

V. *Omne ens mutabile, quatenus mutabile, est compositum, in potentia* et ideo *imperfectum*, nam cum possit aliquid amittere vel acquirere, potentialitatem includit, compositionem et imperfectionem.

597. **Mutatio alia est substantialis, alia accidentalis.** — Mutatio *substantialis* est *transitus subjecti* ab uno esse simpliciter ad aliud vel *ab una ad aliam naturam ;* ita lignum per actionem ignis mutatur in cinerem et cibus per vim nutritivam mutatur in carnem. Mutatio *accidentalis* est *transitus subjecti a privatione accidentis ad ipsius accidentis acquisitionem, vel ab accidente ad ejusdem privationem,* ut cum paries ex non albo fit albus, et homo ex virtuoso fit vitiosus, et ex non docto fit doctus.

598. **Mutatio ab intrinseco, et mutatio ab extrinseco ; mutatio interna, mutatio externa.** — Mutatio dicitur *ab intrinseco* si subjectum ex sua natura transeat a termino *a quo* ad terminum *ad quem,* ut e. g. si homo ex sano fiat aegrotus, et corpus

hominis ex vivo fiat mortuum ; si autem subjectum pertingat ad terminum vi *principii exterioris,* sicut cum lignum fit cinis virtute *ignis,* mutatio dicitur *ab extrinseco.* Item dicitur *interna,* sive *absoluta,* sive *intrinseca* cum mutatio vere et proprie est in subjecto quod prius et posterius diversimode consideratur ; dicitur *externa, relativa,* sive *extrinseca* cum mutatio proprie non est in subjecto, quod diversimode consideratur, sed in alia re ; ut cum sol aliquod objectum incipit illuminare, nulla mutatio est ex parte solis, sed in objecto ipsi soli extrinseco.

599. **Ens immutabile.** — Ens immutabile utpote mutabili oppositum definiri potest : *Illud quod non potest se habere aliter nunc et prius,* seu *quod non potest transire ab uno ad alium modum essendi.*

600. **Immutabile simpliciter, immutabile secundum quid.** — *Immutabile* aliud est tale *simpliciter* seu absolute, et est illud in quo nulla omnino mutatio sive ab intrinseco sive ab extrinseco esse potest ; aliud dicitur *immutabile secundum quid,* et est illud quod ex aliqua parte mutationi subjectum esse non potest ; sicut omnes res creatae dici possunt immutabiles quoad essentiam, idest secundum quid.

601. **Conclusio.** — *Ens mutabile supponit ens immutabile et in ipso fundamentum habet.*

Prob. : Ens mutabile est ens in potentia et contingens. Atqui ens in potentia supponit ens in actu omnino et ens contingens ens necessarium (n. 573), quod nullo modo mutabile est, sed est omnino immutabile, et in ipso fundamentum habet. Ergo ens mutabile ens immutabile supponit et in ipso fundatur (1).

---

(1) Cf. S. Thom., P. I, q. 9. a. 1, 2.

602. **Ens in se, ens in alio, ens ab alio, ens a se.** — Eorum quae esse in natura intelligimus quaedam intelligimus esse in se, sicut sol, luna, homo, lapis etc. et dicuntur esse simpliciter; quaedam autem intelligimus esse in alio sicut in subjecto ita e. g. *sapor* est in pomo, aut in pane; intelligere est in intelligente, motus in re mobili etc. idest est in alia re, non autem in se. — Priora dicuntur *substantiae* (cf. n. 11), posteriora *accidentia.* Id quod est, vel habet esse ab alio sicut filius habet esse a patre, fructus ab arbore, arbor a semine, intelligere ab intellectu; vel habet esse a se; quod tamen non sic intelligendum est quod sibi esse dederit, sed ita habeat esse ut non acceperit ab alio.

603. **Ens absolutum et ens relativum.** — Ens absolutum generalissime acceptum illud dicitur quod est independens. — Potest autem aliquid habere omnimodam independentiam etiam a causa producente et habetur *absolutum simpliciter,* et sic absolutum est tantum ens a se, idest Deus; et dicitur etiam absolutum *transcendentaliter.* — Potest aliquid importare independentiam ab alio tanquam a subjecto inhaesionis; hanc independentiam importat substantia, quae dicitur *absolutum praedicamentale.* — Potest aliquid importare independentiam a suo correlativo tanquam a termino et sic habetur *absolutum disparatum* quatenus non habet aequale aut inaequale cui referatur sicut ad terminum. — Ens relativum vero illud dicitur quod importat ordinem dependentiae ab aliud veluti ad terminum. Igitur vel est ipse *ordo,* seu *respectus* ut est *filiatio, paternitas* etc. et habetur ens quae est ipsa *relatio,* vel est *aliquod* ens ordinatum ad aliud a quo aliquo modo pendet, et sic habetur vel accidens quod importat dependentiam a substantia per modum inhaerentis,

vel substantia producta quae importat dependentiam ab eo a quo producitur vel producta est. — Unde idem ens potest dici absolutum et relativum sub diversa ratione.

604. **Corollarium.** — Quia ens in communi acceptum praescindit a dependentia, ideo praescindit etiam a relativo et absoluto, non tamen excludit, sed potest praedicari de utroque.

605. **Habens esse ab alio supponit ens a se.** — Quia si ponantur *omnia* omnino, quae habent esse, ab alio esse habere, sequitur *omnia omnino* et quae sunt et quae fuerunt, sine ulla exceptione incepisse. At si omnia omnino sine ulla exceptione inceperunt esse, sequitur quod aliquando nihil fuit omnino, neque mundus, neque aliquid eorum quae sunt aut fuerunt in mundo, neque extra ipsum mundum. — At si nihil fuit omnino tunc sequitur quod omnia quae sunt inceperunt esse ex nihilo ita scilicet ut neque ex ulla causa vel virtute producta sint. Est autem et omnino impossibile quod mundus vel entia inceperint esse ex nihilo omnino etiam exclusa causa et virtute producente.

606. **Ens a se semper fuit.** — Nam si ens a se non semper fuit tunc sequitur quod incepit esse, — si autem incepit esse aut ex aliquo a quo habet esse, vel ex nihilo omnino; impossibile est autem ut aliquid incipiat esse ex nihilo omnino; ergo ex aliquo incepit esse; at si ex aliquo, tunc ergo ab illo esse habet et non est ens a se. Igitur si fiat hypothesis quod ens a se non semper fuit sequitur contradictio et absurditas summa. Ergo ens a se semper fuit idest semper habuit esse; et quidem non per vim extrinsecam in alio ente, sed *vi sui*, et ideo habet durationem aeternam et infinitam.

607. **Ens a se est omnino immutabile.** — 1.° Nam ens a se semper fuit vi sui; ergo aliud ens non supponit in quo habet fundamentum. Atqui ens mutabile supponit ens in quo habet fundamentum idest ens immutabile (n. 601). Ergo ens a se non est ens mutabile.

2.° Si ens a se ponatur mutabile aut ponitur semper fuisse mutabile vi sui aut ponitur factum esse mutabile. *Primum* dici non potest utpote repugnans omnino, nam si ponatur semper fuisse mutabile sequitur quod mutabilitas, et ideo potentialitas semper fuerit et quidem vi sui; sed potentialitas importat negationem seu privationem actus. Ergo sequitur quod negatio et privatio sit vi sui. — Sed neque *secundum* dici potest, quia si *vere erat* immutabile non potuit fieri mutabile; immo ex hoc ipso quod ponitur factum mutabile sequitur non fuisse immutabile.

3.° In ente duo considerantur idest res seu essentia et esse, unde *ens* idem est ac *habens esse* (cf. n.). In ente autem mutabilitas non potest sumi ex *esse*, sed ex essentia; nam esse importat ultimam actualitatem in suo conceptu unde affirmatur de ente in se et in suis modificationibus et mutationibus consideratum, unde *est* seu esse dicitur de homine et de homine virtuoso et de ipsa virtute et de albedine ipsius, etc.; quia esse exprimit ultimam actualitatem nullo autem modo in suo conceptu objectivo includit potentialitatem. Atqui in *ente a se* habens esse idest essentia non distinguitur ab *esse* ipsius, sed est ipsum *esse* ejus. Ergo ens a se sicut *esse* ejus nullam importat mutabilitatem. — *Prob. minor:* In ente a se illud quod est praecipuum et importat aseitatem et non ab alio, est *esse* quod proinde semper vi sui fuit in sua actualitate. Sed actualitas quae semper vi sui fuit est sine potentialitate et sine subjecto in quo recipiatur;

non enim id quod est a se vi sui, subjecto aliquo indiget ut sit. Insuper tale subjectum non est nisi per actualitatem ipsam idest per *esse ;* proinde esse supponeret et ab ipso dependeret. Si autem ponatur esse a se quatenus ab esse idest ab actualitate ultima distinguatur, tunc ponitur *esse* sine *esse* quod est contradictorium. Ergo ens a se est ipsum *esse* idest absoluta actualitas actus purus sine ulla potentialite.

608. **Ens a se est ens infinitum simpliciter et necessarium absolute.** — Nam ens a se est ens immutabile et actus purus, est ipsum esse sine ulla potentialitate et ideo sine ulla privatione et negatione ; ergo quidquid pertinet ad rationem essendi et actualitatis ad ipsum pertinet et in ipso est sublata quacumque negatione, privatione, imperfectione, potentialitate; ergo omnes perfectiones possibiles in quocumque gradu essendi in se includit ; et sic est infinitum simpliciter. — Est etiam ens necessarium quia licet habens esse possit esse expoliari, non tamen ipsum esse potest expoliari esse, quia nulla re potest expoliari et non habere seipsam seu quod est ei essentiale et ab ipsa non distinguitur.

609. **Ens a se est simplicissimum.** — Nam ens a se est ultima actualitas, est ipsum *esse,* est ens infinitum, ut dictum est (n. praec.); et ideo excludit potentialitatem et quamcumque compositionem (cf. n. 592). Unde in ente a se nullum est accidens, neque esse potest quasi perfectivum ipsius, secus esset in potentia ad illud neque esset actus purus.

610. **Corollarium.** — Ens infinitum, ens necessarium, ens immutabile omnino, ens simplicissimum, ens a se, ens simpliciter seu *transcendentaliter* absolutum sunt omnino idem; unde habetur plena conversio, et valet consequentia ex uno ad alterum et viceversa.

611. **Leges generales quae omnibus entibus conveniunt in quocumque statu consideratis.** — Quia ens a nihilo seu a non ente omnino distinguitur ideo sequentes leges per simplicem analysim eruuntur:

1.ª lex: *Nullum ens potest simul esse et non esse id quod est.* — Ens enim dum est seipsum ponit, se se autem ponendo negationem sui excludit. Nequit ergo unam eamdemque rem secundum eamdem rationem esse hominem et non esse hominem, esse circulum et non esse circulum. Haec lex vocatur principium contradictionis.

2.ª lex.: *Nullum ens potest desinere in nihilum absolutum* in repugnantiam scilicet absolutam existendi, quae negat actualitatem essendi atque possibilitatem. — Etenim ens reale si non existit actu est possibile; ens possibile autem semper immutabiliter necessario manet possibile; sicut quod absolute repugnat, semper necessario immutabiliter manet repugnans. Circulus prout dicit essentiam aliquam cum ordine ad existentiam semper manet circulus. — Lex ista sic exprimi potest: *Impossibile est ens fieri absolutum non ens.*

3.ª lex: *Nequit positio et negatio ejusdem rei esse simul nec simul deesse; sed quodlibet aut est, aut non est.* — Non enim dari potest, vel concipi aliqua ratio ut media inter ens et non ens, quippe immediate opponuntur. — Haec lex quae a principio contradictionis oritur *principium exclusivi medii* vel *exclusivi tertii* solet appellari. — Ipsa sic exprimi potest: *Necesse est quodlibet esse* (id quod est) *aut non esse.*

4.ª lex: *Nequit una eademque res manere ipsa et esse alia.* — Haec lex fundatur in principio contradictionis quatenus scilicet *unum* et *aliud* se invicem

excludunt aliter non essent duo distincta, sed identitatem importarent. — Unde *nullum ens potest simul esse ipsum et alia* (1).

Caput XV.

De categoriis generatim

(Cf. Hugon, l. c. p. 220 ; Zigliara, psycl. ; Lepidi, logica l. II, sect. c. X ; Lorenzelli, logica lect. II ; De Maria, Schiffini, etc.

612. **Ratio capitis.** — Juxta promissa, traditis iis quae ad ipsum ens tum in se, tum in suis proprietatibus, tum in suis divisionibus transcendentalibus consideratum pertinent, de categoriis dicendum est in quas ens dividitur sicut in sua genera. — Non tamen de omnibus categoriis, sed de iis tantum quae principaliores sunt directe agimus, praemissis quibusdam de categoriis generatim.

613. **Agere de Categoriis entis ad metaphysicam praecipue pertinet.** — Agere de categoriis pertinet ad Logicam et ad Ontologiam ; pertinet ad logicam, quia categoriae sunt fundamentum totius cognitionis humanae et totius philosophiae ; licet enim ad logicam primo et per se de forma cogitationis agere pertineat, non tamen ab objecto cognitionis omnino ipsa praescindere debet cum sine objecto nulla dari, imo neque concipi possit cognitio. Insuper logica artificialis seu scientifica supponit logicam naturalem sicut scientia supponit cognitionem naturalem, et ipsam perficit ; igitur

(1) Cf. Lepidi (Ontol. pp. 43-55) ex quo has leges cum explicationibus transcripsi.

principia fundamentalia a cognitione et logica naturali tradita veluti fundamentum et substratum proprium considerare debet; unde nefas est ab iis omnino praescindere. — Itaque non est absonum sed conveniens illa elementa ab initio logicae recensere. — Tamen ad ipsam logicam praecipue formalem non pertinet ipsorum investigare et explicare naturam, sed solummodo leges tradere ne per paralogismos aut sophisticas ratiocinationes mens a veritate in earum investiganda natura, deviet. — Unde de ipsis diffuse agere ad aliam scientiam a logica distinctam pertinet, quae est ipsa *Ontologia* seu *metaphysica generalis* ad quam pertinet consideratio de ente in se et in suis divisionibus praecipuis, ut supra dictum est.

614. **Categoriae Aristotelicae breviter recensentur.** — Categoriae sunt fundamentum totius scientiae nostrae; decem recensuimus ex Aristotele (1) cum tota schola et cum tota antiquitate, videlicet: *Substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, habitus, tempus, locus, situs.* — Has categorias, sensum communem et naturale dictamen rationis praesupponentes, non autem negantes, sed sequentes, explicandas suscipimus, non tanquam chimeras, ut subjectivistae injuria habent, sed tanquam vera objecta in *rebus* extra nos et independenter a mente nostra existentia.

615. **Conclusio.** — *Categoriae Aristotelis sunt omnino rationales et admittendae.*

Prob. 1.°: Haec conclusio ex dictis (cf. n. 13) sequitur, nam ex hoc ipso quod categoriae dividunt *ens* prout multipliciter exprimi potest, secundum ea

(1) Qui tamen dicitur eas ex Archito Tarentino philosopho Pythagorico sumpsisse.

quae ipsi ad modum subjecti conveniunt, et ad ipsas categorias omnes ideae objective acceptae reducuntur, sequitur quod omnino ut rationales admitti debeant.

Prob. 2.°: Objectivitas judiciorum nostrorum optime salvatur illis categoriis admissis, sicut negatur ipsis negatis et rejectis. Atqui objectivitas nostrorum judiciorum est omnino admittenda. — Similiter identitas praedicati et subjecti quae in omnibus judiciis affirmativis exprimitur (cf. n. 250) non salvatur nisi illis categoriis admissis. Ergo rationabiles sunt categoriae illae et admittendae (cf. n. 253).

Prob. 3.°: Hac pulcherrima ratiocinatione probat S. Thomas conclusionem nostram: « Praedicatum ad *subjectum* tripliciter se potest habere: *uno modo*, cum est id quod est *subjectum*, ut cum dico: *Socrates est animal.* Nam *Socrates* est id quod est *animal.* Et hoc praedicatum dicitur significare *substantiam* primam (1), quae est substantia particularis, de qua omnia praedicantur. *Secundo modo* ut praedicatum sumatur secundum quod *inest subjecto*, quod vel inest per se et absolute ut consequens materiam, et sic est *quantitas*, vel ut consequens formam et sic est *qualitas*, vel inest non absolute, sed in respectu ad aliud, et sic est *ad aliquid (relatio). Tertio modo*, ut praedicatum sumatur ab eo quod est *extra subjectum*; et hoc dupliciter: *uno modo* ut sit *omnino* extra subjectum, quod quidem si *non sit mensura* subjecti praedicatur per modum *habitus*, ut cum dicitur: *Socrates* est *calceatus, vestitus.* Si autem sit mensura ejus, cum mensura extrinseca sit vel *tempus*, vel *locus*, sumitur praedicamentum vel ex parte *temporis*, et sic erit *quando*, vel ex loco, et sic erit *ubi*, non considerato ordine partium in loco, quo

(1) Cf. supra (n. 13).

considerato erit *situs*. *Alio modo* ut id a quo sumitur praedicamentum, secundum aliquid sit *in subjecto* de quo praedicatur. Et si quidem secundum principium, sic praedicatur ut *agere*, nam actionis principium in subjecto est; si vero secundum terminum, sic praedicatur ut *pati*, nam passio in subjectum patiens terminatur ». In l. V. Metaphys. lec. IX.

616. **Categoriae Kantianae.** — Non omnibus placent categoriae Aristotelis, nam qui negant objecta exteriora atque subjectivismum amplectuntur oportet ut alia via incedant ad explicandam cognitionem et objecta ipsa cognitionis. Igitur Kant non objecta coordinat quasi materiam judiciorum nostrorum, sed ipsos conceptos quibus objectivitatem negat atque omnino dicit *subjectivos* quos ponit *a priori* spontanee procedere a mente nostra ut quasdam formas ipsius mentis, quas mens applicat objectis experientiae quae juxta ipsum, non sunt nisi ludificationes seu repraesentationes subjectivae subjecti sentientis (n. 313). Ex qua applicatione juxta Kantium habentur judicia synthetica *a priori* in quibus consistit metaphysica (1).

Igitur Kant, negata objectivitate entis, putat posse ordinari omnes mentis conceptus mediantibus duodecim formis mentis quas categorias appellat. Sic autem ratiocinatur: Ens non exprimit aliquid reale sed habet esse in anima subjective et significatur per copulam propositionis secundum quam praedicatum subjecto unitur.

---

(1) Metaphysica, ait, saltem respectu finis ipsius absolute consistit in principiis syntheticis *a priori* exclusive, tom. I., pag. 246 (cf. supra log. n. 248-254).

Praedicatum autem unitur subjecto quadrupliciter vel secundum *quantitatem*, vel *qualitatem*, vel *relationem*, vel *modalitatem*. — Unde ponit quatuor praecipuas categorias idest: (1)

617. **Quantitas,** sub qua tres alias ponit quae sunt: *Unitas, pluralitas, totalitas.*

618. **Qualitas,** sub qua ponit alias tres, quae sunt: *Affirmatio, negatio, limitatio.*

619. **Relatio,** sub qua ponit etiam tres quae sunt: *Substantia et accidens, causa et effectus, actio et passio.*

620. **Modalitas,** sub qua ponuntur: *Existentia et non existentia, possibilitas et impossibilitas, necessitas et contingentia.*

Omnes igitur sunt duodecim.

621. **Conclusio.** — *Categoriae Kantianae admitti nullo modo possunt.*

Prob. 1.° Categoriae Kantianae cum judiciis syntheticis a priori intimam connexionem habent ita scilicet ut a Kantio logice quasi ad judicia synthetica a priori justificanda admittantur; ideo sublatis Categoriis etiam judicia illa ruunt. Unde categoriae Kantianae eatenus admittuntur quatenus supponitur praedicata universalia esse puros mentis conceptus rebus seu objectis experientiae a mente applicatos; atque proinde quatenus supponitur universalia seu naturas quae dicuntur universales nullo modo esse in rebus independenter a mentis consideratione. Atqui judicia synthetica a priori nulla esse probavimus (n. 256), item probavimus universalia praedicata non esse puros mentis conceptus a mente ipsa rebus applicatos (n. 194, 382 seqq.), sicut etiam

(1) KANT. La ragion pura, l. c., pag. 112.

probavimus naturas universales quoad rem conceptam existere in rebus seu in objectis experientiae independenter a mente. Ergo categoriae Kantianae sunt prorsus rejiciendae.

Prob. 2.°: Categoriae Kantianae carent omni fundamento, rationi et sibi ipsis repugnant. Atqui quod est hujusmodi admitti nullatenus potest. Ergo categoriae Kantianae admitti nullatenus possunt. — *Prob. major* per partes:

1.° *Carent fundamento:* Et hoc probatur quia hujusmodi formae in mente spontanee ab ipsa procedentes nulla evidentia objectiva donantur neque immediata, neque mediata; non immediata quia secus omnibus ut clarae et per se evidentes eo ipso quo enuntiantur apparerent, quod non esse ex ipsa coscientia habetur. Non sunt evidentes evidentia *mediata,* quia nulla ratione probatur illas formas (categorias Kantiana), de quibus loquimur, si dentur, esse ab ipsa mente et non esse potius ab alio principio extrinseco ipsi menti. — Insuper dato quod essent evidentes evidentia objectiva, cum evidentia objectiva in doctrina Kantiana nullam vim habeat et non sit nisi ludificatio ipsius mentis sequitur quod ipsae categoriae juxta doctrinam Kantianam nulla objectivitate donantur; ergo sunt merae apparentiae subjectivae et illusiones mentis; et quidem apparentiae subjectivae non immediatae sed mediatae quae scilicet non per intuitionem sed per discursum cujus evidentia non est objectiva sed pure subjectiva, idest illusio mentis quae in hac deductione sibi illudit; hoc est per paralogismum habentur.

2.° *Rationi repugnant:* Nam illae res, (idest quantitas, qualitas etc.) quae categoriae a Kantio vocantur, ut aliquid objectivum evidenter et quidem evidentia immediata exhibentur independenter a mente

ipsa. Ergo ponere quod illae sint quid mere subjectivum ab ipsa ratione purà spontanee procedentes est contra id quod ratio evidenter et quidem immediate testatur. Ergo est contra ipsam rationem. Neque dicas esse rationi consentaneas quia per *rationem* reflexam hoc est per ratiocinium eas admittere cogimur ut ab ipsa mente seu ratione pura procedentes ; quia si evidentia immediata et quidem ineluctabilis, qua ipsaemet ut aliquid objectivum exhibentur et quaelibet objectivitas immediate evidens rejicitur, ut in doctrina Kantiana contingit, multo magis reici debet haec evidentia quae habetur per ratiocinationem, quippe haec evidentia nullam vim habet nisi immediatam supponat, in qua fundatur ; imo omnino absurdum est admittere ut vera ea quae apparent evidentia mediate si ex horum admissione sequatur negatio eorum quae sunt immediate evidentia. Absurdum enim et omnino contra rationem est admittere ea ut vera quae sunt in se obscura et ex iis procedere ad neganda ea quae menti exhibentur ut immediate et per se evidentia et clara.

3.° *Categoriae Kantianae sibi ipsis repugnant.* — Ideo illae Categoriae ponuntur a mente profluere spontanee quia cum habeant necessitatem et universalitatem non possunt esse ab objectis experientiae quae contingentia sunt. Sed tunc quaerimus an illa necessitas et universalitas etc. quae dicitur competere categoriis illis sit aliquid objectivum vel aliquid faciens illusionem ipsi menti ; si respondetur quod est aliquid objectivum independens a mente, tunc habetur contradictio in terminis, et ex hac responsione sequitur quod ratio quare ponuntur illae categoriae est aliquid independens a mente objectivum ; si autem dicatur quod illa necessitas et universalitas non est aliquid objectivum sed est illusio

mentis quatenus scilicet illa exhibetur ut quid tale, sed non est tale, idest vere aliquid objectivum, ergo ponuntur illae categoriae esse ex illusoria necessitate et universalitate, quae nullam habent objectivitatem, et tunc non sequitur eas fundamentum non habere in objectis experientiae licet contingentibus.

Breviter : Si necessitas non est aliquid objectivum conveniens illis categoriis nulla est ratio asserendi earum fundamentum non esse objectum experientiae.

Prob. 3.°: Illis categoriis admissis negatur principium causalitatis valorem objectivum habere et in rebus nonnisi successio agnoscitur. Sed aliunde admittitur illas categorias *profluere* a mente spontanee ; ergo simul mens principium et causa ipsarum proclamatur ; ergo principium causalitatis admittitur ut aliquid objectivum. Si autem dicantur illae categoriae a mente non procedere seu non habere proprium esse, tunc ergo ponuntur per se subsistentes independentes a mente. Ergo etiam aeternae ponantur necesse est.

Prob. 4.°: Categoriae illae ponuntur ad invicem coordinatae ita scilicet ut quaedam dicantur ex aliis derivari ita *necessitas* dicitur derivari ex existentia et possibilitate ; at si una ponatur derivari ex altera tunc quaedam ponuntur ut causae, aliae ut effectus ; ergo iterum in eis proclamatur principium causalitatis valorem objectivum habere, ad cujus negationem illae categoriae logice perducunt, imo *causalitas* ut categoria frustra ponitur.

Prob. 5.°: Categoriae, ut ipsum nomen indicat, sunt series rerum quae sub aliquo uno *ordine determinato* continentur, quae series proinde non debent esse nimis vagae, indeterminatae, ita scilicet ut sua indeterminatione una aliam includat, secus confusio

inducitur non distinctio, et claritas conceptuum excluditur ad quam categoriae ponuntur. Atqui categoriae Kantianae nimis vagae et indeterminatae sunt, ita scilicet ut quaedam alias includant. Ergo haec categoriarum divisio a Kantio non recte ponitur. — *Prob. minor:* Quae ponuntur sub 1.° titulo idest sub *quantitate* sunt notiones transcendentales — insuper absurde ponuntur sub quantitate; nam unitas competit cuicumque enti etiam substantiae, quam supponit quantitas. — Unde quantitas absurde ponitur prima inter categorias Kantianas, et magis absurde ponuntur illae tres sub ipsa. — Etiam aliae tres sub *qualitate* positae sunt notiones trascendentales nimis vagae et indeterminatae — insuper *affirmatio et negatio, limitatio* sunt qualitates non rerum, sed propositionum. — *Qualitas* substantiam supponit; et ideo absurde ponitur ante substantiam. — *Substantia* et *accidens* non continentur sub *relatione,* sed potius *relatio* continetur in ipsis, nam relatio est ordo inter duo, quae proinde a relatione supponuntur; et similiter *causa, effectus, actio, passio* a relatione supponuntur veluti ejus fundamentum, paternitas e. g. in actione generativa fundatur. — *Existentia* et non *existentia*, non recte ponuntur sub modalitate, quia nullum modum exprimunt. *Quantitas, qualitas, relatio, modalitas* includuntur et continentur sub accidente, sicut *accidens, substantia* continentur sub *unitate.*

Prob. 6.° Categoriae Kantianae nonnisi a ratione pura ponuntur in mente et a mente, sed valor rationis purae ponentis vel adserentis, positis categoriis Kantianis, nullus est, ut Kant ipse post tantum laborem positum in examinanda ratione pura, concludit. Ergo categoriae Kantianae nullum habent valorem objectivum, idest *objective* in mente non

sunt, sed ad summum ut quaedam illusiones mentis Kantianae sunt admittendae vel saltem juxta doctrinam Kantianam ut dubiae retinendae sunt; sed tunc scepticismus absolutus quem Kant evitare intendit, nullo modo evitatur.

Caput XVI.

De substantia

(Aristot., Categ., c. 1. c. 5; Metaphys. IV, c. 8, VI, c. VII, X; De Anima cum comm. S. Thomae; idem S. Th. c. g. l. I, c. 25, cum Comm. Ferrar.; Joann. a S. Th. log. II; qu. 13; Per. Div. Thom., anno XX; 1901, ser. II, v. II, fasc. 1 et 4; Zigliara, Ontol. Lib. III, cap. I, art. I, II, III; Lepidi, Ontol., lib. II, Sect. II, c. I, art. I II, III, IV et cap. II, art. I; Liberatore, Ontol., cap. II, art. III; De Maria, Ont., Tract. II, qu. III; Lorenzelli, Hugon, Ontol. II, p. 223 et seqq.; Willems, l. c.).

622. **Ratio capitis.** — Quia (Log. n. 12-13) inter categorias primatum tenet *substantia*, ideo primo loco de substantia agendum est, inde de aliis categoriis. Substantia autem potest considerari in suo constitutivo, in suis divisionibus et in suo ultimo complemento et perfectione; ideo de his tribus est agendum per duo capita in quorum primo de substiantiae constitutivo et divisione, in altero vero de supposito et persona erit sermo.

623. **Sententiae variae de constitutivo formali substantiae.** — Multae sunt sententiae de substantiae formali constitutivo. Quidam, ut Wolf (1) et Galluppi (2), putant in eo consistere quod *substet acci-*

(1) Ontol. II. P. sect. 2. c. 2.
(2) Elem. di Filos. vol. II. Ideologia c. IV. § XXXV.

dentibus. Spencer (1) quem sequuntur multi recentiones, docet constitutivum substantiae *in permanentia* esse reponendum, quatenus phaenomenorum successioni opponitur. Cartesius retinet in eo consistere quod *nulla alia re indigeat ad existendum,* seu ut ait Spinozza, in eo quod *in se et per se concipitur* idest independenter a quocumque alio (2). Leibnitz, Kant, et Dynamistae in eo quod sit *ens vi agendi* praeditum. — Scholastici docent constitutivum substantiae in eo consistere quod sit res *seu essentia cui competit esse in se et per se* independenter a subjecto inhaesionis.

624. **Critica.** — Verum hae omnes sententiae, ultima excepta, omnino rejiciendae sunt ut falsae; et prima quidem sententia falsa est quia substantia non posset substare accidentibus nisi prius esset *in se et per se subsistens* independenter a subjecto inhaesionis; insuper stare sub accidentibus convenit etiam quibusdam accidentibus sicut quantitas subest colori, intellectus actui intelligendi, et generatim facultates suis operationibus; unde non est proprium substantiae substare accidentibus et multo minus ejus constitutivum. Sed neque in *permanentia* essendi consistit, quia permanentia essendi non solum substantiae, sed etiam multis accidentibus convenit ut e. g. facultatibus operativis; insuper substantiae non repugnat produci et statim destrui. Cartesiana vero sententia saltem aequivocatione laborat, nam licet substantia non indigeat subjecto ad existendum, indiget tamen re producente ipsam, idest causa, si fiat sermo de substantia quae sub praedicamento est;

---

(1) Principles of Phychol. II. P. c. 1. n. 59.
(2) Ethic., I. P. def. 3.

haec enim cum sit finita non est *ens* a *se*. — Et similiter sententia Leibnitzii et Kantii rejici debet, quia non solum substantia est *ens vi agendi* praeditum, sed etiam accidens; omnia enim accidentia, praecipue facultates seu potentiae, sunt vi agendi praedita; imo omne ens ad agendum ordinatur. Addi potest quod esse vi agendi praeditum est quid secundarium in ente praecipue substantiali.

625. **Vera notio substantiae traditur.** — *Substantia* dicitur a *substare* quasi scilicet stans sub aliquo; unde si etymologica origo nominis spectetur, substantia dicitur illud quod *substat* accidentibus: accidentia enim non possunt esse et plene concipi nisi in aliquo subjecto, quod merito substantia dicitur. Accidentia variant, dum subjectum eorum idem perseverare intelligitur. Hujusmodi subjectum, quod substantia dicitur, dat esse accidentibus, quae in ea sunt. Accidentia proinde non habent esse *per se* sed per substantiam in qua sunt, sicut in subjecto inhaesionis. Substantia autem non posset accidentibus esse conferre, nisi ipsa *in se* et *per se* esse haberet. Et ideo illud quod primo substantiae, si completa sit, convenit est habere esse *in se* et *per se*, et secundo convenit ei dare esse accidentibus. Proinde substantia si sit completa apte definitur: *Res sive essentia cui competit esse in se et per se,* hoc est *independenter a subjecto inhaesionis et ab alia substantia sicut a comparte seu a toto quod ex pluribus substantiis resultat.* Si vero substantia accipiatur communiter prout a completa et ab incompleta praescindit dici potest: *Res sive essentia cui competit subsistere sive complete et per se et in se sive incomplete in aliquo toto.* Quae tamen definitio potius descriptio est, quam definitio, *res* enim quae ponitur in definitione substantiae non est genus (cf. Log.

n. 48) (1). — Adverte quod non diximus substantiam: *Ens in se existens; sed essentia cui competit esse* etc. ut detur intelligi quod *esse* est distinctum et superadditum.

626. **In definitione substantiae tradita non excluditur dependentia ab aliquo sicut a causa.** — Cum substantia dicitur *res in se* et *per se subsistens* excluditur dependentia ab aliquo, sicut a subjecto inhaesionis, et per hoc distinguitur ab accidente (Log. n. 8); sed non excluditur dependentia ab alio ente, sicut a causa productionis: homo, e. g., arbor sunt substantiae, idest non sunt entitates inhaerentes aliis entitatibus quasi ab eis dependentes, sed tamen non excludunt dependentiam ab alio ente, sicut a causa producente; insuper per hoc quod dicitur *subsistens* non excluditur dependentia ab alia substantia, sicut a comparte, ut patet in compositis quibusdam, et ut explicabitur in sequentibus (n. 419-420): excluditur ergo solummodo *dependentia ab alio sicut a subjecto inhaesionis.*

627. **Variae divisiones substantiarum.** — Substantia primo dividitur in *primam* et *secundam. Substantiae primae* nomine intelligitur substantia individua, ut Petrus, Franciscus etc. Nomine *substantiae secundae* intelligitur substantia universalis, quae praedicatur de pluribus, ut homo, animal, vivens etc. *Prima* definitur: *Substantia quae neque est in subjecto, neque de subjecto aliquo affirmatur. Non est in subjecto,* quia non esse in subjecto est de ratione substantiae, ut dictum est; *non de aliquo subjecto affirmatur,* quia unum individuum de alio individuo affirmari non potest; non enim *Petrus* est *Paulus.* — *Secunda* defi-

(1) Cf. Rosselli, l. c., quaest. X, art. I., et *nostram Theol. specialem* P. II. C. XIV, Subsistentia, n. 148.

nitur : *Substantia, quae* non est in subjecto, sed *affirmatur de subjecto ;* non enim proprie homo e. g. est in Petro, sed est ipse Petrus. Substantia prima dicitur etiam *physica*, secunda *metaphysica.* Individua dicuntur primae substantiae, et universalia dicuntur substantiae secundae, quia quod primo et vere subsistit est individuum ; universalibus autem non competit subsistere nisi ratione individuorum ; non enim homo extra Petrum aut Franciscum aut aliud individuum existit.

628. **Substantia completa et incompleta in ratione speciei.** — *Substantia* dicitur *completa in ratione speciei,* quae non solum negat esse in alio tanquam in subjecto, sed etiam negat esse simul cum alio ad componendam naturam aliquam specificam: e. g. Angelus, homo, etc. sunt substantiae completae in specie ; e contra substantia *incompleta in ratione speciei* ea dicitur quae habet naturalem ordinem ut alteri substantiae uniatur ad componendam aliquam naturam specificam, sicut e. g. anima humana naturalem ordinem habet ut corpori uniatur ad efformandam naturam humanam.

Substantiae omnes quae non valent per se solae elicere seu exercere omnes suas operationes naturales sunt incompletae in ratione speciei ; indigent enim alio elemento ut habeatur species, et ideo sunt *partes speciei* potius quam *species.*

629. **Conclusio.** — *Substantia incompleta in ratione specici est etiam incompleta in ratione substantialitatis.*

Prob.: Substantia incompleta in ratione speciei non est substantia complete subsistens, nam secus posita separarata ab aliis esset suppositum. Atqui id quod non complete subsistit non est completum in ratione substantialitatis, ut patet ex terminis. Ergo substantia

incompleta in specie etiam in ratione substantialitatis incompleta est. — *Confirmatur* ex eo quod substantia incompleta in specie per aliam *substantiam* partialem completur, sicut anima rationalis per materiam ; ergo substantialiter completur, nam unio est substantialis ; non autem posset compleri substantialiter si esset substantia completa substantialiter, idest in ratione substantiae. (Cf. S. Th., p. I, qu. 54, a. 5, c.).

630. **Obj.** — S. Th. (c. g. l. II, c. LV, arg. 4) dicit de substantiis spiritualibus : « Ipsae sunt substantiae completae simplices.

Ad hanc difficultatem respondetur quod quartum argumentum S. Th. adlatum prout efficaciam habet ex ratione substantiae completae probat solum pro substantiis spiritualibus quae sunt omnino separatae a materia et non possunt esse forma materiae. Neque intentus S. Thomae est in hoc argumento probare incorruptilitatem animae humanae quasi scilicet confundat incorruptibilitatem cum esse substantiae omnino completae.

631. **Quomodo anima humana est incompleta.** — Anima humana potest considerari dupliciter : 1.° quantum ad id in quo convenit cum anima pure sensitiva brutorum, idest quantum ad hoc quod est principium substantiale sensationis vel etiam vegetationis ; 2.° quantum ad id in quo distinguitur ab anima quae est pure sensitiva et vegetativa, idest quantum ad hoc quod est principium intelligendi et ratiocinandi. Si hoc secundo modo praecipue consideretur non potest dici incompleta substantialiter seu in ordine substantialitatis, quia ipsa in sua substantia considerata habet ut sit principium substantiale sufficiens suae propriae operationis, idest intelligendi et volendi. At si consideretur 1.° modo tunc dici debet incompleta in ratione principii substantialis

in ordine ad sentiendum, nam ipsa sola sensationem aut vegetationem habere non potest; sed per hoc quod unitur corpori seu materiae, ex ipsa anima et corpore constituitur unum principium substantiale completum et sufficiens in ordine ad operationem sensitivam aut vegetativam eliciendam. Unde anima humana non dicitur incompleta in ordine substantialitatis quasi scilicet non sit apta ad subsistendum per se sine materia, nam cum sit apta ad per se operandum sine corpore est etiam apta ad per se subsistendum ; sed quia ipsa non est subjectum plenum, sufficiens ad eliciendas omnes suas operationes ad quas ordinatur. — Unde anima humana valde minus incompleta est quam anima brutorum quippe ipsa non solum est subjectum sufficiens ad per se subsistendum sed etiam ad operandam suam specificam operationem. — Si quis tamen attenta hac explicatione velit animam humanam completam in ratione substantialitatis vocare ad indicandam ejus subsistentiam independenter a corpore, non contendemus de nomine cum re conveniamus.

632. **Substantia incompleta in specie seu in ratione substantialitatis duplex.** — Substantia incompleta in ratione speciei vel substantialitatis alia est *per se subsistens,* alia non *per se subsistens.* Prima ea est quae potest subjective elicere seu exercere operationes suas proprias et specificas independenter ab alia substantia cum qua fortasse conjungitur, sicut anima humana potest elicere seu exercere, et in se sola retinere, sicut in subjecto, operationes suas proprias, quae sunt *intelligere* et *velle;* et proinde dicitur et est per se subsistens quatenus non indiget comparte ad existendum ; nam ex hoc ipso quod subjective est sufficiens per semetipsam ad eliciendam seu exercendam operationem sibi pro-

priam, dicenda est etiam per se sola sufficiens ad existendum; etenim nulla res potest esse subjectum accidentis, puta actionis per se sola sufficienter, nisi sit sufficiens ut *per se* sola sit, nam substentare aliquid et agere supponit esse simpliciter.

Substantia *non per se subsistens* est quae per se solam non potest elicere seu exercere operationes suas specificas, quia operari sequitur esse eique proportionatur; unde quod non est sufficiens per se solum ad operandum, neque est sufficiens per se solum ad essendum: insuper cum unaquaelibet res sit propter suam operationem, cum sit propter bonum universi ad quod per operationem concurrit, ea quae non habent propriam operationem non habent propriam et per se rationem essendi. — Animae ergo brutorum, non solum non sunt substantiae *completae,* sed neque sunt per se subsistentes, quia propriam operationem specificam, idest sensationem elicere non possunt subjective sine consortio corporis, ut probabitur suo loco.

633. **Substantia composita et substantia simplex.** — *Substantia* dividitur etiam in *compositam* et *simplicem.* Quae pluribus substantiis incompletis coalescit est substantia composita in ratione substantiae, e. g. *homo, brutum, arbor* etc. Quae vero ex pluribus substantiis non coalescit, sive sit completa sive incompleta, dicitur *simplex:* e. g. *angelus, anima humana, anima brutorum* etc.

634. **Substantia corporea, materialis et immaterialis seu spiritualis.** — Substantia *corporea* ea dicitur in cujus conceptu materia et aliquo modo *extensio* seu quantitas continetur, et idem est ac substantia extensa. — *Substantia materialis* non est omnino idem ac substantia *corporea,* licet substantia corporea sit materialis. Nam substantia materialis

ea dicitur quae vel includit materiam in sua natura, vel dependet in suo esse a materia licet materiam fortasse non includat; e. g. anima sensitiva brutorum est *materialis,* idest dependens a materia, quamvis in se non includat materiam; cum enim dependeat in suo agere specifico a materia, etiam in suo esse ab ea dependet. Nam agere specificum animae sensitivae est *sentire,* quod est actio compositi animati, idest animalis; non enim anima sola sentit sine corpore sed compositum, ut patebit suo loco. — *Substantia immaterialis* seu *spiritualis* ea dicitur, quae non includit in sua natura materiam, et est a materia in suo esse et in suo agere specifico subjective independens; et ideo potest ipsa sola elicere proprias operationes specificas, et esse illarum proprium subjectum. Et in hoc sensu angelus est substantia omnino spiritualis, item anima humana in eodem sensu spiritualis dicitur. Est tamen differentia inter angelum et animam humanam in hoc consistens, quod angelus est omnino separatus a materia, neque potest materiae conjungi ad componendam aliquam naturam, anima vero humana materiae naturaliter conjungitur ad naturam humanam efformandam.

635. **Realitas substantiarum.** — Fuerunt quidam negantes realitatem substantiarum, quia putarunt a nobis de substantiis nullam cognitionem haberi, quod quidem fundamentum omnino debile est, et etiam falsum; nam quamvis a nobis non cognoscatur ipsa substantia atoma seu quoad suam singularitatem substantialem prout est in individuo, tamen ipsa substantia etiam in variis speciebus distincta praecisa a notis individuantibus vere a nobis cognoscitur ut realitas quaedam, ut supra (n. 193) contra nominales, sensistas et conceptualistas

ostendimus, a quibus realitas substantiarum negatur. Contra quos sit:

636. **Conclusio.** — *Realitas substantiarum ut certissima est admittenda.*

Prob.: Existere complexum qualitatum est certissimum, quod quidem neque ab inficiantibus realitatem substantiarum negatur; et si quidem negaretur, haberetur purus subjectivismus quem supra late (n. 194, 209, 254, 258, 314, 382) refutavimus. Atqui hujusmodi qualitates quae ponuntur existere aut ita existunt ut indigeant ad existendum aliquo subjecto, ita ut nonnisi in eo existere possint, aut ita existunt ut nullo subjecto indigeant et sint per se subsistentes. Si ita existunt ut nullo alio subjecto indigeant ad existendum, et ideo sint per se subsistentes, illae ipsae qualitates recte dici poterunt substantiae juxta definitionem quam (n. 625) tradidimus de substantia, et ideo habetur realitas substantiarum: si autem ita existunt ut aliquo subjecto, cui inhaereant, indigeant; ergo existit tale subjectum cui qualitates illae inhaerent. Tale autem subjectum cui illae qualitates inhaerent, aut est *per se et in se subsistens* non indigens aliquo alio subjecto cui inhaereat; et in hac hypothesi *substantia realis* dici poterit, quae proinde existit; vel indiget aliquo alio subjecto; quod quidem ratiocinium huic secundo subjecto applicari potest et tertio etc.; et quia non est procedere in infinitum, dicendum est existere aliquod subjectum per se et in se subsistens proindeque substantiam.

Posset etiam afferri argumentum ex sensu naturae communi, quo generi humano suasum est dari in unaquaque re aliquod subjectum reale idem semper perseverans sub succedentibus modificationibus; quod recte juxta supra traditam (n. 625) notionem

vocatur substantia, quod quidem confirmatur ex ipsa conscientia nostra respectu personalitatis humanae.

337. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Essentiae seu substantiae rerum nonnisi definitione cognoscuntur. Atqui omnes nostrae definitiones nominales sunt; quia definitio non est nisi explicatio unius vocabuli per aliud. Ergo nonnisi essentias nominales dignoscimus.

Resp.: Conc. maj. et *nego minorem.* — *Ad Prob. resp.:* Ex hoc quod definitio est explicatio unius vocabuli, designat atque explicat ipsam *rem significatam* per vocabulum, et ideo essentiam realem, quamvis sine notis individuantibus; has enim vocabulum non designat. Unde essentia seu substantia atoma individualis non cognoscitur a nobis, sed essentia specifica aut generica cognoscitur (1).

Obj. 2.ª — Essentiae seu substantiae rerum resultant ex collectione omnium accidentium. Atqui haec accidentium omnium collectio prorsus nos latet. Ergo et nos latent rerum essentiae seu substantiae.

Resp.: Neg. maj. et transmissa minori, nego cons. Accidentia substantiam supponunt, non constituunt, ut patet ex terminis. Et quamvis omnia accidentia

---

(1) Ad rem clar. Aloysius Chiesa: « Phaenomena sive qualitates oxigenii e. g. substantiam oxigenii manifestant; saltem notum est oxigenium esse substantiam corpoream determinatos phaenomenos producendi capacem, determinatarum qualitatum esse radicem, distingui a carbonio, a cloro etc. Haec utique est imperfecta cognitio at vera cognitio. Similiter cum dicimus aurum e. g. esse entitatem, substantiam, corpus, tria praedicata *essentialia* novimus; et revera non est auro essentiale esse entitatem, substantiam, corpus? Haec utique est vaga et generica cognitio sed quasdam notas objecti essentiales manife-

non cognoscantur a nobis, cognoscuntur tamen quaedam, quae sufficiunt ad cognitionem substantiae habendam, praecipue si sint proprietates ipsius.

Obj. 3.ª Substantiae rerum respondent ideis aeternis existentibus in mente Dei; sed ideas aeternas non cognoscimus. Ergo neque rerum substantias.

Resp.: Dist. maj : Respondent ideis aeternis tamquam causis exemplaribus *conc.,* tanquam causis *intrinsecis* ipsarum substantiarum constitutivis, *nego. Transeat minor,* vel *distinguo :* Ideas aeternas non cognoscimus perfecte et intuitive, *conc.,* imperfecte et abstractive, *nego ;* et *nego conseq.* — Dixi transeat *minor,* quia non requiritur cognitio idearum divinarum ad substantiam rerum cognoscendam.

---

stat ; et hoc ad nostram thesim sufficit. Insuper ex his intellectus noster ratiocinando alias notas attingere potest atque hanc genericam cognitionem magis magisque determinare. — Unde recte notat Rosminius (*Nuovo Saggio,* vol. II., c. 2, art. I) : Ad ideam substantiae habendam sufficit cognoscere modificationem subjectum modificatum exigere ; hoc subjectum substantia est. Si autem dicas : Nescio quid sit hoc *subjectum,* respondeo : Certe, imo vobis concedo esse aliquid ignotum, puta X. Certum est tamen ipsum esse subjectum talium modificationum, et hoc scimus, sicut scimus talia effectuum vel phaenomenorum causam esse. Quid amplius scire velitis de ratione vel natura substantiae ? — Si praescindatur a suis proprietatibus, modificationibus, effectibus aliquid ignotum manebit ; non ita tamen ut idea ipsius vel notio penitus evanescat imo ipsum aliquam habere relationem cum supra memoratis notum erit. Haec est quae a nobis habetur de substantia cognitio, neque plus neque minus exigere debemus. — Sophisticum omnino est arguere : Substantia independenter a qualitatibus aut phaenomenibus cognosci nequit. Ergo nullo modo cognosci potest ». Haec litteraliter verti. *La Base del Realismo* e la *Critica Neo-kantiana*, pag. 54, Desclée, Roma.

CAPUT XVII.

De supposito et persona

(Nostra theol. special. P. II, c. XV ; BOETIUS, De Persona etc. P. L., LXIV 1338 ; S. Th., qu. 29. et P. III, qu. 2, a. 2. et qu. 4. a. 2 cum comm. CAJET., BANNES, in I, P. S. Th. qu. 3. a. 3. concl. IV ; SUAREZ, disp. 341 ; Joann. a S. Th. Curs. phil. I-II, p. 105-108 ; ZIGLIARA, Ont. lib. III, cap. I. art. IV : LIBERATORE, Ont. cap. II, art. IV; DE MARIA, l. c., a. VII-VIII. Per. *Div Th.* a. 1901 pag. 171 ; LEPIDI, l. c. ; MERCIER, n. 147 et seq. : De Vorges, t. II, p. 22 ; HUGON, l. c., p. 246).

638. **Suppositi definitio.** — *Suppositum* definitur : *Substantia perfecte subsistens sui juris et alteri incommunicabilis* (1). Haec definitio convenit etiam personae dummodo substantia sit *intellectualis* (2).

(1) Dicitur *sui juris et incommunicabilis* per hoc quod substantia perfecte subsistens est divisa a quacunque alia per existentiam propriam. — Tunc est perfecte subsistens si est species completa. At si res existat existentia non propria sed alterius naturae vel personae cui copuletur tunc non est sui juris neque incommunicabilis cum importet actu illi naturae cui unitur communicationem. Unde res fit sui juris ex hoc quod dividitur ab alia, cui uniebatur, propriam existentiam induendo. Per hoc quod res dicitur perfecte subsistens jam intelligitur subsistens in se ut quoddam totum, unde quidquid existit in alio sive ut forma sive ut pars, vel ad modum formae vel partis utpote non existens in se non habet rationem suppositi ; unde ratio suppositi importat quamdam independentiam in esse et consequenter in agere, unde est principium *quod actionis*. — Divisio tamen naturae non est constitutivum formale suppositi vel personae, sicut nec ipsa existentia, sed conditiones sunt ad habendum suppositum secus suppositum puta *Petrus* non posset concipi sine existentia, idest *Petrus* possibilis non esset concepibilis, neque vere dici posset alia supposita praeter ea quae sunt esse possibilia.

(2) A Boetio, persona dicitur : (lib. de duab. nat.) *Rationalis naturae individua substantia*. — Cf. S. TH. P. I. qu. 40 a 3. c. ubi hypostasis sumitur pro supposito.

639. **Explicatio definitionis.** — *Suppositum* dicitur *substantia,* quia accidentia rationem suppositi non habent. Dicitur *perfecte subsistens ;* et per hoc excluduntur substantiae incompletae, quae solae, sive separatae ab alio elemento, non existunt ; e. g. animae brutorum quae non possunt esse sine corpore. Additur : *sui juris*, per quod partes compositi excluduntur a ratione suppositi : unde anima humana licet sit per se subsistens et quidem ita ut nullo modo indigeat corpore ad existendum, tamen ipsa non potest dici *suppositum,* quia est *pars hominis,* ad quem pertinet, sicut quaelibet pars est *compositi*, et ideo non est sui *juris*, sed *alterius ;* et actiones animae sunt vere hominis cujus est anima : anima enim est id *quo* homo intelligit, sed homo est id *quod* intelligit, idest *principium quod* intellectionis ; nam tum actiones animae, tum actiones corporis tribuuntur homini ut principio *quod.* Per ultima verba *alteri incommunicabilis* a ratione suppositi excluduntur substantiae secundae (n. 627), idest substantiae universales, quae de pluribus praedicantur.

640. **Observatio.** — Per hoc quod suppositum vel persona in tradita definitione dicitur *substantia,* adsignatur id per quod convenit cum omnibus substantiis, quae sunt vel incompletae, vel partes compositi, vel substantiae secundae. — Per alia verba quae sequuntur idest *perfecte subsistens etc.* designatur id in quo ipsa persona ab aliis substantiis differt et persona constituitur, eo ferme modo quo *rationale* est id per quod homo differt ab aliis animalibus et constituitur homo ; unde sicut id, per quod constituitur et distinguitur *homo* ab aliis, abstracte acceptum dicitur *rationalitas*, ita id, per quod substantia aliqua constituitur persona, abstracte ac-

ceptum dicitur *personalitas*, vel etiam *subsistentia* (completa); subsistentia tamen praescindit a rationali natura et est abstractum suppositi, idest est id, per quod suppositum ut tale constituitur. *Subsistentia* (completa) ergo est *ratio* sive *id* per *quod* substantia fit *perfecte subsistens sui juris et alteri incommunicabilis.* (cf. Nostram theol. spec. l. n. 148 SUBSISTENTIA).

641. **Corollaria.** — I. Solummodo ergo substantiae primae idest individua per se et in se complete subsistentia, quae non sunt partes alterius rei, habent rationem suppositi et proprie dicuntur supposita. Supposita, quae sunt *rationalis naturae*, dicuntur *personae.*

II. Suppositum vel persona non potest subsistere cum altera substantia in uno eodemque esse, ita ut actiones utriusque tribuantur alteri principio: actiones e. g. meae nonnisi mihi tribui possunt, non enim ego possum esse pars alicujus compositi.

III. Ex hoc sequitur manifeste contra Scotum *subsistentiam* esse quid positivum, non negativum; nam esse *perfecte subsistens, sui juris* et consequenter *alteri incommunicabile* perfectionem in suo conceptu importat; per hoc enim ipsa substantia completur in ratione essendi substantialiter.

642. **Conclusio I.** — *Ratio personalitatis non est formaliter loquendo ipsa ratio singularitatis aut ratio individuationis.*

Prob.: Si ratio personalitatis formaliter loquendo esset ipsa ratio singularitatis et individuationis, ubicumque invenitur singularitas et individuatio, inveniretur personalitas. Atqui personalitas non invenitur ubicumque invenitur ratio singularitatis et individuationis. Ergo ratio personalitatis non est idem formaliter ac ratio singularitatis et individua-

tionis. — *Declaratur minor :* Anima alicujus individui e. g. Petri singularis est et individua, tamen in ea non est ratio personalitatis, cum ipsa non sit persona.

2.ª Ratio singularitatis importat entitatem formaliter ut indistinctam in se et distinctam ab aliis. Atqui ratio subsistentiae seu personalitatis entitati indistinctae in se et distinctae ab aliis superaddit perfectam rationem subsistendi, esse sui juris et incommunicabilitatem. Ergo ratio singularitatis seu individuationis non est ipsa ratio subsistentiae, seu personalitatis.

643. **Conclusio II.** — *In rebus creatis persona realiter distinguitur ab ipsarum natura individua.*

Prob. : Illud quod realiter est identicum cum altero potest de illo affirmari, quia unum est aliud. Atqui natura hujus personae Petri, licet singularis et individua, non potest de Petro affirmari, non enim dici potest Petrus est humanitas vel est ipsa sua natura humana. Ergo in rebus creatis individuis persona realiter distinguitur a natura individua ipsarum.

Confirmatur 1.° : Natura individua Petri ut pars Petri concipitur, et habet vere rationem partis, nam Petrus non est ipsa natura, sed est habens naturam, et natura dicitur esse in Petro ad modum quo pars dicitur esse in toto. Atqui pars realiter a toto in quo est distinguitur. Ergo natura hujus personae quae est Petrus distinguitur ab ipso realiter.

Confirmatur 2.° : Ratio qua constituitur persona est distincta realiter a natura. Ergo persona distinguitur realiter a natura. — *Prob. antec.* ex eo quod secus humana natura Christi haberet propriam personalitatem ; non enim potest esse separatum vel

destructum illud quod est identicum realiter cum natura humana Christi. Unde in Christo essent duae personae divina et humana.

644. **Corollaria.** — I. Quando ergo a scholasticis *persona* definitur *rationalis naturae individua substantia*, individua dicitur eminenti quadam ratione secundum quod importatur perfecta ratio subsistendi, esse sui juris et incommunicabilitas.

II. Persona a natura distinguitur sicut totum a sua parte formali, idest sicut includens et inclusum; nam totum includit partem in se, quae realiter est in eo. Non ergo persona et natura sunt considerandae ut duae *res*, quarum una omnino sit extra aliam, seu ab alia extranea, sicut e. g. sunt corpus et anima.

645. **Conclusio I.** — *Natura respectu personae vere habet rationem formae.*

Prob.: Ratio hujus propositionis est quia nomine formae philosophice loquendo intelligitur perfectio (sive actus) rei expressa solitarie sine subjecto, in quo naturaliter existit vel intelligitur existere, et a qua subjectum denominatur: e. g. albedo sic expressa dicitur *forma* albi. Et dicitur *accidentalis* si designet perfectionem superadditam ipsi substantiae, ut albedo, virtus etc.; et dicitur *substantialis* si designet ipsam essentiam; dicitur *totalis* si designet totam essentiam, *partialis* si partem essentiae. Unde cum natura alicujus personae, e. g. humanitas designet essentiam ipsius, et quidem totam secundum suam spèciem, merito dicitur *forma totalis* compositi.

646. **Conclusio II.** — *Identitas personae non constituitur per memoriam vitae praeteritae et per conscientiam propriam vitae praesentis.* — Haec conclusio est contra Lockium.

Prob.: Persona est quid substantiale, ut patet ex dictis, et permanens, neque minui, neque augeri potest. Atqui memoria est quid accidentale, quid labile, minui et augeri potest, ut patet ex facto; item conscientia propria vitae praesentis est actus facultatis cognoscitivae, ac proinde est accidens, quod naturam et personam supponit, non est quid permanens sicut persona. Ergo identitas personae etc. — Sententia opposita nostrae conclusioni opponitur doctrinae catholicae quae docet in Christo esse duplicem conscientiam, non tamen duplicem personam, et tamen esset duplex persona in sententia opposita.

647. **Quomodo se habent in persona natura, subsistentia existentia.** — Igitur persona quae consideratur ut quoddam totum in se amplectens omnia substantialia et etiam accidentalia est quid resultans ex natura, ex subsistentia et ex existentia, quae tamen ultima consequitur potius personam; non autem eam constituere intelligitur. Unde 1.° concipitur *natura* quae est id *quo* aliquid habet esse; ut humanitas est id quo Petrus est homo, 2.° concipitur *subsistentia*, quae inadaequate sumpta (idest pro eo quo formaliter persona constituitur) est id quo natura fit perfecte subsistens *sui juris* et *incommunicabilis;* non tamen adhuc concipitur ipsa *existentia* in natura per hoc quod natura concipitur *subsistens seu sui juris et incommunicabilis.* Nam existentia nullius creaturae est ejus constitutivum, quia omnis creatura in suo constitutivo plene concipitur quin concipiatur existere. Unde Deus antequam res producat plene eas concipit in specie et in individuo;

(1) Cf. Rosselli, l. c., quaest. II, art. 6., et Lepidi, *Ontol.* lib. II, Sect. II, cap. II, art. II.

etiam prout in eorum conceptu objectivo important esse sui juris et rationem incommunicabilitatis, imo multa, infinita possibilia vere ita concipit. Atqui non concipit ea existere secus actu existerent. — Unde existentia seu existere extra rationem subsistentiae et personalitatis est omnino.

648. **Constitutivum formale personae.** — Igitur ex his concludi potest constitutivum formale personae non esse *existentiam*, ut quidam theologi (1) putant, sed subsistentiam quae inadaequate sumpta, idest ut est supra explicata distinguitur ab existentia inadaequate sumpta idest exclusive prout per ipsam res extra causam et in ultima actualitate ponitur. Unde existentia seu actus existendi pertinet ad suppositum jam constitutum. Suppositum ergo praeintelligitur ad esse ut habens esse. Unde S. Thomas ait: « quod esse consequitur naturam, non sicut habentem esse sed sicut qua aliquid est; *personam autem sive hypostasim* (idest suppositum) *consequitur sicut habentem esse* » (2). Unde idem Angelicus dicit expresse: « Licet ipsum *esse* non sit de *ratione suppositi* » (3). Id autem quod quidam objiciunt ex S. Thoma: « Esse pertinet ad constitutionem personae » (4) significat quod esse pertinet ad personam *constitutam* ut consequens ipsam; et sic omnia cohaerent in doctrina S. Thomae.

---

(1) Theologi ponentes distinctionem inter existentiam et subsistentiam sunt: Cajetanus, Ferrariensis, Bannes, Joannes a S. Th., Billuart, Goudin, Sanseverino, Card. Mercier, Hugon et alii. — Negantes vero sunt: Medina, Guéinois, Card. d'Aquirre, Billot, Schiffini etc. — Etiam Suarez admittit realem distinctionem inter subsistentiam et existentiam, sed ipse non distinguit existentiam a natura.

(2) P. III. qu. 17. a. 2 ad 1.^{m}

(3) Quodl. 2. a. 5 ad 2.^{m}

(4) P. III. q. 18. a. 1 ad 4.^{m}

St. Albert's College Library

Caput XVIII.

De accidentibus

(Aristotel. IV, VII, IX Metaphys. cum comm. S. Thomae; S. Thom. de ente et essentia cum comm. Cajet.; Joann. a S. Th. l. c. Goudin, Alamannus in log.
Zigliara, Ontol., l. III, cap. II; Liberatore, Ontol. cap. II, art. V; Lepidi, Ontol. Lib. II, sect. II, cap. I, art. V, VI, VII; De Maria, Ontol. tract. II, qu. IV. a. I; Schiffini, Lorenzelli; Mercier, n. 15; Hugon, Willems, Ontol.).

649. **Accidens praedicamentale, accidens praedicabile.** — *Accidens* aut contradistinguitur ad substantiam et est aliquid *reale* quod in novem categorias Aristotelicas dividitur, et in hoc sensu quidquid non est substantia aut pars substantialis dici potest accidens; aut est *unum* ex quinque praedicabilibus, et sic acceptum est aliquid logicum, *ens rationis:* est enim *unum* quod habet aptitudinem ut sit in pluribus et praedicetur de eis; nihil autem realiter existens extra mentem, secundum illum modum quo extra mentem existit, praedicatur de multis. Habet tamen fundamentum *reale* in accidente reali, quod in subjecto contingenter existit et quod ad praedicamentum accidentis pertinet. De accidente praedicamentali in praesenti loquimur.

650. **Definitio accidentis praedicamentalis.** — Accidens *praedicamentale* sic definitur: *Res seu quidditas cui convenit esse in alio sicut in subjecto.* Nam sicut substantia dicitur essentia vel res, cui competit esse in se et per se et non in alio sicut in subjecto, ita accidens, quod substantiae opponitur, dicitur *res cui competit esse in alio sicut in subjecto,* non autem per se et in se, et ideo nonnisi existente subjecto

existere potest: e. g. color, virtus, actio etc. accidentia sunt. Accidens ita definitum dicitur accidens *physicum* seu *reale*, utpote distinctum ab accidente logico nuper memorato.

651. **Accidens metaphysicum.** — A quibusdam distinguuntur etiam accidentia metaphysica, quorum nomine intelliguntur proprietates reales, quae concipiuntur in re quasi consequentes rationem genericam aut specificam, et quae ut formalitates rei concipiuntur sive realiter ab essentia distinguantur sive non: e. g. risibilitas in homine, immortalitas in anima rationali. Quae tamen cum ab essentia realiter non distinguantur, dicuntur accidentia impropric non quasi sint vera accidentia, sed quia ad modum accidentis concipiuntur.

652. **Modus essendi accidentis proprius.** — Accidens cum non habeat esse per se, sed in alio tamquam in subjecto, non potest dici *per se ens*, seu *ens simpliciter*, sed *ens secundum quid;* nam accidens proprie non est *id quod est,* sed est potius *id quo aliquid est tale:* e. g. albedo est id *quo* aliquid est *album*, est in albo a quo habet esse, et ideo ad rem quae dicitur alba pertinet, et est ejus, scilicet est rei albae. Idem dicatur de *colore* etc. Unde accidens dicitur potius *entis ens*, quam simpliciter *ens*.

653. **Quaestio.** — His positis quaeritur an accidentia physica realiter distincta a substantia ut verae entitates dentur in natura: putant enim quidam nullam aliam entitatem dari praeter substantiam, et ea quae de substantia praedicantur ut adventitia nihil aliud esse quam puros respectus, quos substantiae habere concipiuntur inter sese; imo docent accidentia physica a scholasticis admissa ut entitates veras prorsus repugnare.

654. **Conclusio I.** — *Dantur accidentia realia physica quae a substantia in qua sunt realiter distinguuntur.*

Prob. 1.°: Accidens physicum est entitas, seu res, cui naturaliter convenit esse in alio sicut in subjecto. Atqui in substantia dantur res seu entitates quae in ipsa sunt tanquam in subjecto ab ea realiter distinctae. Ergo dantur accidentia physica realia in substantia ab ipsa substantia realiter distincta. — *Prob. minor:* Dantur reales mutationes in substantia, substantia semper eadem perseverante. Atqui in substantia sive in subjecto non potest intelligi mutatio, nisi intelligatur ipsum subjectum aliquid reale de novo acquirere, quod ei vi mutationis insit, aut amittere quod ei realiter inerat, sicut cum quis de ignorante fit sciens, de frigido fit calidus. Ergo in substantia est aliquid reale ab ipsa substantia realiter distinctum, quod quidem est quaedam entitas realis.

Prob. 2.° *ex natura substantiae intellectivae:* Nam substantia intellectiva proficiendo in cognitione tum sui, tum aliarum rerum ab ipsa distinctarum, procul dubio realiter perficitur, fit enim de potentia sciens actu sciens. Atqui perfectio realis, quae alicui supervenit, cum importet *esse reale*, est nova entitas realis superaddita substantiae, et ideo a substantia realiter distincta. Ergo in substantia saltem spirituali dantur entitates quaedam a substantia realiter distinctae, quae recte accidentia dicuntur, utpote in se et per se separatae a substantia existere non valentes (1).

---

(1) Cf. Rosselli, *Summa Philosph.*, Metaph., quaest. X, art. II, prop. I; et De Maria, l. c., a. III; Schiffini, *Ont.* c. II, a. II.

655. **Conclusio II.** — *De essentia accidentis ut accidens est non est quod actu sit in connaturali subjecto ut subjectum est.* — Non negatur per hanc conclusionem esse de ratione quorumdam accidentium inhaerere alicui subjecto, nam concedimus e. g. de ratione *rotunditatis* esse ut sit in re, quae dicitur rotunda, sicut de ratione *intellectionis* esse ut actu inhaereat intellectui; sed adseritur hoc non esse de ratione accidentis, ita ut omnibus accidentibus conveniat necessario et essentialiter actu inhaerere subjecto. Ante probationem conclusionis advertendum est accidens esse *entitatem* non per se sed alterius entitatis, et ideo esse *entitatem diminutam,* quae proinde indiget subjecto. Tria ergo sunt in accidente distinguenda: 1.° necessitas ut substentetur, seu exigentia ut sit in subjecto; 2.° inhaerentia actualis ipsi subjecto; 3.° modificatio subjecti quae consequitur ipsam inhaerentiam. Ex quibus sequitur: 1.° quod accidens indiget subjecto non ut subjectum est, sed ut est substentans (hoc, inquam, est de ratione accidentis ut accidens est); 2.° quod exigentia distinguitur realiter ab actuali inhaerentia, nam exigentia dicit aptitudinem ad inhaerendum, et nihil amplius. — His positis:

Probatur conclusio: Accidens, ut accidens est, potest actu esse, absolute loquendo, extra subjectum sibi connaturale. Ergo de ratione accidentis, ut accidens est, non est quod actu sit in connaturali subjecto, ut subjectum est. — *Patet conseq.* — *Prob. antecedens:* Ratio unica quare accidens, ut accidens est, indiget esse in subjecto, est quia non habet virtutem substentandi se, et ideo indiget esse in subjecto, non quatenus est subjectum, sed quia in subjecto est virtus ipsum substentandi. Atqui vir-

tus, quae naturaliter inest subjecto substentandi accidens, potest ab alio principio suppleri, saltem a Deo, in quo eminenti ratione continetur virtus cujuslibet rei ab ipso creatae. Ergo accidens potest, saltem virtute divina, extra suum subjectum connaturale existere (1). — Adverte *accidentia* a scholasticis quandoque vocari *species,* quia speciem, vel similitudinem sui imprimunt in sensus.

656. **Solvuntur difficultates contra primam conclusionem.** — *Obj.* 1.ª Rotunditas cerae e. g. essentialiter consistit in dispositione partium illius. Ergo rotunditas cerae non distinguitur realiter a cera ipsa.

Resp. negando consequentiam. Nam dispositio cerae non est ipsa cera a parte rei, cum possit amittere proprium esse rotunditatis, remanente ipsa cerae substantia. Neque ipsa rotunditas est dispositio a mente facta, quasi sit aliquid logicum, sed est quid objectivum habens esse in cera independenter a mentis consideratione.

Obj. 2.ª Si accidentia peripatetica essent entitates reales a substantia distinctae semper suum effectum formalem producere deberent, applicata rebus. Atqui non semper producunt suum effectum formalem, e. g. *calor* rei minus calidae non calefacit rem magis calidam, unde manus aquam tepidam non sentit. Ergo accidentia scholasticorum non sunt entitates a substantia in qua sunt distinctae.

Resp.: Disting. maj.: Si res quibus appropinquantur seu applicantur accidentia, essent rite dispositae, *concedo;* secus *nego.* — Non solum accidentia

(1) Cf. Rosselli, l. c., prop. II et III; De Maria, l. c., a. IV.

nullum producunt effectum formalem si rebus indispositis applicentur, sed neque ipsae substantiae; unde anima, quae substantia est, effectum suum formalem non producit nisi materia sit rite disposita ab agente, et multo minus si in materia praeexistat alia anima ab ea distincta quae non sit via et dispositio ad ipsam.

Obj. 3.ª Accidens est id cujus totum esse est inesse, quod proinde a subjecto non potest separari. Atqui si accidens esset aliqua entitas a substantia realiter distincta, posset ab ea separari, ut de facto posse separari docent scholastici. Ergo accidens non est entitas a substantia realiter distincta.

Resp.: Dist. maj.: Quaedam accidentia, ut rotunditas cerae e. g., sunt id cujus totum esse est inesse, *transeat;* omnia accidentia, *subd.*: cujus totum esse existentiae, *transeat;* cujus totum esse essentiae, *nego.* — Licet accidentia ut talia non possint concipi nisi cum ordine ad existendum in substantia, tamen ut aliquid a substantia distinctum in sua essentia optime concipiuntur, e. g. *virtus, color, sapor* ut *aliquid* concipiuntur, et esse aliquid communiter affirmantur; et si quis ea esse substantias contenderet, procul dubio desipere videretur.

Obj. 4.ª Si accidentia essent entitates reales, producerentur ex nihilo. Sed non producuntur ex nihilo, nam producuntur a creaturis; producere autem ex nihilo est opus solius Dei. Ergo accidentia entitates non sunt.

Resp.: Dist. maj.: Producerentur ex nihilo sui et subjecti, *nego;* ex nihilo sui, *concedo.* Et *contrad. min., nego conseq.* Insuper accidentia proprie non producuntur, cum per se non habeant esse; illud enim quod producitur est compositum quod ex accidentibus resultat, e. g. non ipsa albedo, sed album.

657. **Accidens absolutum, relativum, modale.** — Tradidimus (n. 13) divisionem accidentium in novem genera; nunc autem alia divisio tradi potest secundum quod accidens sub alio respectu consideratur. Unde accidens vel est *absolutum*, vel *relativum*, vel *modale*. — Accidens absolutum illud dicitur cujus entitas importat primo aliquid in se, licet importet etiam ordinem (aptitudinem ad inhaerendum) ad aliud. Sic quantitas, qualitas, e. g. albedo concipitur 1.° ut aliquid, 2.° ut id quo aliquid est tale e. g. album. — Accidens relativum est illud in cujus conceptu primo importatur ordo vel respectus ad aliud. — Accidens absolutum vel aliquid extrinsecum connotat, vel non. *Quantitas* nihil extrinsecum connotat, sicut etiam *qualitas*. *Actio* vero, *passio, quando, ubi, situs, habitus* aliquid extrinsecum connotant. — Accidens *modale* ab antiquis inter accidentia absoluta computabatur et computari debet juxta traditam definitionem. — Tamen hodie ob difficultates quae moventur a recentioribus in quaestione de separabilitate accidentium a substantia accidens *modale* (1) dicitur illud quod modum rei importat, ut *rotunditas* cerae, *sessio* sedentis etc. *Absolutum* vero dicitur quod majorem entitatem et distinctionem a subjecto importat quam simplex modus ipsius, ut quantitas, qualitas etc.

---

(1) Quidam recentiores per modum quodcumque accidens seu quamcumque rei substantialis modificationem intelligunt; sed nos nomine modi entitatem minutiorem quam per accidens simpliciter acceptum exprimatur intelligimus: idest simplicem modificationem ipsius accidentis; e. g. rotunditas cerae modificat quantitatem et ipsum cerae colorem et his mediantibus ipsam ceram; similiter motus modificat mobile, sed ipsa *velocitas* motum ipsum modificat. « Modi nomen adeo vagum est ait Goudin (Log. Maj. P. I. disp. II. qu. IV. a. I) et varie sumitur, ut vis

Caput XIX.

De qualitate

(Aristot. Categ, c. 6-8, et V. Metaphys. cum comm. S. Thomae ; Summ. totius logicae ; Soto log. ; Joann. a S. Thoma ; Alamannus ; Goudin, pars. I, Log. major. disp. II, qu. V ; Zigliara, Ontol. l. III. art. I ; Liberatore, Ontol. cap. II, art VI ; De Maria, Ontol. Tract. II, qu. V ; Mercier, Schiffini, Hugon, Willems).

658. **Notio qualitatis.** — Quidquid praedicatur de aliquo praeter essentiam ejus expressam per definitionem dicitur praedicari de illo non *substantive*, sed *adjective*, quia concipitur a mente *ipsi essentiae* quasi superadditum sive adjectum. Quod praedicatur *adjective* dicitur *qualitas ;* sed hoc modo idest 1.° *qualitas* latissime sumitur. 2.° Qualitas sumitur magis proprie ad designandum quodlibet genus accidentis. 3.° Qualitas sumitur propriissime ad designandum peculiare genus accidentis a

---

una definitione figi possit. Sumitur latissime pro omni eo quod rem determinat ad aliquam essendi rationem. Hoc sensu non solum accidentia, sed et forma ac differentia essentialis dici possunt *modi* ; determinant enim ad quemdam essendi rationem. Sumitur specialius *modus* pro *mediocritate* seu *statu* inter extrema medio : quo sensu dixit S. Augustinus 4 super Genes. ad litt. c. 3 ; *Modus* est *quem mensura praefigit*.... Verum neque tam lato neque tam stricto sensu hic *modus* sumitur ; sed pro eo quod non tam novam rem affert, quam rei novum quemdam statum. Atque sic *res* distinguitur a modo, ut res sit insignior quaedam entitas sive substantialis ut forma, et materia, sive accidentalis ut calor, virtus, quantitas etc. ; *modus* vero sit aliquid minutius quo res istae aliter et aliter se habent ut segnities et velocitas non sunt motus ipse aut virtus movens, sed modus, secundum quem virtus illa et motus aliter et aliter se habent ».

quo substantia modificatur, qualificatur, et dicitur *qualis*. In hoc sensu sumimus qualitatem in praesenti, et est tertium *praedicamentum* (n. 13). Sic autem definitur: *Accidens modificativum seu dispositivum substantiae in se ipsa*, ut *doctrina* qualitas est, qua mens modificatur, qua fit sciens et denominatur docta.

659. **Qualitatis species.** — Quatuor species qualitatis a scholasticis distinguuntur, ut diximus in logica (n. 13) videlicet: 1.° Habitus et dispositio. 2.° Potentia et impotentia. 3.° Passio et patibilis qualitas. 4.° Forma et figura. Quae divisio est recta et completa. *Et prob.:* Qualitas est accidens modificativum substantiae in se ipsa, ut dictum est. Atqui nonnisi quadrupliciter substantia potest intelligi modificari in seipsa, videlicet: 1.° Vel quatenus modificatur in se ipsa ut bene vel male se habeat ad finem cui destinatur, ut homo per virtutem recte disponitur in ordine ad aeternam felicitatem; et habetur prima species qualitatis, videlicet *habitus* vel *dispositio;* 2.° vel substantia modificatur in seipsa in ordine ad agendum, et habetur secunda species qualitatis idest *potentia* et *impotentia;* 3.° vel substantia modificatur in ordine ad passionem vel alterationem, et habetur tertia species qualitatis videlicet *passio* et *patibilis qualitas;* 4.° vel substantia modificatur in ordine ad extensionem, et habetur quarta species qualitatis idest *forma* et *figura* (1).

660. **Qualitatis proprietates.** — Qualitatis proprietates ad tres reducuntur, et sunt sequentes: 1.° Habere contrarium; 2.° suscipere magis et minus; 3.° esse fundamentum similitudinis vel dissimilitudinis rerum.

(1) Cf. log. n. 14.

661. **Conclusio I.** — *Hujusmodi proprietates tamen non conveniunt qualitati ut qualitas est, sed ut est determinata ad hanc vel illam speciem qualitatis.*

Prob.: Si hujusmodi proprietates convenirent qualitati reduplicative ut qualitas est, omnibus speciebus qualitatis convenirent, et solummodo qualitati. Atqui dictae proprietates non omnibus qualitatibus conveniunt, sed quibusdam speciebus ejus tantum, nec qualitatibus solummodo, sed etiam aliis generibus. Ergo hujusmodi proprietates non conveniunt qualitati reduplicative ut qualitas est. *Major patet. Minor* vero declaratur: 1.° *Habere contrarium* e. g. convenit quidem primae speciei qualitatis, idest *habitui* per quem substantia bene vel male disponitur ad finem, ut homo per virtutem bene, per vitium male; sed non convenit *secundae speciei: potentia* enim cum naturaliter et necessario a substantia procedat destrui nequit, et ideo non habet contrarium, nam *contraria* ad invicem se excludunt ab eodem subjecto. Neque *figura* alteri *figurae* contrariatur. 2.° *Suscipere magis et minus* convenit quidem primae speciei qualitatis idest *habitui* e. g. virtuti, scientiae, quae augeri possunt tum intensive, tum extensive; sed non convenit quartae speciei idest *figurae*, neque extensive, quia non dicit ordinem ad aliud, neque *intensive* cum figura nonnisi uno modo convenire corpori concipiatur. 3.° *Esse fundamentum similitudinis* convenit etiam substantiae praecipue in specie consideratae e. g. humanitati.

662. **Conclusio II.** — *Qualitas in sua essentia omnino simplex est.* — Haec conclusio est contra Scotistas et Suaresianos qui docent qualitatem constare ex gradibus realiter distinctis, pluribus vel

paucioribus juxta majorem vel minorem perfectionem ipsius; est tamen thomistarum magistrum Angelicum sequentium.

Prob.: Si qualitas constat ex partibus aut hae sunt essentiales, aut integrales. Atqui non essentiales quia partes essentiales distinctae in aliqua re se habent ad invicem sicut potentia et actus et ideo diversam suscipiunt definitionem sicut anima et corpus, materia et forma; hoc autem in qualitate non contingit: insuper quilibet gradus qualitatis habet rationem actus et veram rationem qualitatis; unde vere ei competit qualitatis definitio; si ergo plures partes essentiales in qualitate ponantur ipsa qualitas numerice multiplicabitur, scilicet tot qualitates individuae erunt quot partes; — sed neque in ea possunt adsignari partes integrales, nam partes integrales proprie dictae non augent rem, sed rem extendunt extrinsece, et non intendunt formam; unde haberetur in qualitate quantitas extensiva quae est quantitas molis. — Neque dicas in qualitate esse quantitatem virtutis, nam tunc redit ratio in primo membro exposita; virtus enim actus simplex est et in eo non attenditur nisi virtualis distinctio.

663. **Quomodo fiat intensio qualitatis.** — Ex quibus patet quod intensio qualitatis non fit per additionem gradus ad gradum quasi distinctus gradus seu distincta entitas superveniat priori sed inquantum forma imperfecta fit forma perfecta virtualiter differens a praecedenti (1).

---

(1) « Non est intelligendum, ait Angelicus, quod cum forma intenditur, *augeatur per additionem gradus ad gradum* ita quod sint ibi duo gradus distincti, quorum unum addatur alteri et possit ab eo distincte signari. Sed fit tale augmentum, inquantum *forma imperfecta fit perfecta* » opusc. 48. Tract. II. c. 4. — Cf. I-II, c. 52. a. 2.

664. **Objectivitas qualitatis.** — De objectivitate qualitatis dubitare nullo modo licet post ea quae contra subjectivismum statuimus; nam qualitas, praecipue ut importat habitum et potentiam, de qua suo loco dicetur, est principium actionum et importat proprietates rerum; res autem in earum objectivitate a nobis per earum operationes cognoscuntur; similiter res cognoscuntur per figuram, formam etc.; unde si qualitas careat objectivitate, etiam ipsarum essentiarum et rerum objectivitas nutabit; unde habebitur scepticismus absolutus.

CAPUT XX.

De habitibus

(ARISTOT. Categ. 8, et IV Metaphys; S. Thom. comm. in Aristot. et P. I, II, qu. 49-55 cum comm. CAJET, ALVAREZ. MEDINA, JOANN. a S. THOM. log. et in I, II, S. TH., SUAREZ, Disp. 4; GOUDIN, l. c.; ZIGLIARA, l. c., art. II; LIBERATORE, l. c. SATOLLI, De habitibus, DE MARIA, SCHIFFINI, HUGON l. c. p. 45; GILLET. Revue des Sciences Philosoph. etc. Janvier et Juillet 1907).

665. **Quid est habitus.** — Hoc nomen habitus ab habendo dictum esse videtur, non quidem secundum quod homo dicitur aliquid habere, sed secundum quod homo habet se in seipso vel in ordine ad aliud. Sic autem definitur: *Dispositio secundum quam bene vel male disponitur subjectum aut in seipso aut in ordine ad aliud.*

666. **Conclusio I.** — 1.° *Subjectis quae composita non sunt ex actu et potentia non possunt tribui habitus;* 2.° *quae sunt ad unum determinata non sunt subjecta habituum;* 3.° *ea quibus conveniunt habitus, sunt naturae, quae ad plura eaque contraria se habent.*

Prob. 1.ª *pars:* Nam subjecta quae non sunt composita ex actu et potentia carent potentialitate. Atqui quae carent potentialitate neque disponi possunt in seipsis per habitum, neque in ordine ad aliud; nam dispositio est quaedam actualitas et perfectio potentialitati superaddita. Ergo subjectis, quae non sunt composita ex potentia et actu, non possunt tribui habitus.

Prob. 2.ª *pars :* Quae semper eodem modo se habent in aut seipsis aut in ordine ad aliud non possunt quandoque bene, quandoque male per *accidens superadditum* se habere, ut e. g. lapides, arbores etc. et ideo nequeunt novam dispositionem sive habitum suscipere.

Prob. 3.ª *pars :* Subjecta habituum ea sunt quae potentialitate sunt praedita, et ideo quae possunt habere vel non habere propriam perfectionem, sive in se, sive in ordine ad aliud. Atqui quod potest habere vel non habere propriam perfectionem, sive in se, sive in ordine ad aliud, potest esse bene dispositum ipsam habendo et male dispositum ipsam non habendo, et ideo se habere ad bonum et ad malum, idest ad plura, quae sunt contraria. Ergo ea, quae habent habitum, sunt naturae, quae ad plura eaque contraria se habent.

667. **Conclusio II.** — *De ratione habitus est dicere aliquo modo ordinem ad operationem.*

Prob. : Habitus est dispositio quaedam aut ipsius naturae immediate, aut facultatis ejus. Atqui natura existens ordinatur ulterius ad operationem, cum nulla res sit nisi propter suam operationem. Ergo ex hoc ipso quod bene vel male disponitur in se, disponitur etiam aliquo modo in ordine ad operationem : quod multo magis valet, si habitus sit dispositio facultatis ipsius naturae.

668. **Conclusio III.** — *Diversimode habitus sunt in anima nostra, in corpore, et in viribus sensitivis.*

Declaratur: Habitus maxime et per se inveniuntur in anima, cum ex sua natura ordinetur ad finem per operationem consequendum, et possit se habere bene et male, tum physice, tum moraliter in ordine ad ipsum; propterea tum in seipsa tum in suis facultatibus potest bene vel male disponi per habitus. — Sensus autem externi nullo modo possunt esse subjectum habituum, ut patet; at sensus interni, e. g. memoria sensitiva, possunt esse subjecta habituum physice loquendo, si considerentur in se, cum possint bene vel male se habere ad objecta; sed non possunt esse subjecta habituum *moraliter,* nisi quatenus subjiciuntur imperio rationis. — Item corpus potest considerari quoad operationes quae ei ex sua natura conveniunt; et sic cum sit determinatum ad unum semper eodem modo se habens, subjectum habituum non potest esse; at si consideretur prout animae subest et ab ea dirigitur, potest esse subjectum habituum tum physice, tum moraliter. — Tandem si consideretur in se per ordinem ad formam, habitualis dispositio potest esse in corpore; potest enim corpus magis vel minus esse dispositum per ordinem ad formam, idest animam, et hoc modo sanitas, aegritudo, pulchritudo etc. dispositiones dicuntur.

669. **Divisiones habituum.** — Habitus dividuntur: 1.° ex parte *principii,* et sic quidam dicuntur *infusi* a Deo (quod est principium et causa ipsorum) ut *gratia santificans,* virtutes theologicae etc.; quidam *naturales,* quia ex ipsa natura procedunt, ut sunt *habitus primorum principiorum;* alii dicuntur *acquisiti* quia ex repetitione actuum causantur; 2.° *ex parte subjecti;* et sic quidam dicuntur *entitativi,* qui scilicet immediate resident in essentia rei, ut *gratia santificans;*

alii dicuntur *operativi,* qui scilicet facultates ipsas afficiunt; 3.° *ex parte convenientiae* ipsi naturae, et sic alii dicuntur *boni,* alii *mali.*

670. **Divisiones habituum qui sunt in anima.** — Habitus, quorum subjectum est *mens,* dicuntur *intellectuales ;* qui autem voluntatem afficiunt dicuntur *morales.* Intellectuales autem dicuntur *speculativi,* qui ordinantur ad simplicem contemplationem veritatis; qui autem ordinantur ad opus dicuntur *practici.* — Insuper alii sunt habitus *primorum principiorum,* alii *scientifici* qui versantur circa conclusiones demonstratas ; est denique habitus *fidei supernaturalis* inclinans ad assensum firmum veritatibus a Deo revelatis.

671. **Quaestio.** — Quaeritur in praesenti an habitus *fidei* cum habitu *scientiae* possit existere in eodem subjecto circa idem objectum et simul. — Conceditur ab omnibus posse tales habitus simul existere circa diversa objecta ; vel etiam circa idem, sed successive, non simul.

672. **Conclusio.** — *Habitus scientiae et habitus fidei non possunt esse simul in eodem intellectu respectu ejusdem objecti* (1).

Prob.: Habitus fidei nihil aliud est quam dispositio sive inclinatio, qua intellectus prompte vel rite se habet, ut possit moveri a voluntate ad adsentiendum alicui cognoscibili. Atqui hujusmodi dispositio omnino frustra ponitur in intellectu, qui per habitum scientiae immediate disponitur et inclinatur ad illud ipsum cognoscibile. Ergo habitus fidei nonnisi frustra ponitur in intellectu in quo est habitus scientiae. — *Major* patet ex eo quod actus fidei est actus intel-

(1) Cf. S. Tho. 2-2, qu. I. a, IV et V cum comm. Cajet, Bannes, Joan. a S. Th. Sylvii, Gonet, Billuart ; – Cf. et Goudin, IV Par., *Phil.*, disp. II. qu. IV, n. V.

lectus procedens ex motione voluntatis applicantis intellectum ad adsentiendum, qui non moveretur nisi esset dispositus per habitum fidei. — *Minor* probatur ex eo quod per habitum scientiae intellectus directe et immediate et sufficientissime est dispositus ad adsentiendum cognoscibili, imo necessario ipsi cognoscibili adhaeret. Ergo frustra disponitur ut a voluntate moveatur, imo actus adsensus in hac hypothesi non potest esse voluntarius, quod est contra rationem actus fidei.

673. **Quaestio altera.** — Quaeritur secundo de causa habituum. Dictum est quosdam habitus esse a Deo infusos, quosdam naturaliter inditos ex ipsa natura necessario procedentes, ut habitus primorum principiorum; imo esse quamdam naturalem dispositionem, quae dici potest habitus inchoative ad operandum, in ipsis facultatibus operativis conceditur ab omnibus. Sed quaeritur undenam sit habitus secundum suam perfectam rationem, qui communiter in hominibus adultis reperitur. Pro cujus quaestionis solutione sit.

674. **Conclusio.** — *Ex actibus generatur habitus secundum suam perfectam rationem in facultatibus operativis.*

Prob.: Habitus secundum suam perfectam rationem nihil aliud est quam dispositio qua bene vel male disponitur subjectum ad operationem. Atqui ex repetitis actibus homo bene vel male disponitur ad operationem. Ergo ex actibus generatur habitus in potentiis operativis subjectis. — *Prob. minor:* Intellectus movetur a principiis ad conclusiones deducendas quatenus vi principiorum impulsus conclusionibus adsentit; unde principia agunt et determinant ipsum intellectum, qui proinde in ordine ad ea se habet ut subjectum passivum. Sed omne subjectum per hoc

quod patitur et movetur ab aliquo agente, disponitur; imo quanto magis patitur, et repetitur motus, tanto magis disponitur. Ergo intellectus disponitur ad agendum per hoc, quod ex principiis conclusiones infert; quae dispositio est quaedam habilitas ad intelligendum, idest est scientia, sive habitus scientificus. Idem dicendum est de voluntate, et de aliis potentiis, proportione servata. Ergo ex eo quod agens saepe agit, sive ex repetitis actibus generatur habitus, seu habilitas quaedam ad agendum in ipso agente.

Imo contingere potest ut, si principium activum ita moveat potentiam ut eam ad se totaliter trahat et firmiter, unus actus sufficiat ad generandum habitum.

Caput XXI.

De quantitate

(Aristot. V. Metaph. cum comm. S. Thomas; Joannes, a S. Thoma; Alamannus; Guérinois, Goudin, pars. I, Logic. Major. disp. II, quaest. III; Zigliara, Ontol. lib. III, cap. IV, art. I, II, III; De Maria; Nys; Schiffini; Hugon; Willems, Cosm.).

675. **Quid sit quantitas et quae ejus proprietates.** — Quantitatem in logica definivimus (n. 13); *Accidens extensivum substantiae in partes.* Ex qua definitione sequitur manifeste:

1.° *Partes* substantiae ita esse dispositas vi quantitatis ut una sit extra aliam, licet concipiantur esse in toto aliquo quod constituunt; 2.° *partes* ejusdem substantiae esse in loco ita ut una non sit ubi est alia; 3.° per divisibilitatem partes extensas substantiae et unitas separari posse; 4.° substantiam esse mensurabilem ratione suae quantitatis. Unde quatuor sunt proprietates quantitatis: 1.ª ponere unam partem substan-

tiae extra aliam ; 2.ª ponere partes ejusdem substantiae in loco : et haec proprietas vocatur *ubicatio ;* 3.ª est divisibilitas ; 4.ª est mensurabilitas. (1).

676. **Observatio.** — Impenetrabilitas non est effectus formalis, et ideo proprietas quantitatis: nam est effectus principii activi vi resistentiae praediti, quod certe non importat quantitatem, quae ex parte materiae attenditur, quae est principium passivum ; unde extensio, quam spatium importat, penetrabilis esse concipitur, nam in spatio corpora collocata intelliguntur.

677. **Objectivitas quantitatis.** — De quantitatis objectivitate post ea quae disseruimus contra subjectivistas de veracitate sensuum externorum (cf. n. 273) et contra categorias subjectivisticas Kantii (n. 616, 621) dubitari non potest. Insuper ex ipsa motus existentia de quo nemo dubitat evidentissime habetur, etenim motus ipse quantitatem implicat in suo conceptu; sine ipsa enim motus concipi nequit; nam motus contingit secundum quod mobile percurrit extensionem, et ipsum mobile partes quantitativas distinctas et extensas importat easque successive ad alias partes loci per quem transit applicare intelligitur. Unde motus realis sine reali et objectiva quantitate omnino repugnat.

---

(1) Aristoteles sic definit quantitatem « Dicitur autem quantum : Quod est divisibile in ea quae insunt quorum utrumque aut singulum unum aliquid, et hoc aliquid natum est esse » Metaph. Text. XVIII. videlicet unaquaelibet pars in quam quantitas dividitur talis est ut possit esse et stare separata. Quod non contingit in aliis divisionibus, materia enim non potest esse separata a forma, sicut nec facultas a substantia etc. (cf. n. 51).

678. **Divisio quantitatis.** — Quantitas dividitur in *continuam* et *discretam*. *Continua* dicitur cujus partes non sunt actu divisae, sed in potentia tantum, et proinde non habent proprium terminum, sed communem, qui est terminus totius. Unde continuum dicitur: *Id cujus extrema sunt unum.* Si partes sint actu divisae habentes proprium terminum, quantitas dicitur *discreta.* Si partes quantitatis discretae uniuntur ita ut proprium terminum conservent et divisionem, dicuntur *contiguae.* Unde contiguum dicitur: *Id cujus extrema sunt simul.* Quantitas continua subdividitur in quantitatem unius dimensionis puta *longitudinis* ut est linea ; in quantitatem binae dimensionis idest superficiei, et in quantitatem *trinae* dimensionis. Si partes sint ejusdem naturae, ut partes aquae, dicuntur homogeneae; si diversae naturae *heterogeneae* ut contingit in animali. Cum partes sunt homogeneae in toto tunc eadem forma substantialis salvatur in quacumque parte etiam divisa ; unde eadem remanet natura totius et partis, quae concrete potest de parte et de toto praedicari in recto. Sed hoc non contingit cum partes non sunt homogeneae in quibus divisis non salvatur forma substantialis totius.

679. **Indivisibilia in quantitate.** — In quantitate tria indivisibilia considerantur, idest: 1.° *Punctum* quod omnino divisibilitatem excludit ; 2.° *linea* quae licet secundum longitudinem sit divisibilis, tamen secundum latitudinem et altitudinem divisibilitatem omnino excludit, et ideo sub hoc duplici respectu est indivisibilis, 3.° *superficies* quae excludit duntaxat divisibilitatem altitudinis seu profunditatis. — Punctum non est quantitas ; sed quia in quantitate consideratur et ad ipsam pertinet, nam linea terminatur per punctum, ideo punctum dicitur per-

tinere ad quantitatem et ad ipsam reducitur sicut ad id in quo est, et a quo dependet. Unde dicitur *reductive* pertinere ad genus quantitatis.

680. **Conclusio I.** — *Indivisibilia quantitatis sunt actu in termino quantitatis continuae ; sed non sunt actu in partibus extra terminum ipsius, sed potentia tantum.*

Prob.: Ibi sunt indivisibilia quantitatis ubi quantitas non potest amplius dividi. Sed quantitas continua in suo termino actu non potest amplius dividi cum sit jam divisa, extra suum terminum autem potest dividi ubicumque sumatur. Ergo *indivisibilia* sunt in termino quantitatis continuae actu, extra terminum autem in ipsa tamen quantitate sunt in potentia tantum. « Punctum intra lineam est in potentia ante lineae divisionem ; in actu vero, cum linea jam est divisa, quem punctum sit ipsa lineae divisio ». S. Thom. (VI Physic. lect. 8).

681. **Corollarium.** — Indivisibilia utpote existentia in termino dicuntur terminare quantitatem et vocantur *terminantia* vel simpliciter extrema quantitatis. *Indivisibilia* in potentia dicuntur *continuantia.*

682. **Conclusio II.** — *Quantitas continua est sine fine divisibilis mathematice loquendo ; at physice loquendo oportet devenire ad ultima quae naturaliter amplius dividi nequeunt.*

Prob. 1.ª *pars :* 1.° Si quantitas continua non esset mathematice sine fine divisibilis per divisiones successivas, perveniretur ad ultima inextensa et simplicia omnino ex quibus constaret et formaretur extensa. Atqui impossibile est ex inextensis et omnino simplicibus haberi extensum et continuum. Ergo quantitas continua est divisibilis sine fine mathematice loquendo. — *Prob. minor :* Quantitas continua non posset fieri extensa nisi ex hoc quod una pars per contactum

alteri copularetur et continuaretur. At si partes essent omnino simplices ex hoc quod se ad invicem tangerent, compenetrarentur secundum se totas et non per partes (quibus carerent) se ipsas tangerent. Unde una non esset extra aliam, quod ad extensionem et quantitatem essentialiter requiritur.

2.° Si quantitas non esset divisibilis sine fine, sed ex inextensis constaret, sequeretur quod duo mobilia quorum unum velocius aliud tardius moveretur de uno extremo ad aliud, simul ad terminum pervenirent. Sed hoc absurdum est, nam secus non daretur major aut minor velocitas in motu. Ergo quantitas ex indivisibilibus non constat. — *Prob. maj.:* Sint A et B duo mobilia, quae simul incipiant moveri ab eodem puncto indivisibili C in punctum D quod C immediate succedit; et mobile A velocius moveatur quam B: eo ipso quo intelligitur et habetur motus, quamvis minimus in A etiam in B intelligitur motus, secus B non inciperet moveri simul cum A. Atqui non potest intelligi mobile moveri secundum minimam partem motus quin concipiatur pertingere ad aliquem terminum, qui non potest esse nisi punctum quod immediate succedit puncto a quo mobile incipit moveri. Ergo eo ipso quo mobile A concipitur esse in D etiam B concipitur esse in D. Item simul pervenirent de D in E, de E in F etc, et ideo simul pertingerent ad terminum quamvis unum velocius, aliud tardius, moveri supponantur.

Prob. 2.ª *pars.* Quantitas naturaliter loquendo nonnisi in substantia reperitur alicujus speciei. Atqui substantia quaelibet specifica exigit determinatam quantitatem in sua natura sine qua salvari amplius non potest. Ergo in divisione naturali quantitatis oportet ut deveniatur ad *minima naturalia*, quae proinde naturaliter seu mechanice dividi amplius non

possunt, et ideo quantitas naturaliter non est divisibilis physice in infinitum. « Corpus mathematicum, ait S. Thomas, est divisibile in infinitum in quo consideratur sola ratio quantitatis, in qua nihil est repugnans divisioni infinite dividi. Sed corpus naturale quod consideratur sub tota forma non potest in infinitum dividi ; quia quando ad minimum deducitur, statim propter debilitatem virtutis convertitur in aliud.... » De sensu et sensato lect. 15.

683. **Corollarium.** — Quamvis in toto ante divisionem ipsa extensio partium vere et realiter contineatur, non tamen illa quantitas actu habet rationem partis formaliter et proprie loquendo quasi scilicet actu discretae sint et distinctae illae partes totius continui, sed in potentia tantum. Et revera si essent *actu* distinctae seu discretae possent enumerari ; seu numerum et pluralitatem constituerent. Numerus autem et pluralitas non habentur nisi per actualem divisionem. Insuper si hujusmodi partes plures sunt oportet ut sint infinitae actu, imo quaelibet pars actu partes infinitas contineret. Unde S. Thomas merito ait : « Nullius continui pars est nisi in potentia, unde nec pars ignis numero est aliquid actu nisi post divisionem » (1). Et : « Partes alicujus homogenei continui ante divisionem non habent esse actu sed potentia tantum » (2).

684. **Quaestiones.** — Recensitis proprietatibus quae substantiae corporeae conveniunt ratione quantitatis, quaeritur quodnam sit quantitatis essentiale constitutivum ; quod quidem non esse divisibilitatem, neque mensurabilitatem videtur evidens, et conceditur a philosophis. Quaestio ergo restringitur ut deter-

(1) Qq. disp. de pot. q. q. a. 7.
(2) IV Dist. qu. 1. a. 5.

minetur: 1.° an sit extensio partium in toto, aut extensio localis. — 2.° Quaeritur an quantitas realiter distinguatur a substantia corporea, vel sit realiter cum ipsa identica. — 3.° Quaeritur an possit dari magnitudo seu quantitas continua actu infinita.

685. **Sententiae circa secundum quaesitum.** — Quantitatem realiter distingui a substantia docuit Aristoteles, qui ipsam inter accidentia (est enim inter novem praedicamenta) reposuit. Aristotelem communiter secuti sunt scholastici. Oppositum docuerunt nominales et docent cartesiani. His quaestionibus tribus conclusionibus respondemus.

686. **Conclusio I.** — *Essentiale constitutivum quantitatis est extensio partium in ipso toto, non vero extensio localis.* — Adverte non negari a nobis quantitatem habere essentialem aptitudinem ut extendatur localiter, sed negatur actualem extensionem localem esse essentialem quantitati.

Prob. 1.° Constitutivum essentiale cujusque rei est illud quod primo in re concipitur, quo intellecto res intelligitur, et est radix omnium proprietatum, quae in re ipsa sunt (n. 292). Atqui hae conditiones quoad quantitatem verificantur in sola extensione partium in toto in se considerato. Ergo constitutivum essentiale quantitatis est extensio partium in toto, non autem extensio localis. — *Prob. minor:* Etenim prius intelligitur totum se extendi in partes in sensu absoluto, hoc est in semetipso, quam habere partes extensas in ordine ad locum; deinde eo ipso quo intelliguntur partes unitae, praecisione facta a loco, concipitur extensio; sed, sublata illa extensione, impossibilis est omnino quantitatis conceptus; denique ratio qua occupet locum, qua sit divisibilis, mensurabilis, est quia totum ipsum est in se extensum.

2.° Si constitutivum essentiale quantitatis esset localis extensio partium, aut hoc esset quoad locum aliquem determinatum, aut quoad locum indeterminatum. Atqui non est extensio localis quoad locum determinatum, secus quantitas nonnisi in tali loco determinato esse posset, neque conciperetur indifferens ad hunc vel illum locum; non est extensio partium quoad locum indeterminate sumptum, nam hoc adserere est adserere constitutivum quantitatis non esse extensionem, sed nihil, cum locus indeterminate sumptus neque existat neque existere possit. Ergo constitutivum essentiale quantitatis non est extensio localis partium, sed extensio partium in toto.

3.° Locus in quo ponitur *corpus quantum* importat intrinsece et essentialiter quantitatem et extensionem. Atqui quantitati non est essentiale esse super aliam quantitatem et extensionem. Ergo quantitati cujuscunque corporis non est essentiale esse in *loco*. Tamen est ei essentiale habere aptitudinem ut sit in loco per suam extensionem.

Optime ergo quantitas definitur a S. Thoma: *Positio seu ordo partium in toto* (cont. gent. l. 4.° c. 65).

687. **Conclusio II.** — *Quantitas realiter distinguitur a substantia corporea.*

Prob. 1.° Quantitas non est substantia, sed accidens. Ergo realiter distinguitur a substantia corporea. — *Conseq. patet.* — *Prob. antec.* Cum quantitas sit essentialiter composita et divisibilis in infinitum, si esset substantia, idest ens per se subsistens, essentialiter constaret partibus per se subsistentibus essentialiter compositis in quacumque portione sumeretur. Atqui res constans partibus per se subsistentibus est non solum mathematice, sed etiam physice divisibilis. Ergo si quantitas esset substantia, quacumque divisione peracta, esset semper divisibilis non solum ma-

thematice, sed etiam physice sine fine, idest in infinitum, quod est absurdum.

2.° Determinata essentia corporea, qua talis, in suo esse reali abstrahit a determinata quantitate. Ergo a quantitate distinguitur. *Prob. conseq.* Nam ex hoc ipso quod essentia corporea abstrahit a determinata quantitate in suo esse non solum *ideali,* sed etiam *reali,* sequitur *in suo esse reali* distingui a quantitate, et ideo *realiter.* — *Prob. antec.* ratione S. Thomae dicentia: « Totalitas substantiae continetur indifferenter in parva vel magna.... quantitate, sicut natura humana in magno vel parvo homine » (1).

688. **Observatio.** — Haec doctrina deservit viro catholico ad defendendum mysterium SS. Eucharistiae in quo habetur quantitas sine connaturali suo subjecto, idest sine substantia panis et vini, ut docet fides nostra. Imo per hoc mysterium nostra conclusio mirifice confirmatur. Sed de his ad theologos.

689. **Substantia corporea partibus integrantibus destituta secundum se.** — Ex hoc ipso quod substantia corporea est realiter a quantitate distincta, tanquam corollarium sequitur ipsam secundum se partibus integrantibus destitui. Nam ipsa in partes a quantitate extenditur formaliter (cf. n. 675); ergo ipsa non extenditur in partes secundum se, secus jam esset quanta secundum se, idest esset quanta sine quantitate et extensa sine extensione, quod est absurdum et contradictorium. At partes integrantes important extensionem, nam una pars integrans secundum sua extrema tangit aliam, non autem secundum se totam, secus partes se invicem compenetrarentur. Unde una esset cum alia et in alia

(1) P. III, qu. LXXVI, a. I, ad 3.m

sicut materia et forma, non autem per modum continui et divisibilis, quod essentialiter in partibus integrantibus importatur. Merito ergo S. Thomas ait : « Materiam dividi in partes non contingit nisi secundum quod intelligitur sub quantitate, *qua remota substantia remanet indivisibilis* » (1). — Hanc doctrinam docent post S. Thomam, Capreolus, Conimbricenses, Joannes a S. Thoma, Alamannus, et inter recentiores, De Maria, De Vorges, Mielle, Nys, Hugon, et alii contra Suarez, Babenstuber, Goudin, Mendive.

690. **Conclusio III.** — *Repugnat magnitudo seu quantitas continua actu infinita.*

Prob. 1.° Magnitudo actu infinita oportet ut constet ex partibus dissociabilibus singillatim sumptis finitis, quae secundum multitudinem sint infinitae, secus esset mensurabilis, et ideo non esset infinita. Atqui repugnat multitudo actu infinita (n. 252). Ergo etiam magnitudo.

Prob. 2.° Si ponatur magnitudo actu infinita, poterunt in ea considerari duae lineae angulum efformantes in infinitum protractae, quae semper magis ad invicem distabunt ; et ideo in infinitum etiam ad invicem distabunt in earum *protractione infinita*. Erit ergo spatium infinitum inter duas lineas comprehensum, idest inter duos limites erit distantia infinita, quod est contradictorium.

(1) P. I. qu. L, a. 2. ; cf. etiam e. g. c. LXV.

Caput XXII.

De spatio et loco

(Aristot. phys. l. IV, cum comm. S. Th. — Idem S. Th. opusc. de natura loci; Joann. a S. Th., Goudin; Sylv. Maurus. Phys. IV; Farges, Lorenzelli, Phil. Natur. — Nys; Zigliara, Lepidi, Liberatore, De Maria: in eorum ontol., Hugon, Cosmolog. pag. 193).

691. **Spatium.** — Spatium concipitur ut quoddam vacuum receptivum corporum. Duo ergo importat in sui conceptu, unum positivum, alterum negativum. Positivum est extensio, actu vel potentia considerata; negativum vero est vacuitas, quae vacuitas intelligitur per abstractionem ab existentia actuali corporum.

692. **Sententia Kantiana.** — Putat Kant spatium et locum esse quamdam formam subjectivam cognoscentis; sed hanc sententiam falsam et absurdam esse patet ex dictis supra (n. 621). Insuper si esset vera haec sententia actum esset de motu corporum, qui realitate careret, si non essent diversae spatii partes reales et distincta et realia loca quae corpus mobile successive acquirat.

693. **Conclusio.** — *Spatium neque est substantia corporea, neque extensio a substantia corporea separata, aut separabilis: sed est ipsa extensio substantiae corporeae omnino a substantia corporea et ab aliis ejus proprietatibus per intellectum abstracta.*

Prob. 1.ª *pars:* Spatium, ut dictum est, concipitur a nobis ut receptivum vacuum substantiae corporeae. Sed vacuum non importat in suo conceptu substantiam corpoream, sed potius excludit omne corpus. Ergo spatium non est ipsa substantia corporea.

Prob. 2.ª *pars :* Extensio est accidens substantiae corporeae. Atqui accidens non potest a substantia, cujus est, separari. Ergo spatium non est ipsa extensio a substantia corporea separata, aut separabilis.

Prob. 3.ª *pars :* Spatium, ut dictum est, in suo conceptu importat extensionem. Sed non importat extensionem simul cum ipsa substantia aut cum proprietatibus substantiae corporeae, neque extensionem realiter separatam aut separabilem a substantia corporea. Ergo importat extensionem abstractam per intellectum a substantia corporea et ab aliis proprietatibus quae substantiae corporeae conveniunt (1).

694. **Corollaria.** — I. Ratio quare spatium menti exhibetur ut quid infinitum, necessarium, aeternum est ipsa abstractio intellectus, quia scilicet intellectui objicitur pura extensio sine limitibus, quos habet in substantiis corporeis, sine contingentia, sine motu, sine tempore quibus substantia corporea subijcitur.

II. Spatium formaliter sumptum et in se praecisive a substantia corporea quoad modum concipiendi consideratum est ens rationis habens tamen fundamentum reale, quod est ipsa substantia corporea extensa.

III. In spatio consideratur etiam distantia dummodo tamen puncta fixentur; nam distantia extensionem inter duo puncta positam comitatur.

695. **Extensio quae spatium constituit non est determinata extensio.** — Licet spatium importet quamdam extensionem in suo conceptu,

---

(1) Cf. Per. *Div. Th.*, a. VII, fasc. Junii, 1887, vol. III, pag. 252.

non tamen quaelibet extensio rationem spatii importat. Nam extensio de qua loquimur non est extensio determinata, licet abstracte accepta, hujus aut alterius corporis aut omnium corporum singillatim sumptorum; sed est extensio ab omni corpore et ab omni determinata extensione praescindens. Unde comparatur ad omnes extensiones determinatorum corporum sicut universale ad particulare, sicut indeterminatum et determinabile ad determinatum.

696. **Extensio quae spatium constituit importat extensionem potius in potentia quam in actu.** — Nam spatium prout a nobis ab initio explicatum est et prout intelligitur, ut quid a corporibus distinctum, est quoddam receptaculum corporum et ideo extensionum particularium corporum; unde se habet in potentia ad extensiones particulares et actuales omnes. Ergo nullam determinatam et actualem extensionem includit; sed solummodo universalem abstractam extensionem, determinabilem et actuabilem a corporibus et extensionibus particularibus illorum, ut dictum est (n. praec.). Atqui universalis extensio abstracta determinabilis per actuales extensiones, non est extensio nisi in potentia. Ergo extensio quae spatium constituit melius dicitur esse extensionem in potentia quam in actu. — Haec tamen intelligenda sunt de spatio abstracte accepto non prout importat corpora extensa.

697. **Definitio spatii realis. — Et spatium imaginarium.** — Spatium proprie dici potest *realis capacitas recipiendi corpora extensa, quibus repleri potest.* Unde haec capacitas actu repleta, spatium reale actuale constituit; considerata autem quatenus repleri potest ut per corpora possibilia extra corpora hujus universi ponenda, dicitur spatium possi-

bile. — Si autem per imaginationem fingamus corpora extra hunc universum quasi actu extantia sive contigua sive non contigua, tunc habetur spatium imaginarium. — Nam corpora formaliter et solummodo ut imaginata, non sunt corpora neque actualia neque possibilia.

698. **Corollarium.** — Hinc patet spatium tum actuale tum possibile esse spatium reale; (cf. n. 407) at non spatium imaginarium.

699. **Locus.** — *Locus* spatio affinis est, cum *locus* sine spatio concipi nequeat. Differt tamen, ut ex definitione ejus liquet. Vulgo autem loci nomine intelligitur illa pars spatii qua corpora recipiuntur sive mobiliter sive immobiliter; unde consideratur tanquam verum corporum receptaculum; quia tamen corpora moventur, ideo consideratur tanquam receptaculum in quo corpora successive recipi possunt(1). Philosophice loquendo sic ex Aristotele definitur: *Superficies prima immobilis corporis ambientis,* seu *terminus vel finis continentis, immobilis, primus* (2).

700. **Explicatur definitio.** — Superficies corporis in qua aliquid ponitur vel collocatur, vulgo dicitur *locus.* Dicitur superficies *prima* ut distinguatur a superficie alia, quam corpus continens rem in ipso locatam, habet in alia sui parte, et quae dici potest superficies exterius posita respectu rei locatae; e contra superficies, quae dicitur locus inquantum est locus, dici potest interior, et dicitur *prima,* quia proximius se habet ad rem locatam in ipsa, quam alia superficies corporis continentis. Dicitur *corporis ambientis,* quia revera corpus, in cujus superficie

(1) Cf. Lorenzelli, Phil. Nat. De loco.
(2) Phys. l. IV, c. IV, 12.

ponitur locatum, intelligitur ipsum locatum amplecti et circumdare saltem in parte. Unde locus numquam intelligitur excedere locatum si accipiatur ut est actu continens ipsum et in ordine ad ipsum tantum, non in ordine ad alia.

Insuper superficies dicitur *immobilis* quia quamvis corpus ad quod pertinere intelligitur ipsa, sit mobile, tamen pars corporis, in qua res locata dicitur esse sicut in loco, immobiliter semper in eadem distantia ab extremitatibus illius corporis perseverat.

701. **Alia definitio loci.** — Ex dictis *locus* sic etiam definiri potest: *Determinata pars superficiei primae alicujus corporis ambientis in eadem distantia ab extremitatibus ejusdem corporis immobiliter semper perseverans.*

702. **Corollaria.** — I. Ex hac definitione sequitur quod licet nostra terra simul cum corporibus, quae in parte superficiei ipsius locata sunt, et ideo cum sua superficie, moveatur circa solem, et mutet ipsa locum suum, tamen corpora quae in parte superficiei ipsius posita, seu locata sunt, proprie dicuntur in *eodem loco* permanere cum in eadem distantia ab extremitatibus ejus, idest a polis, perseverant.

II. Item ille qui in eadem parte curri semper perseverat, quamvis currus moveatur, proprie dicitur in eodem loco permanere utpote existens in eadem superficie, quae immobiliter semper distat ab extremitatibus curri. — Currus tamen per hoc quod non perseverat in eadem parte superficiei telluris, dicitur mutare locum; et ratione curri dicitur etiam mutare locum persona sedens in eadem parte superficiei curri; dicitur tamen mutare locum respectu telluris, quia scilicet simul cum curru mutat superficiem telluris.

III. Locus relative dicitur idest locus dicitur superficies corporis, quatenus importat relationem immobilitatis ad extrema ipsius corporis. Communiter et simpliciter loquendo apud nos dicuntur mutare locum ea quae moventur in superficie terrae; et dicitur locus pars superficiei terrae secundum quod immobiliter semper eadem distantia distat a polis.

703. **Locus omnino immobilis non datur.** — Locus importat superficiem atque proinde extensionem; extensio autem realis non datur nisi in corpore reali. Atqui corpus reale omnino immobile non datur. Ergo neque extensio, neque superficies, neque locus omnino immobilis. — *Prob. minor* ex eo quod omne corpus movetur, vel saltem moveri potest. Ergo etiam superficies ipsius movetur vel potest moveri cum ipso.

704. **Locus in hypothesi existentiae corporis centralis totius universi.** — Etiam si detur aliquod corpus quod sit veluti centrale respectu omnium corporum totius universi (quod verosimile est dari), adhuc non datur locus seu superficies penitus et absolute immobilis, quia illud corpus cum sua superficie mobile est utpote corpus; ad rationem enim corporis seu materiae pertinet posse moveri. Imo valde verisimile est si tale corpus detur, quod circa semetipsum moveatur; et ita ejus superficies moveatur cum ipso. Solummodo centrum ejus atque poli immoti permanent in facta hypothesi. Unde ipsa superficies hujus corporis dici poterit immobilis sensu omnino relativo idest quatenus ipsa totaliter vel partialiter accepta, prout habet rationem loci respectu alicujus locati in ipsa, semper in eadem distantia permanet a centro et a polis.

705. **Divisio loci.** — Locus dicitur *extrinsecus* si consideretur quatenus importat superficiem ambientem circa locatum. Locus *intrinsecus* est ipsum locatum quatenus in loco positum ; dum enim locatum puta corpus est in loco non remanet aliqua extensio vel quantitas interna distincta a corporis extensione quasi continens ipsam.

Dicitur *naturalis* si rem conservet ; si autem sit rei nocivum dicitur *violentus*. — Dicitur locus *proprius* superficies ambiens locatum cujus esse *proprius* dicitur ; superficies vero ut una considerata ambiens duo vel plura locata in ipsa dicitur *locus communis*. Unde patet quod locus communis potest dividi in tot loca propria quot sunt locata.

706. **Proprietates loci.** — Proprietates loci principaliores sunt 1.° continere et conservare locatum, 2.° esse aequalem locato ; 3.° habere sursum et deorsum ; 4.° esse separabilem a re locata ; 5.° esse terminum extrinsecum motus ; mobile enim ad locum aliquem tendit.

707. **Ubi seu ubicatio.** — *Ubi* seu *ubicatio* est accidens quod resultat in re aliqua eo quod res est in loco ; est autem verus modus *realis* rei locatae, nam per hoc quod res locata mutat locum ipsamet vere mutatur per *motum realem*, qui est vere et reale fundamentum mutationis in ipsa. Unde res locata antequam moveretur a priori loco ad hunc priorem ordinem tanquam ad mensuram extrinsecam habebat ; nunc autem vi motus ordinem habet novum ad locum praesentem. Hic autem ordo est, per novum modum quem acquisivit, ad hunc locum in quo realiter est res locata. — Ita definitur *Ubi :* « *Modus intrinsecus* proveniens a loco extrinsecus circumscribente ut a quo provenit principaliter denominatio locati » (1).

(1) Cf. Hugon, Cosmol. pag. 195 et Joann. a S. Thoma, Phil. Nat. q. 16, a. 1.

708. **Esse in loco, et esse in aliqua re multiplex distinguitur.** — Esse in loco aut in aliqua re importat relationem praesentialitatis ad ipsum. Haec autem praesentialitas potest exerceri per proprias dimensiones, et sic res aliqua dicitur esse in loco *circumscriptive ;* tamen oportet ut res quae est in loco (ut ibi esse dicatur circumscriptive) applicet suas dimensiones quantitativas ad dimensiones loci ita ut pars parti correspondeat et totum toto ; hic modus importat *contactum quantitativum ;* 2.° res aliqua potest esse in loco etiam mediantibus dimensionibus alienis, ut SS. Corpus Christi est in Eucharistia ; sed hoc solum miraculose, hoc est, virtute divina fieri potest ; 3.° potest esse in loco res aliqua etiam per contactum virtutis, et hoc modo convenit esse in loco substantiis spiritualibus, quibus non competit esse in loco per contactum quantitativum utpote dimensionibus non praeditis, sed neque directe et immediate per propriam substantiam quae secundum se est omnino a loco abstracta, et ideo nonnisi per operationem, idest per applicationem virtutis eis competit esse in loco. Hic modus essendi in loco dicitur *per contactum virtutis ;* vel etiam *definitive,* cum virtus taliter applicatur uni loco ut extra *illum non possit extendi* (1).

---

(1) Sed pluribus modis contingit aliquid esse in re aliqua nam 1.° potest esse in loco per informationem, et hoc contingit cum actus sive substantialis sive accidentalis communicat proprium esse substantiale alicui subjecto ; et sic est in loco seu in subjecto illo per *essentiam* suam. Ita anima est in corpore, albedo in albo, scientia in mente etc., 2.° res aliqua potest esse in loco seu in alia re ut regens ipsam et conservans in esse ; et sic Deus est in omni loco et in omni re, et quidem intime, quia actione sua immediata, quae est ipsa essentia divina, jugiter omnibus esse largitur eas in esse conservando

Caput XXIII.

De Tempore

(S. Th., p. I, qu. X, art. 4, 5, 6; Zigliara, Ontol. lib. III, cap. IV, art. IV et V; Liberatore, Ontol. Cap. II, Art. IX).

709. Significatio hujus nominis tempus. — Tempus dupliciter sumitur 1.° *pro duratione* rerum *fluente,* 2.° pro *opportunitate ;* unde dicitur : (Joan. VII, 6): *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum ;* de tempore hoc secundo modo accepto non est sermo in praesenti, sed de primo.

---

et tenendo ; hic modus essendi in locis et in rebus proprius Dei est, ut suo loco patebit. Unde Deo competit *ubiquitas ;* 3.° res potest esse in aliqua alia re ut ab ea recta et conservata ; et sic omnia dicuntur esse in Deo, non tamen tanquam in loco, quia Deus rationem loci non habet ; sed tamen veriori modo res dicuntur esse in Deo quam dicantur esse in loco ; nam res omnes eatenus sunt quatenus reguntur et conservantur in esse a virtute divina, quae a Deo ipso non distinguitur ; 4.° res aliqua dicitur esse in alia per modum rei intellectae seu ut intellectum est in intelligente ; et sic res quae intelliguntur dicuntur esse in mente. Hic modus essendi in alio distinguitur a modis aliis supra recensitis ; sed tamen est verus modus essendi in alio, quia importat veram relationem praesentialitatis. Unde in mente artificis vere aedificium est praesens. Hic modus dici potest modus essendi in alio seu praesens alteri per modum *objecti* vel *objective ;* potest autem res esse menti praesens vel dependenter a mente ut aedificium a mente artificis vel independenter. Et nota quod hic non est sermo de conceptu formali qui est in mente primo modo idest veluti forma per essentiam suam, sed de ipsa re concepta sive possibili sive actuali ; secundum hunc modum res potest esse in mente, vel secundum se totam, vel scilicet secundum partem, vel secundum unum modum vel respectum licet fortasse non secundum alium ; 5.° res aliqua dicitur esse in alia sicut pars in toto. — Hae distinctiones seu hi modi essendi in loco vel in alio prae oculis habendi sunt, quia ab ipsis dependet solutio difficillimarum quaestionum et difficultatum.

710. **Quid est duratio?** — Duratio nihil est aliud quam permanentia in esse; et quia nonnisi ea quae sunt, in esse permanent, ideo duratio non est aliquid existens in se, sed est in rebus ipsis permanentibus, ab esse rerum permanentium indistinctum et per operationem intellectus a rebus permanentibus abstractum. Sed distinguitur ab esse rerum, *formaliter* loquendo, quia *esse* in suo conceptu non importat magis et minus, e contra *duratio* major aut minor esse intelligitur.

711. **Triplex duratio.** — Res quae habet esse, aut omnino immobiliter et semper eodem modo in esse perseverat, ita ut nulla vicissitudo et mutatio in ea esse possit, et habetur *duratio rei omnino immobilis,* quae *aeternitate* mensuratur; aut ita in esse perseverat, ut mutatio in ea contingere possit, non quidem quantum ad esse essentiale, sed quantum ad esse accidentale ipsius; et habetur aliud genus durationis, quae mensuratur *aevo;* ut est e. g. anima humana, quae in sua substantia semper eadem perseverat, utpote omnino simplex et invariabilis, licet mutetur quoad operationem; et angelus, qui multo magis invariabilis est quam anima humana: aut res ita in esse perseverat ut sit mutabilis etiam quoad esse substantiale, quia scilicet desinit esse ipsius; et habetur tertium genus durationis, quae mensuratur *tempore. Tempus* ergo est: — *Mensura durationis rei quae incipit esse per generationem et desinit esse per corruptionem* (1).

712. **Tempus importat successionem.** — Tempus est *mensura durationis rei,* quae, ut diximus, *incipit* esse per generationem et *desinit esse* per corruptionem, idest rei cujus esse vicissitudini subijci-

(1) Cf. S. Th., l. c., a. V, c.

tur; hoc autem sine *successione* concipi nequit, et ideo tempus *successionem* importat (1).

713. **Conclusio I.** — *Quamvis tempus sit duratio rei corruptibilis, non tamen duratio cujuslibet rei corruptibilis dicitur tempus, communiter et proprie loquendo.*

Prob. 1.° Tempus concipitur a nobis ad modum mensurae: nam sicut mensura applicatur rebus mensurabilibus, ut judicium circa magnitudinem et extensionem feratur, ita tempus applicatur, ut ita dicam, rebus corruptibilibus, ut judicium circa majorem vel minorem earum durationem proferatur. — Unde idem officium intelligitur esse mensurae respectu magnitudinis rerum, et temporis respectu durationis earum.

2.° Tempus in suo conceptu importat intrinsece et essentialiter successionem. Atqui non quaelibet duratio rei corruptibilis importat intrinsece et essentialiter successionem. Ergo non quaelibet rei corruptibilis duratio dici potest proprie loquendo tempus. — *Prob. minor:* Duratio substantialis intrinseca rei est ejus *esse* substantiale; sed esse substantiale rei corruptibilis non importat in se et intrinsece successionem, nam *esse* substantiale rei cujuslibet, licet corruptibile, est unum, cum ipsa res sit semper eadem dum est. Ergo non quaelibet duratio rei corruptibilis intrinsece et essentialiter in se successionem importat.

Confirmatur: Quamvis materia renovetur, tamen *esse* substantiale individui semper idem in sua duratione perseverat, cum habeatur semper idem individuum dum ejus duratio est. — Haec nostra conclusio ex dicendis adhuc magis fiet manifesta.

---

(1) Cf. ib. a. IV, ad 3.^{m}

714. **Conclusio II.** — *Tempus optime dicitur esse duratio motus uniformis, qui inter solem et terram perficitur.*

Prob. 1.° Tempus importat rationem mensurae respectu durationis rerum corruptibilium ; et ideo debet esse duratio *communiter* hominibus *nota,* non interrupta, et maxime uniformis inter omnes durationes ipsarum rerum corruptibilium. Atqui in nulla duratione rerum corruptibilium potest haberi major aut tanta uniformitas *communiter nota* sicut in duratione motus qui inter terram et solem perficitur ; in quo motu nulla interruptio contingit. Ergo tempus optime dicitur esse duratio motus uniformis qui inter solem et terram perficitur.

2.° A praedicto motu omnis motus rerum corruptibilium apud nos existentium pendet et derivatur. Ergo duratio ipsius merito ut mensura respectu aliorum motuum, qui in rebus corruptibilibus reperiuntur, consideratur ; et ideo vere et proprie tempus recte dicitur a quo omnes res corruptibiles mensurari intelliguntur.

715. **Observatio.** — Potest haberi et habetur motus uniformior quam ille qui inter solem et tellurem peragitur e. g. inter astra superiora ; sed talis motus a nobis non sufficienter cognoscitur ut possit adhiberi ut mensura durationis rerum.

716. **Conclusio III.** — *Tempus est quid continuum sine fine divisibile.*

Prob. : Tempus nihil est aliud quam duratio uniformis motus. Atqui duratio uniformis motus est quid continuum sine fine divisibile. — *Prob. minor:* Duratio motus ab ipso motu est inseparabilis ; et ideo ex divisione motus habetur divisio durationis motus. Atqui motus est quid continuum sine fine divisibile. Ergo et duratio uniformis motus est quid

continuum sine fine divisibile. — *Prob. minor :* Nam motus nihil est aliud quam transitus continuus mobilis ab uno loco ad alium, idest ab una parte quantitatis continuae ad aliam, et ideo est continuus, est divisibilis ubi et quanto est divisibilis quantitas ipsa, idest sine fine (n. 357).

717. **Corollaria.** — I. A philosopho et post ipsum a scholasticis, optime dicitur tempus: *Numerus motus secundum prius et posterius.* Dicitur *numerus,* quia tempus est quaedam mensura; prima autem mensura in rebus quantitate praeditis, est unitas quae est principium numeri; unde et numerus habet rationem mensurae; per hoc quod additur *motus secundum prius et posterius,* motus distinguitur ab aliis quantitatibus permanentibus, sive habeant rationem mensurae, sive non.

II. Tempus sicut non potest esse simul, ita nec quid permanens, sed successivum et quid fluens; unde in tempore tria considerantur: *praesens, praeteritum* et *futurum ;* at nonnisi *praesens* existit.

III. Tempus vere et proprie non existit nisi in mente; nam formaliter sumptum importat rationem rei successivae et ideo rationem numeri secundum successionem; et ideo dicitur *numerus motus ;* sed *numerus* non est in motu actu, nam numerus supponit divisionem, idest multa enumerata et distincta. Motus autem in se est divisibilis in potentia, sed non divisus actu; non enim constat ex indivisibilibus, sed ex semper divisibilibus sicut quantitas; insuper motus quoad suas partes non est simul (1).

---

(1) « Tempus, ait Angelicus, habet fundamentum in motu, scilicet prius et posterius ipsius motus ; sed quantum ad id quod est *formale* in tempore scilicet numeratio, completur per operationem intellectus numerantis ». I. Dist. 19, qu. 10. a. IV.

IV. Ex dictis sequitur tempus esse durationem rei non in individuo, sed in sua specie consideratae, idest rei quae jugiter renovatur.

V. Tempus est duratio successiva rei in sua specie determinatae, comparata tamquam mensura ad res quae in suo esse vicissitudini et mutationi subjciuntur.

VI. Tempus non potest esse nisi duratio motus cujus esse intrinsece et essentialiter importat successionem, seu durationem successivam in sua specie.

VII. Non tamen quaelibet duratio successiva motus proprie loquendo dici potest tempus, secus in unaquaque re in qua esset motus possent distingui tot tempora quot essent species motus; quod videtur esse contra sensum communem.

VIII. Neque omnis motus qui habet rationem mensurae dici potest proprie loquendo tempus, secus e. g. motus orologii esset tempus; unde distinguerentur tot tempora quod essent orologii, unde distingueretur tempus mei orologii et tui et dici posset quod tempus mei orologii esset magis vel minus velox prout majori vel minori celeritate procederet, unde majus vel minus tempus requireretur juxta velocitatem ipsius.

IX. Tempus importat unitatem durationis licet divisibilem, nam consideratur duratio ut perducta et protracta sine interruptione a principio mundi usque ad nos et ut indefinite protrahenda: unde dicimus pertransiisse multum tempus a Christo usque ad nos; tempus duorum et millia annorum a tempore Moysis; a creatione mundi plurium etiam millium annorum ita scilicet ut semper intelligatur eadem decurrens duratio. — Omnes autem durationes per hanc mensurantur.

X. Tempus quandoque consideratur secundum suas partes divisum puta tempus ante diluvium, tempus post diluvium usque ad Moysem, a Moyse ad Christum, a Christo ad 2.^{m} saeculum vel 3.^{m}, vel ad nos. — Vel tempus praeteriti saeculi, vel praesentis, vel etiam tempus currentis anni aut mensis, et praeteritorum singillatim : et secundum hoc considerantur plura tempora. — Unde solemus dicere ; Tempora praeterita mala aut bona fuisse, et vel hos vel illos homines in malis vel bonis temporibus vixisse.

XI. Cum tempus concipiatur a nobis ut mensura durationis rerum, illa duratio successiva motus debet dici tempus, quae communiter ab hominibus consideratur tamquam mensura rerum quae sunt apud nos, idest corruptibilium.

718. **Differentia temporis, aevi, aeternitatis.** — Tempus, aevum, aeternitas in hoc differunt, quod *tempus* importat prius et posterius, seu successionem, principium et finem : *aevum* autem est duratio rei permanentis sine successione in suo esse, licet ei possit successio conjungi quoad operationem : *aeternitas* autem est duratio omnino immobilis, cum nulla omnino successio ei conjungi possit. Ideo *aeternitas,* utpote successionem excludens, est *tota simul ;* sic autem a Boetio definitur : *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.*

719. **Aeternitas absoluta et relativa seu hypothetica.** — Haec quae definita est, est aeternitas *absoluta,* quae soli enti necessario et omnino immutabili convenit. Sed praeter hanc aeternitatem a philosophis distinguitur etiam aeternitas *relativa* seu hypothetica, quae etiam participata dicitur ; et haec nihil aliud est quam *duratio sine fine, quae competit substantiis* seu *creaturis spiritualibus ;* et ideo talis

aeternitas non excludit principium durationis. Quae hac aeternitate gaudent dicuntur *aeterna a parte post.*

Caput XXIV.

De Relatione

(Nostra Theol. spec. P. I. c. XLVI; S. Thomas, P. I. q. 28 cum comm. Caj., Bannes, Sylvii, Gonet, Billuart, Buompensiere etc.; Goudin, pars. I, Log. major, disp. II, quaest. IV; Zigliara, Ontol. Lib. III, cap. V; Liberatore, Ontol. cap. II, art. VII; De Maria, l. c., a. II et III; Mancini, Germano, Hugon).

720. **Notio relationis.** — *Relationis* nomine intelligitur *ordo* seu *respectus* sive *habitudo alicujus rei ad aliam;* e. g. *paternitas* importat habitudinem personae patris ad personam filii, et *filiatio* personae filii ad personam patris. Potest autem exprimi per nomen abstractum ut *paternitas,* et per nomen concretum ut *pater.* Relatio expressa per nomen concretum importat subjectum et formam; e. g. *pater* importat *personam* quae est subjectum, et *paternitatem* quae est forma.

721. **Corollaria.** — I. Relatio semper concipitur esse in aliquo subjecto per ordinem ad aliud tanquam ad terminum: subjectum et illud aliud vocantur *extrema* et etiam *termini* relationis.

II. In relatione semper concipitur aliquid absolutum; nam ipsa concipitur includere *esse* et *in,* praeter *respectum ad aliud,* in quo formaliter ipsa relatio consistit inquantum ab aliis, puta accidentibus si est praedicamentalis, distinguitur.

722. **Divisio relationis.** — Relatio dividitur in *realem* et *logicam.* Relatio *realis* est ordo seu respectus realis existens in subjecto ad aliud independenter a mentis consideratione. Relatio *logica* est

ordo sive respectus a mentis consideratione dependens, e. g. *paternitas* utpote existens in patre independenter a mentis consideratione est relatio realis. E contra *scibilitas* est relatio logica in re scita; quia res dicitur scita et scibilis non per aliquid existens in ipsa, sed per aliquid extrinsecum, idest per operationem intellectus, a quo scitur. Utraque dividi potest in *creatam* et *increatam. Creata* dicitur quae est in creaturis, *increata* vero quae in Deo esse concipitur, in quo quatuor relationes reales a theologis distinguuntur: idest *paternitas, filiatio, spiratio activa, spiratio passiva.*

723. **Relatio transcendentalis et praedicamentalis.** — Relatio *transcendentalis* est ipsa entitas rei de se ad aliud ordinata. Et quia nulla res est quae de se vi suae essentiae non sit ad aliud ordinata, ideo relatio transcendentalis in omnibus omnino rebus reperitur, et propterea dicitur *transcendentalis.* Quaelibet creatura ex sua essentia ordinatur ad creatorem; anima ex sua natura essentialiter ordinatur ad corpus, quantitas ad rem quantam, motus ad mobile, scientia ad scibile etc. — Relatio *praedicamentalis* est ordo accidentalis ad aliquid in aliquo subjecto existens. Relatio praedicamentalis dicitur relatio secundum *esse,* quia esse ipsius primario relationem importat. Relatio transcendentalis dicitur relatio *secundum dici,* quia relatio transcendentalis, ut diximus, est ipsa entitas absoluta, et ideo in suo esse, quod primo in ea concipitur, non importat relationem sed aliquid aliud, ut e. g. scientia in suo conceptu primario dicit qualitatem et perfectionem, et secundo dicit relationem ad aliud: unde de ipsa scientia dicitur relatio, scilicet scientia dicitur habere relationem ad objectum, sed non dicitur proprie esse relationem. Et ideo illa res quae

non potest concipi nisi ut relatio e. g. paternitas, filiatio etc., vocatur relatio *secundum esse ;* sed illa res quae, licet importet relationem potest tamen concipi praescindendo a relatione quam importat, vocatur *relatio secundum dici :* quia ipsa formaliter loquendo non est relatio, sed de ipsa *dicitur* relatio.

724. **Corollaria.** — I. Ad relationem praedicamentalem habendam requiritur : 1.° *subjectum reale :* nam, cum ipsa sit accidens reale non potest esse nisi in subjecto reali. 2.° Requiritur *terminus realis,* non enim potest esse respectus realis ad nihilum. 3.° Requiritur *fundamentum reale ;* idest ratio qua relatio realis alicui rei convenit debet esse realis, e. g. ad *paternitatem* habendam requiritur *generatio* realis. 4.° Requiritur ut subjectum et terminus relationis inter se realiter distinguantur : secus haberetur respectus realis ad seipsum. 5.° Ex parte correlativorum, si sit sermo de relatione praedicamentali reciproca, oportet ut extrema sint in eodem ordine ; unde quamvis in creatura, praeter relationem transcendentalem, sit etiam relatio praedicamentalis realis ad Creatorem, non tamen in Creatore est relatio realis ad creaturas.

II. Eadem entitas potest esse fundamentum utriusque relationis realis, transcendentalis scilicet et praedicamentalis : e. g. scientia est fundamentum quo ipsa scientia refertur ad scibile relatione transcendentali, et est fundamentum quo sciens dicit respectum seu relationem praedicamentalem ad idem objectum.

725. **Relatio mutua et non mutua, aequiparantiae, disquiparantiae.** — Reciproca habitudo inter duos terminos dicitur relatio *mutua :* habitudo autem in uno termino ad alium terminum existens,

cui habitudo in alio termino non correspondet, dicitur relatio non mutua; e. g. inter patrem et filium est relatio mutua; at inter Creatorem et creaturam est relatio non mutua, quia in creatura est relatio realis dependentiae a Creatore, sed in Creatore non est relatio realis, sed rationis tantum ad creaturas, eo ferme modo quo in scientia humana est realis relatio dependentiae a scibili, non autem in scibili est relatio realis ad scientiam humanam, sed rationis tantum; Deus enim est omnino absolutus et independens a creatura. Si relatio reciproca sit ejusdem rationis, sicut ea quae est inter duo alba, dicitur *aequiparantiae;* si autem est diversae rationis dicitur *disquiparantiae;* sicut ea quae est inter patrem et filium.

726. **Triplex fundamentum relationis.** — Primum fundamentum relationis est *unitas et numerus*, et ex hoc habentur relationes *similitudinis* et *dissimilitudinis.* Secundum fundamentum est *potentia agendi et patiendi;* vel *actio* et *passio:* et ex hoc habetur relatio *causalitatis.* Tertium fundamentum est *mensura* et *mensuratum;* et ex hoc habentur relationes rerum quae propriam perfectionem non habent nisi coaptentur perfectioni alterius, ut e. g. relatio scientiae ad scibile.

727. **Conclusio I.** — *Dantur in rebus relationes reales.*

Prob.: Relatio realis est ordo realis in rebus independenter a mentis consideratione. Atqui in rebus existit ordo independenter a mentis consideratione. Ergo in rebus existit realis relatio. Qui ordo cum sit multiplex et diversus in diversis, habentur plures relationes reales. — *Prob. minor* ex eo quod perfectio realis rerum non solum attenditur per aliud absolute inhaerens, sed etiam per hoc quod una ad

aliam ordinatur, sicut per efficientiam, per respectum quem ad invicem habent, e. g. per scientiam ad scibile etc.

728. **Conclusio II.** — *Relatio realis realiter distinguitur a fundamento.*

Prob. 1.°: Si relationes non distinguerentur realiter a fundamento, non darentur relationes reales, e. g. *paternitas* non esset relatio realis, *filiatio* non esset relatio realis etc. nam hujusmodi relationes non haberent realitatem fundamenti; fundamentum enim quod est actio, et in casu, actio generativa patris non manet in patre, sed transit: sed neque haberent realitatem distinctam a fundamento ut supponitur: ergo nullam realitatem haberent, et ideo non essent relationes reales.

2.° Fundamentum proximum relationis realis aut est ipsa actio in se considerata, vel est aliqua determinatio sive dispositio, vel aliquid aliud quocumque nomine vocetur, relictum ab actione in virtute operantis. Sed relatio realis (praedicamentalis), puta paternitas, distinguitur realiter ab actione, ut patet ex dictis (praec. arg.); distinguitur etiam a determinatione sive dispositione in virtute operantis ab actione relicta, nam talis determinatio sive dispositio, posita actione, statim habetur, paternitas autem e. g. non statim habetur, sed tunc cum producitur filius; insuper data actione sufficienti ex parte patris potest impediri effectus puta ex parte matris qua in hypothesi in patre habentur etiam alia quae ex parte ipsius requiruntur ad generationem et quidquid consequitur actionem generativam, non autem habetur paternitas; ergo si paternitas non est aliqua nova realitas a tali determinatione vel dispositione distincta, relatio non erit realis, sed rationis tantum.

729. **Objectiones.** — *Obj.* 1.ª Relatio est entitas cujus totum esse est ad aliud se habere. Sed illud cujus totum esse est ad aliud se habere est ens rationis: relatio ergo est ens rationis.

Resp.: Dist. maj.: Relatio est cujus totum *esse*, tum genericum, tum differentiale est ad aliud se habere *nego;* cujus totum esse differentiale quo ab aliis distinguitur *conc.* Et *contrad. min. nego consequentiam.* — Relatio dupliciter considerari debet: 1.° secundum rationem genericam, et sic est accidens et convenit cum aliis accidentibus; 2.° secundum illud per quod in sua natura propria constituitur et hoc totum importat ordinem ad aliud et est aliquid reale, non tamen est realiter distinctum a ratione generica accidentis inclusa in relatione: sicut rationalitas non est realiter distincta in homine ab animalitate, quamvis sit aliquid reale.

Obj. 2.ª In conceptu relationis non solum importatur esse respectivum, idest non solum importatur respectus ad terminum, sed etiam esse absolutum, idest esse simpliciter et absolute, quod est substratum relationis, sicut cujuslibet praedicamenti; et vi hujus esse absolute considerati relatio concipitur esse in subjecto. Atqui quod importat aliquid absolutum, importat esse alicujus praedicamenti absoluti. Ergo relatio, si complete consideretur, in suo conceptu importat esse alterius praedicamenti ab ipsa formaliter distincti, et ideo realiter ab esse alterius praedicamenti non distingui videtur.

Resp.: Dist. min.: Si importet aliquid absolutum per modum entitatis completae in determinata specie vel genere proximo, *conc.;* si importet sub ratione indeterminata generis supremi, *nego;* et nego conseq. Relatio importat aliquid absolutum si consideratur quatenus est accidens; in hoc enim quod

est accidens convenit cum aliis accidentibus inquantum importat entitatem quae non est per se sed in aliis; si autem complete consideretur prout est in sua specie ab aliis accidentibus distincta, tunc importat ordinem realem idest aliquid relativum quod est respectus realis vel ordo.

730. **Proprietates relationum.** — In relationibus habetur *oppositio* specialis distincta, tum ab oppositione *contraria*, tum a *privativa*, tum a *contradictoria*; nam in his speciebus oppositionis unum oppositorum excludit aliud in eodem subjecto: e. g. *virtus* excludit *vitium* cui contrariatur, *coecitas* excludit *visum* cujus est privatio, *non esse* excludit *esse* cui contradictorie opponitur; sed in relationibus unum oppositum non excludit aliud: e. g. *paternitas* non excludit *filiationem in genere* ab eodem subjecto, licet excludat filiationem individuam et singularem cui opponitur; imo potius infert filiationem in altero tamen subjecto. Ratio est quia aliae species oppositionis in uno oppositorum aut imperfectionem, aut negationem includunt respectu alterius; sed oppositio quae est in relativis neque imperfectionem neque negationem de se importat in uno opposito respectu alterius. Unde 1.ª proprietas relationis est *non habere contrarium*. 2.ª Proprietas est *non suscipere magis et minus*; non enim relatio augmentum vel diminutionem patitur: e. g. non potest aliquis esse magis vel minus pater, licet plures aut pauciores habeat filios; sicut album non fit magis vel minus album, per hoc quod pluribus vel paucioribus albis assimilatur. 3.ª Proprietas est *invicem converti*, non quasi unum relativorum, quae opponuntur, sit aliud, sed quia unum per aliud explicatur: e. g. paternitas explicatur per filiationem. 4.ª Proprietas est, quod *relativa sint simul natura et cognitione*;

idest sint simul, et simul cognoscantur : e. g. *paternitas* et *filiatio* sunt simul ; nam ex hoc quod aliquis est aut intelligitur esse pater, habet aut intelligitur habere filium ; neque esse aut intelligi potest pater, nisi habere filium intelligatur.

Caput XXV.

De Causis

(Aristot. I-II Physic. c. 3 et IV ; Metaphys. cum comm. S. Thomae ; Joann. a S. Th. l. c. q. 10; Suarez, disp. 12 ; Goudin, pars. I, Physic. disp. II, quaest. II ; Zigliara, Ontol lib. IV, cap. I Lepidi, Ontol. lib. III, cap. IV ; Liberatore, Ontol. cap. III, art. I ; De Maria, Ont., tract. III, qu. II ; Lorenzelli, Metaph. Mercier, n. 216 ; Hugon, Ontolog. II, pag. 95)

731. **Ratio capitis.** — Postquam actum est de ente tum in se, tum in suis proprietatibus, tum in suis divisionibus considerato, tempus est ut agamus de ente quoad suam causalitatem vel in suis causis. Unde agendum est de causis in genere, et in specie ; sed species causarum ad quatuor reducuntur idest ad causam efficientem, ad causam formalem (quae duplex est intrinseca et extrinseca), ad causam materialem, et finalem. Unde de his omnibus singillatim agendum est. — Agendo de causis indirecte dicemus etiam quaedam de illis praedicamentis quae praetermisimus puta de *actione,* de *potentia,* seu *virtute* agendi etc.

732. **Notio principii et causae.** — Nomine *principii* intelligitur id *a quo aliquid quocumque modo procedit ;* sive haec processio sit ordinis, sive influxus, sive successionis, sive alio modo (cf. n. 298). Dici etiam potest : *Id quod est primum in aliquo ordine ;* vel etiam : *Id unde res aut est, aut fit, aut cognoscitur.*

Illud quod procedit dicitur *principiatum*. — Nomine autem *causae* intelligitur *id vi cujus aliud ab ipso producitur*, quod effectus nuncupatur; ideo a causa effectus procedit. Unde causa importat quemdam influxum in id quod ab ea procedit. Sed principium stare potest sine influxu.

733. **Corollaria.** — I. Omnis ergo *causa* potest dici *principium*, sed non omne *principium causa* dici potest. Punctum e. g. est principium lineae, sed non est causa, et extremum cujuslibet rei, ordine inverso inspectum, habet vere rationem principii, non tamen habet rationem causae. Unde causa definiri exactius potest: *Principium vi cujus aliud ab ipso producitur.*

II. Omne principium a principiato distinguitur, quia nihil procedere intelligitur a seipso; et ideo etiam causa a suo effectu distinguitur, et quidem realiter; nam secus, nihil revera causa produceret. Ex quo sequitur etiam 1.° effectum a causa realiter dependere, nam a causa ipsa habet esse a qua producitur; 2.° causam esse priorem effectu saltem prioritate naturae; nam cum effectus habeat esse a causa, causam esse supponat necesse est. Haec autem non semper verificentur de principio (1).

734. **Successio et causalitas.** — Successio et causalitas non sunt confundenda ut a quibusdam turpiter et inscite confunduntur; nam successio importat exclusive ordinem prioris et posterioris ut contingit in motu, in tempore et in multis quae nullam habent dependentiam. Causalitas vero importat influxum unde causatum a causa pendet.

735. **Conclusio I.** — *Absolute loquendo non est necessarium ut semper principium praecedat principiatum prioritate naturae.*

---

(1) Haec est Arist. l. I. et Metaphys., c. I, 4.

Prob.: Ad rationem principii sufficit origo unius ab alio; atqui origo potest absolute haberi sine prioritate. Ergo non est necesse ut principium praecedat principiatum prioritate naturae. — *Prob. minor:* Nam si supponatur actionem productivam esse ipsam substantiam producentis in se completissimam et necessariam habitudinem habentem ad productum, habetur origo producti a producente sine prioritate; etenim substantia non est prior actione, cum identificetur cum ea; actio non est prior producto, cum, eo ipso quo intelligitur actio completissima ex plenitudine suae activitatis et efficaciae operans cum necessario ordine et habitudine ad productum simplicissimum tanquam ad terminum, intelligatur ipsum productum.

736. **Corollarium.** — Supposita fide mysterii SS. Trinitatis secundum quam una persona divina ex alia procedit, habetur quod una persona habet rationem principii respectu alterius sine ulla prioritate.

737. **Causa, conditio, occasio.** — Haec tria sedulo distinguenda sunt; nam causa vere influit in effectum; conditio vero per se non influit licet requiratur ad effectum; e. g. aperitio fenestrae ut sol illuminet aulam. Occasio per se loquendo neque necessaria est ad effectum producendum neque per se influit; influit tamen saepe in ipsam determinationem agentis, ut e. g. prohibitio superioris potest esse occasio transgrediendi legem.

738. **Conclusio II.** — *Hoc principium: Non datur effectus sine causa, habet valorem objectivum.* — Haec conclusio est contra positivistas omnes, qui coguntur vi proprii systematis negare veritatem et objectivitatem adlati principii. — Adverte ante probationem principium hoc, quod vocatur principium

causalitatis, non omnibus placere sic expressum; putant enim esse vel petitionem principii vel tautologiam; quia effectus significat productum a causa seu ab agente. Sed tamen hoc est vanum scrupulum; quia effectus sumitur pro ente contingenti vel etiam pro eo quoc accidit vel quod esse incepit. — Verum si illa expressio non placet sic exprimi potest: *Ens contingens*, vel *quod esse incepit causam habet.*

Prob.: Effectus seu quod fit, quod accidit est realitas quaedam, quae non semper fuit, sed esse incoepit. Atqui realitas quae non semper fuit, sed esse incoepit non ex seipsa incoepit sed ex alio, a quo esse accepit quod est proinde vera ratio et causa illius. Ergo effectus veram causam a qua sit semper supponit, et ideo causalitatis principium enuntiatum, idest: *non datur effectus sine causa*, est verissimum et habet valorem objectivum.

Confirmatur praecedens argumentatio, et simul probatur ad hominem contra adversarios nostra conclusio: Effectus sive sit realitas quaedam, sive phaenomenon, ut positivistae putant, non semper fuit, sed incoepit esse, et ideo non in se habet rationem suae existentiae, sed in alio. Ergo effectus supponit aliud a se distinctum, quod sit ratio et causa illius, et ideo objective verum est principium causalitatis relatum. — *Prob. antec.:* Quod habet in se rationem suae existentiae aut semper fuit et semper est, aut si non semper fuit, sui ipsius fuit causa et ratio, idest dedit sibi esse antequam esset, quod omnino repugnat.

739. **Obj I.** — In argumentis adlatis habetur petitio principii; nam nisi supponatur verum principium causalitatis, idest quod conclusio causetur ex principiis, nihil potest deduci.

Resp.: Neg. anteced.; ad prob. dist.: Nisi supponatur causalitatis principium formaliter et per se in ordine

cognitionis, *nego ;* materialiter et per accidens in ordine naturae, *conc.* Ut petitio principii habeatur in argumentatione requiritur ut ipsa *conclusio* sub aliis terminis adsumatur tanquam certa, et ex ea eadem ipsa conclusio deducatur. Unde talis argumentatio supponit *veram* conclusionem demonstrandam. Sed hoc non contingit in argumentatione adlata, in qua principium causalitatis, quod est ipsa *conclusio,* non adsumitur tamquam verum et certum in praemissis, in quibus neque exhibetur ut cognitum. Per accidens tamen praesupponitur, idest in esse naturae independenter a mente, et scitur per reflexionem ex *principiis* deduci posse conclusionem ; imo mens sponte quasi et inconscia ex principiis conclusionem deducit. — Insuper principia respectu conclusionum rationem causae proprie loquendo non habent, cum causa vera cognitionis conclusionis sit ipse intellectus, quatenus ex cognitione principiorum procedit.

740. **Obj II.** — Kant sic arguit : In subjecto hujus propositionis : *Quod accidit* (quod fit) *causam habet,* includitur. 1.° cogitatio seu conceptus existentiae temporis existentiam praecedentis ; 2.° sed idea causae omnino rem diversam ab eo quod accidit denotat ; 3.° et continetur omnino extra conceptum illius ; 4.° unde nullo modo causa repraesentatur in tali conceptu. Atqui attributum quod non continetur in subjecto experientiae ipsi subjecto a mente applicatum, est purus mentis conceptus a mente derivatus, cui nihil respondet in ipso objecto reali experientiae, et proinde nullum habet valorem objectivum. Ergo principium enuntiatum nullum habet valorem objectivum (1).

(1) KANT : *Critica della ragion pura,* tomo I, Introd. IV, pag. 47.

Resp. 1.° In objectione Kantiana habetur petitio principii; unde argumentum nullam vim habet et nullo modo infirmat nostram probationem, imo eam confirmat sicut confirmat sensum communem illud principium in tota sua vi admittentem. Et revera supponit Kant praefatum subjectum nempe: *Quod accidit* nullam includere in suo conceptu *relationem dependentiae ab alia re quae ipsum antecedat*; unde Kant considerat illud subjectum praescindendo a sua dependentia; at quo jure ab hac dependentia praescindit quam non solum reflexio, uti probatum est, sed sensus ipsemet communis proclamat? Imo non solum prescindit, sed illam dependentiam positive et arbitrarie negat et non animadvertit quod negando illi subjecto dependentiam ab alio eo ipso ponit illud esse a se, idest sine dependentia ab alio; igitur vel ponitur semper fuisse, sed hoc repugnat ei, quod enim accidit non semper fuit, vel ponitur sibi existentiam dedisse antequam esset. Quid absurdius? Pugnantia ergo docet Kant in hoc judicio quod ipse vocat syntheticum a priori; et similiter pugnantia docet in omnibus judiciis quae ipsemet synthetica a priori vocat in quibus totum aedificium criticae rationis purae et subjectivismi fundatur (1).

---

(1) *Resp.* 2.° in forma: *Conc.* 1.^{m} partem majoris; ad 2.^{am} *dist.:* Idea causae rem omnino diversam, hoc est rem *distinctam conc.;* diversam quasi scilicet rem in nullo convenientem *nego.* Cum ex effectu causam inferimus praescindimus a determinatione naturae causae, solum inferimus existere aliquid quod habeat rationem principii, quod tamen debet semper in aliquo convenire cum effectu quandoque magis quandoque minus; sed hoc inde per alias reflexiones et argumentationes inferimus, quia ex una veritate cognita ad aliam cognoscendam procedimus ob nexum logicum veritatum quarum una implicite aliam includit. *Nego* 3.^{m} partem: vel si juvet eam *distinguo* ob aequivocationes Kantianas: si per conceptum intel-

741. **Causarum species.** — Causa dividitur in *materialem, formalem, efficientem, finalem.* — Quae quidem divisio est adaequata, nam cum quaerimus de causa alicujus rei, aut adsignatur id *a quo* illa res fit, et habetur causa *efficiens ;* aut adsignatur id *ex quo* aliquid fit, et habetur causa *materialis ;* aut ad-

---

ligatur ipsa idea qua repraesentatur illud *subjectum ; negatur*, quia non potest subjectum illud repraesentari seu menti exhiberi nisi ut dependens et derivatum et si derivatum et dependens, certe ab *alio* (quidquid sit illud), quod proinde praesupponitur existens) ; si vero per conceptum intelligatur ipsum objectum repraesentatum tunc *subd. :* est omnino extra illud, ita scilicet ut sit ab eo distinctum et fortasse etiam diversum *conc. ;* est omnino extra illud quasi scilicet ad illud nullum nexum, vel dependentiam atque nullam neque analogiae cum ipso convenientiam habeat, *negatur*. Unde 4.ª *pars* negatur omnino ; vel distingui potest de repraesentatione *perfecta*, vel imperfecta. (Cf. n. 419). 3.° Principium causalitatis habere valorem objectivum ita evidenter et ineluctabiliter a mente exhibetur ut ipsa negatione affirmetur ; unde et in relata objectione Kantiana supponitur et adseritur ut verum objective ; nam ex hoc ipso quod formae illae Kantianae seu conceptus illi, puta existentia, ponuntur vere esse et profluere a *mente* jam mens proclamatur principium et causa ipsorum (cf. n. 313) ; nam formae illae procedunt ne vere objective ? vel sunt quaedam illusiones ejusdem mentis ? Si vere *objective* procedunt a mente sequitur objectivitas principii causalitatis in ipsa mente ; at si ponitur in mente, qua extra mentem negatur, cum ipsa mens non minus ineluctabiliter imo magis testetur ponendum esse etiam extra ? Si dicantur illusiones illae formae consideratae tanquam a mente procedentes ; ergo 1.° in se sunt rejiciendae et absurdissime a Kantio in iis construitur totum aedificium scentificum quod in illusione fundatur ; 2.° ergo saltem illusiones oportet ut ponantur a mente esse, quae sibi illudit ; et si vere seipsam illudit, ergo mens est *vera causa* hujus vitii et illusionis, et sic iterum proclamatur verum principium causalitatis ; si autem non vere sibi illudit, ergo non habetur vera illusio, sed *vera* causa illarum formarum ipsa mens proclamatur. Ponuntur ne illae formae per se subsistentes sine principio et sine causa, sicut Platonici posuerunt ? Sed hoc fabulosum est ; et si admittatur ut verum ipsemet criticismus perimitur.

signatur *per quod* in sua *specie*, aut *tale* constituitur et denominatur, et habetur causa *formalis;* aut denique adsignatur *id propter quod* fit, quod proinde est ratio illius et habetur causa *finalis*. Atqui nullum genus causae adsignari potest quod ad praedictas causas non possit revocari. Ergo divisio tradita est completa (1).

742. **Ratio et causa.** — Licet causa possit dici ratio, non tamen *ratio* stricte loquendo semper dici potest causa. Unde ratio latius patet quam causa. Saepissime autem sumitur pro forma sive totali sive partiali, ut ita dicam ; unde sumitur e. g. pro *humanitate* (forma metaphysica totali hominis), vel e. g. pro sola *animalitate*, aut *rationalitate* (formae partiales metaphysicae hominis). Sed quia ex forma habetur rei essentia seu quidditas, et esse, imo quia forma est principium et fundamentum cognitionis ; *ratio* rei dici potest id in quo res fundat suam quidditatem, suum esse, suum intelligere (2).

743. **Ratio sufficiens et ratio insufficiens.** — Ratio si talis est ut habeatur ipsa quidditas rei dicitur sufficiens, si autem habeatur aliquid quidditatis, vel si praeter ipsam aliquid aliud requiratur ad habendam quidditatem rei, dicitur insufficiens ; e. g. animalitas non sufficit ad habendum hominem, et

---

(1) Cf. Goudin, Physic. P. I. Disp. II, qu. II, a. I ; Hugon, Ontol. II, pag. 101 seqq.

(2) « Ratio rei, ait P. Hugon, latius patet quam causa rei. Ratio indicat id in quo res fundat suam quidditatem, suum esse vel suum intelligere ; illud porro in quo res fundat haec tria potest esse logice dumtaxat a re distinctum, dum causa realiter discriminatur. Sic in Deo immutabilitas est ratio non vero causa proprie dicta aeternitatis. — Generatim ratio sufficiens rei... est complexus omnium principiorum illius rei ». (Ontolog. II, Tract. IV. qu. I. a. I., VIII).

ideo est tantum ratio hominis in quantum homo est animal, et ideo insufficiens ; e contra humanitas sive animal rationale est ratio sufficiens hominis.

744. **Corollarium.** — Nullum ens datur sine ratione sufficienti, nam in quocumque ente potest adsignari ratio sui constitutivi essentialis vel suarum proprietatum. Haec tamen ratio dici potest intrinseca.

745. **Ratio intrinseca et ratio extrinseca.** — Ratio si est in ipsa re dicitur intrinseca ; si autem extra dicitur extrinseca quo in casu est ipsa causa. Unde subit divisiones ipsius causae. Rebus contingentibus praeter rationem intrinsecam adsignari oportet rationem extrinsecam (cf. 573).

746. **Ratio in ordine logico.** — Ratio in ordine ontologico et objectivo inquantum fundat ipsam quidditatem vel esse a causa proprie dicta distinguitur, ut dictum est ; sed in ordine logico promiscue usurpatur. Unde demonstratio quae procedit per *rationem* est vere a priori, et dicitur demonstratio per *causam* (1).

747. **Principium rationis sufficientis.** — Ex quibus patet quod principium rationis sufficientis idest : *Quidquid est rationem sufficientem habet,* est certissimum, dummodo tamen juxta datas explicationes intelligatur. Imo hujusmodi principium est universalissimum, ut patet, tum in ordine ontologico, tum in ordine logico in ut quo ratio sufficiens totius

---

(1) Et hoc communiter inter scholasticos retinetur ut certissimum, unde de merito dicit Joannes a S. Thom. « non requiri quod semper procedant *(demonstrationes a priori)* ex causa quae formaliter sit causa et physice, sed sufficit quod virtualiter vel metaphysice, ita ut unum se habeat ut *ratio* alterius, etsi non sit causans alterum sicut immutabilitas est ratio aeternitatis et perfectio bonitatis ». Log. P. II. qu. 25, a. 1.

cognitionis et certitudinis potest adsignari ipsa *evidentia objective spectata* (n. 351), vel ipsa res evidens; licet etiam aliae rationes adsignari possint hanc tamen includentes. Cum principium rationis sufficientis rebus contingentibus seu factis applicatur non est confundenda cum ratione *necessaria,* ratio enim ex qua voluntas libera movetur ad agendum licet dici possit *sufficiens,* non tamen *necessaria* appellanda est. — Secus ipse agens operaretur effectum ex necessitate, et effectus non esset amplius contingens (1).

Caput XXVI.

De causa efficiente

(Aristot. IV. et V Metaphys. et II physic. cum comm. S. Thom.; Tullius de causis; Suarez, disp. XII et seqq.; Joann. a S. Th. Phil. Nat. I. P. qu. X; P. Janet, Les causes finales; Goudin, l. c. qu. IV, art. I; Zigliara, Ontol. lib. IV, cap. II; Rosselli, Summ. Phil.; Metaph. q. 3; Lepidi, sect. I, c. VI, Ont. l. III; Liberatore, Ontol., cap. III, art. II; De Maria, l. c. a. II; Card. Lorenzelli, Card. Mercier, Domet De Vorges; Schiffini; Hugon, Germano, Ontolog.).

748. **Quid sit causa efficiens.** — Causa efficiens definiri potest: *Principium extrinsecum ex cujus vera et physica actione primo dependet ut res aliqua transeat de non esse ad esse.*

(1) Principium rationis sufficientis rebus contingentibus applicavit Leibnitz. Sic enim ait: « Ratiocinia nostra duobus magnis principiis superstructa sunt. Unum est principium contradictionis, vi cujus falsum judicamus quod contradictionem involvit: et verum quod falso opponitur, vel contradicit. — Alterum est principium rationis sufficientis, vi cujus consideramus nullum *factum* reperiri posse verum, aut veram existere aliquam enuntiationem nisi adsit ratio sufficiens cum ita potius sit quam aliter, quamvis rationes istae saepissime nobis incognitae esse queant ». Haec Leibnitz *(Principia philosophiae,* seu *Theses in gratiam principii Eugenii* n. 31 et 32). — Attende tamen quod pro voluntate libera adsunt rationes sufficientes pro et contra.

749. **Explicatur definitio.** — Per hoc quod dicitur *principium* adsignatur ratio generica in qua omnes causae conveniunt, quamvis tamen ratio generica principii ad aliud praeter causam se extendat; per hoc quod additur *extrinsecum* jam causa efficiens a materiali et formali secernitur, nam tum causa materialis, quam formalis est intrinseca effectui sive rei, quae transit de non esse ad esse. Dicitur *ex cujus physica actione primo dependet ut res aliqua transeat de non esse ad esse;* quia per actionem physicam causa est ratio actualiter quare res acquirat esse, vel ponatur in esse. Et per hoc distinguitur a causa finali, quae est causa, non per hoc quod immediate agit in effectum, sed in causam efficientem ipsam adliciendo. Dicitur *primo,* quia licet res quae producitur dependeat a causa materiali, causa tamen materialis et formalis non habent rationem causae nisi quatenus a causa efficiente adhibentur et quasi, ut ita dicam, applicantur ad rem producendam; causa autem finalis supponit apprehensionem causae efficientis, et nonnisi vi talis apprehensionis habet rationem causae; tamen causa efficiens praecise ut apprehendens non habet rationem causae.

750. **Causa efficiens per se et causa efficiens per accidens.** — Causa efficiens alia dicitur *per se,* alia *per accidens.* Causa efficiens *per se* ea dicitur ex cujus physica actione directe sequitur effectus, ad quem producendum directe per talem actionem ordinatur. Dicitur autem causa efficiens *per accidens* illa ex cujus physica actione sequitur effectus ad quem directe ex tali actione non ordinatur; vel etiam illa quae per accidens conjungitur causae, cujus actio per se ad effectum aliquem ordinatur, e. g. aedificator per se est causa aedificii, et fossor

est per se causa foveae, quia ejus actio ad foveam efficiendam ordinatur; sed per accidens est causa inventionis thesauri, quia praeter intentionem ejus est, quod ubi fodit sit thesaurum et thesaurum inveniat; similiter medicus nonnisi per accidens est causa aedificii, quatenus accidit aedificatorem esse medicum. Unde patet causam per accidens dici quatenus supponit causam per se.

751. **Causa efficiens principalis et causa efficiens instrumentalis.** — Causa efficiens *principalis* ea dicitur quae agit *virtute propria;* unde ei proprie effectus tribuitur; ita homo est causa principalis suarum cognitionum et pictor est principalis causa picturae. *Instrumentalis* est, quae ut talis non agit in virtute propria, sed in *virtute sibi a principali agente communicata.* Proinde effectus non ipsi tribuitur sed principali agenti; pictura e. g. non pennicillo tribuitur, sed pictori, et vulnus non tribuitur *gladio,* sed *homini.* — Adverte tamen instrumentum operari utique in virtute principalis agentis, ut instrumentum est, sed tamen concurrere ad effectum producendum per aliquid sibi proprium, sicut serra a principali agente habet ut moveatur ad opus artificiosum producendum, sed nisi ex se se haberet aptitudinem ad incidendum, frustra ab artifice moveretur. Unde serra hoc habet sibi proprium ut cum movetur a principali agente incidat lignum, ad quod applicatur, quod non competit aliis instrumentis, e. g. pennicillo, malleo, quamvis ab agente moveantur. Sed ex se se non habet etiam applicata ad incidendum facere rectam incisionem et artificiosam, etenim hoc competit ei ex virtute sibi a principali agente communicata, dum ab ipso movetur seu applicatur ad incidendum. Vis autem seu aptitudo ad incidendum sub motione principalis

agentis competit serrae modo permanenti, quia hoc convenit ei ex sua natura. Itaque posita motione sufficienti sequitur incisio, sed non sequitur artificiosa, nisi ex virtute artificis serrae communicata; nam serra quantum est de se indifferenter se habet ad rectam, vel non rectam incisionem: quod enim incisio sit recta, aut non recta omnino dependet ex motione principalis agentis. Unde serra quamvis ex sua natura habeat ut cum principali agenti ad incidendum concurrat, ad artificiosam tamen incisionem, formaliter ut artificiosa est, nonnisi dispositive habet ex sua natura ut concurrat; idest habet ut removeat impedimenta quae sunt ex parte materiae, in qua agens principale operatur, ne materia agenti resistat (1).

752. **Causa principalis prima et secunda.** — Causa principalis *prima* ea dicitur quae nullum influxum, nullam dependentiam habet ab alia causa, et est solus Deus. *Secunda* autem illa est quae ab alia causa pendet sive quoad esse, sive quoad virtutem, et quoad exercitium virtutis. Vel causa *prima* ea dicitur quae ita est causa ut nullo modo sit effectus; quae autem est etiam effectus, dicitur *secunda*. — Unde omnes creaturae sunt causae secundae respectu Dei.

753. **Causa efficiens proxima et remota.** — Causa quae immediate influit effectum dicitur *immediata* vel *proxima;* quae vero, mediante alia causa influit, dicitur *mediata* vel *remota;* e. g. ignis combustionis stipulae est causa immediata et *proxima*.

---

(1) S. Thomas, P. I q. 18, a. 3; et qu. 45. a. 5. — De causa instrumentali diffuse agit P. Hugon ord. P., Ontolog., pag. 165, in opere: La causalité instrumentale en Théologie. Paris, Ancienne Maison Charles Bouniol, 1907.

Cor, mediante sanguine, diffundit calorem in membra corporis, et ideo est causa mediata vel *remota.* Dicitur *immediata immediatione virtutis* si non ex virtute communicata ab alia causa, sed ex propria producat effectum ; dicitur *immediata immediatione suppositi,* si nullam aliam causam adhibeat ad effectum producendum.

754. **Causa efficiens universalis et particularis.** — Causa efficiens dicitur *universalis* si plures effectus specie distinctos producere potest, ut anima humana quae producit in nobis effectus vitae vegetativae et vitae sensitivae, praeter actiones vitae intellectualis sibi proprias. — *Particularis* est illa quae effectus unius speciei producit, e. g. arbor.

755. **Causa efficiens totalis et partialis.** — Dicitur causa *totalis,* quae sola in suo ordine totum effectum producit, ut cum unus equus trahit currum. Quae vero simul cum aliis causis ejusdem ordinis producit effectum dicitur *causa partialis,* ut cum multi equi trahunt currum.

756. **Causa ut quae et causa ut qua.** — Causa efficiens *ut quae,* et dicitur etiam *principium quod,* est ipsum subjectum efficienter agens, sicut aedificator respectu domus. — Causa efficiens *ut qua,* et dicitur etiam *principium quo,* est forma vel virtus qua subjectum potest operari seu agere, sicut anima est causa efficiens, qua homo sentit, intelligit, vegetat. Causa tamen *ut qua* est multiplex, nam ipsa essentia agentis nude spectata dicitur causa ut qua *radicalis ;* prout est instructa facultatibus debitis dicitur causa *in actu primo remoto ;* prout habet dispositiones necessarias in suis viribus ad agendum, sicut cum natura humana habet in vi intellectiva scientiam vel doctrinam, dicitur causa in *actu primo proximo ;* causa dicitur *in actu secundo* cum actualiter agit.

757. **Causa univoca et causa aequivoca.** — Causa quae effectum sibi simile in eadem specie producit, ut homo generans hominem, dicitur *univoca*. Quae vero producit effectum non in eadem specie, sed natura sibi inferiorem dicitur *aequivoca* seu *analoga*, ut Deus respectu creaturae.

758. **Causa libera et causa necessaria.** — Causa dicitur *libera* quae dominium eorum quae producit habet, ita ut in libitu suo habeat producere et non producere effectum, et possit a producendo se abstinere. Causa *necessaria* est illa, quae si habeat conditiones *requisitas*, a producendo effectu sibi relicta temperari non potest, ut arbor si habeat conditiones intrinsecus et extrinsecus requisitas necessario producit fruges.

759. **Causa physica et causa moralis.** — Causa *physica* est illa, a qua directe procedit actio per se attingens et producens effectum ; sicut ignis est causa physica combustionis stipulae. Causa moralis ea dicitur quae mediis moralibus inducit causam physicam ad agendum, e. g. *exortatione, consilio, minis* etc.

760. **Conclusio.** — *Ex quocumque effectu cognito* 1.° *potest* cognosci *causae existentia,* 2.° *imo potest aliqualiter etiam* ipsa *essentia.* — Nolumus adserere ex quocumque effectu cognito causam ejus actualiter existere cognosci posse, loquendo de causa ejus proxima et immediata, sed aut existere aut saltem extitisse. — His declaratis :

Prob. 1.ª *pars conclusionis :* Effectus si cognoscitur formaliter ut est effectus, cognoscitur ipsum incoepisse et non habere in se rationem suae existentiae, sed in alio. Atqui eo ipso quod mens cognoscit effectum in alio habere rationem suae existentiae, cognoscit illud aliud existere aut extitisse, et ideo

ejus existentiam cognoscit. Ergo ex quocumque effectu cognito, ut effectus est, mens potest cognoscere existentiam causae illius.

Prob. 2.ª *pars :* Mens cognoscens effectum realem, ejus proprietates reales et essentiales intelligere potest, imo de facto saltem quasdam intelligit hoc ipso quod sunt effectui essentiales ; insuper ex hoc ipso quod cognoscit effectum esse a causa, cognoscit etiam ejus proprietates reales et essentiales ab eadem causa esse. Atqui hoc ipso quod proprietates reales mens cognoscit a causa esse, naturaliter cognoscit etiam eas aliquo modo in ipsa causa praeextitisse, et ad naturam causae aliquo modo pertinere. Ergo ex cognitione effectus potest saltem aliqua ratione natura causae cognosci. — *Prob. minor* ex eo quod menti est naturaliter notum hoc principium : *Nullam rem dare posse quod nullo modo in se habet.*

761. **Corollarium.** — Si effectus est virtuti causae proportionatus ex natura effectus possunt cognosci proprietates specificae ipsius causae, sicut contingit in causis univocis ; at si effectus non est virtuti causae proportionatus, cognosci poterit causam habere proprietates quae sunt in effectu, sed *altiori modo,* idest *eminenter, virtualiter,* etc. (n. 381) sicut contingit in causis aequivocis.

Caput XXVII.

De causalitate rerum contingentium

(S. Th. c. g. III, c. LXIX. p. I. qu. CV, a. V, II, dist. I, qu. IV. a. IV; Goudin, l. c. a. II.; Zigliara, l. c. art. II et III; Rosselli, l. c.; Lepidi, l. c. art. VI, VII; Liberatore, l. c.; De Maria, l. c., a. III; Farges, Théorie fondament. de l'acte et de la puissance VI; Card. Mercier, n. 231 et seqq.; Domet De Vorges c. XVIII; Hugon, Ontol. P. III. pag. 161 et seqq.).

762. **Philosophi negantes causalitatem rerum.** — Quidam antiqui philosophi posuerunt res contingentes seu creaturas non esse veras causas, sed apparentes tantum, et ideo licet agere videantur, de facto tamen nihil agere, sed omnem productionem esse Deo tribuendam, qui, accepta occasione a diversis rebus existentibus, diversos effectus in natura producit. Unde juxta hanc doctrinam non est *ignis* qui comburit, sed *Deus*, accepta occasione ab igne. — Hanc sententiam quoad substantiam defendit et renovavit Malebranchius, saeculo XVII. Qui eam tuentur vocantur *occasionalistae* et eorum doctrina *occasionalismus*. Denegantes causalitatem omnibus entibus contingentibus dicuntur occasionalistae *rigidiores*. Qui autem concedunt causalitatem substantiis spiritualibus et aliis substantiis negant, dicuntur *mitiores*. Contra quos sit.

763. **Conclusio I.** — *Entia contingentia efficienter agunt.*

Prob.: Si entia contingentia efficienter non agerent: 1.° esset vana rerum distinctio, et scientia nostra; 2.° nullus ordo universi; 3.° aliquid frustraneum impingeretur sapientiae divinae. Atqui

haec omnia absurda sunt. Ergo entia contingentia efficienter agunt. — *Prob. maj.* per partes: 1.° *Esset vana rerum distinctio* etc. Nam rerum distinctio non consideratur nisi per hoc, quod res ex propria natura ordinantur ad distinctas et diversas operationes. Animal e. g. per hoc intelligitur distingui ab aliis, quod est *sensibile*, idest quod est ordinatum ad *sentiendum*, et homo per hoc, quod est *rationalis*, idest ordinatus ad *ratiocinandum*. Sensibilia, autem per hoc intelliguntur distingui inter se, quod ad diversas impressiones in sensus nostros producendas ordinantur. Atqui si hujus modi res nullam producunt actionem, sed Deus omnes actiones producit, non sunt ex sua natura ordinatae ad diversas actiones producendas. Ergo in eis nulla erit distinctio, et intellectus semper fallitur cum putat eas distingui per ordinem, quem ad actionem naturaliter putat eas habere, et ideo vana erit scientia nostra.

2.° *Nullus esset ordo universi.* Nam ordo universi ex relationibus quas res habent ad invicem resultat. Atqui si res nihil agerent, nullam relationem ad invicem habere possent. Ergo ordo universi nullus esset si res universi nihil agerent. — *Prob. minor:* Nam relationes omnes vel fundantur in actione et passione, quatenus *unum* est agens, *aliud* patiens, aut fundantur in unitate et numero, ut sunt relationes similitudinis et dissimilitudinis (n. 493): sed nulla esset actio rerum in hypothesi, similitudo autem et dissimilitudo non consideratur in rebus nisi per hoc, quod ad easdem operationes aut diversas ordinantur. Nam convenientia naturae ex convenientia operationum consideratur. Ergo inter res ipsas nullus ordo reperiretur, et ideo nullus esset ordo universi.

3.° *Aliquid frustraneum sapientiae divinae tribueretur.* Et revera; per hoc quod dicitur Deus, occasione accepta, diversarum rerum diversas producere actiones, vel effectus, aut ponitur diversitas rerum *ratio sufficiens* diversarum actionum, et tunc habetur causalitas ex parte rerum; aut ponitur quod non sit ratio ut Deus diversos effectus producat, et tunc aeque Deus posset diversas actiones producere, non accepta occasione a diversitate rerum; absque ergo ratione ponitur rerum diversitas, et Deus frustra ageret producendo diversas actiones ex mera occasione diversarum rerum.

Confirmatur: Rerum diversitas non esset propter ordinem universi, ut patet ex secunda ratione, non esset ut per earum cognitionem manifestaretur gloria divina, cum res diversae non possint cognosci nisi per ordinem ad diversam operationem ut (ex arg. 1.°) patet, quia ordo in hypothesi nullus esset, cum res supponantur omni causalitate destitutae. Ergo frustraneum aliquid sapientiae divinae tribueretur.

764. **Pro substantiis spiritualibus specialia argumenta.** — Ad ostendendam causalitatem substantiarum spiritualium, quam occasionalistae mitiores concedunt, afferri possunt argumenta *ex testimonio conscientiae,* ex quo habetur invicte me esse qui sentio, intelligo, volo, ambulo, scribo, loquor etc.; testimonium autem conscientiae est veritatis criterium (n. 182). Insuper nulla concipi potest libertas sine dominio propriarum actionum in subjecto libertate praedito; cum ergo substantia intellectualis libertate praedita sit, in ea esse debet dominium propriarum actionum; et ideo tales actiones ab ipsa pendent et sunt, sicut a causa. — Etiam pro corporibus specialia argumenta adferri possunt; nobis sufficiat innuere activitatem seu causalitatem corpo-

ribus tribui ex sensu naturae communi, ex sensibus externis quae sunt criteria veritatis (n. 172 et n. 202). Insuper, si ut ajunt occasionalistae, corpora occasionem praebent diversas actiones agendi ipsi Deo; ergo agunt et quidem diversimode, nam praebere vel dare occasionem est aliquo modo agere; haec enim verba *dare, praebere* aliquam actionem designant, secus frustra a nobis adhiberentur.

765. **Corollarium.** — Ex his sequitur *activitatem* non esse quid divinum simpliciter et exclusive loquendo, sed esse quid divinum activitatem primam, quae proinde est participabilis, sicut esse divinum est participabile ad extra.

766. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Deus quemlibet effectum totum producit. Ergo frustra entia contingentia causalitate donantur.

Resp. Dist. antec.: Deus ut causa prima, *concedo;* ut causa unica; *nego.* In causis consideratur et est subordinatio quaedam, etenim aliquae sunt quae agunt ex influxo superioris causae, sicut instrumentum agit ex influxo principalis agentis; e. g. calamus scribit in virtute manus; quo in casu effectus ab utraque causa procedit, diversa tamen ratione.

Instabis: Si Deus uteretur creaturis ad agendum sicut instrumentis, Deus indigeret creaturis. Sed hoc est absurdum; ergo creaturae non habent rationem causae instrumentalis respectu Dei.

Resp. Dist. maj.: Deus indigeret creaturis simpliciter loquendo, *nego*, ex suppositione, *transeat.* Et *contrad. min. neg. conseq.* — Deus sine actione creaturarum sicut sine illarum existentia perfectissimus est habens plenitudinem essendi in se, et ideo neque actione, neque existentia creaturarum indiget simpliciter loquendo. At si ex liberrima sua volun-

tate decernit manifestare gloriam et plenitudinem suae perfectionis, vi hypothesis voluntatis divinae libere decernentis talem manifestationem, indiget creaturis, idest necesse est ut per creaturas eam manifestet et per existentiam et per activitatem earum: hoc autem non est absurdum, sed rationi consentaneum.

Obj. 2.ª Operatio est quaedam perfectio et entitas. Sed nulla res creata potest entitatem aut perfectionem suae naturae superaddere. Ergo creaturae operari non possunt.

Resp. Dist. maj....: Accidentalis perfectio, *conc.,* substantialis, *nego.* Et *contraddist. min.:* Non potest.... perfectionem substantialem sibi superaddere, *transeat* vel *conc.,* accidentalem, *subdist.,* independenter a Deo, *conc.,* dependenter a Deo, *nego.* — Concedimus creaturas non posse sibi addere perfectionem substantialem, concedimus etiam indigere Dei influxu ad operandum, et ideo non posse sine Dei influxu sibi superaddere neque perfectionem accidentalem; negamus tamen non posse sub influxu causalitatis divinae ipsam participando; nam si participant entitatem, quare non possunt participare causalitatem?

767. **Conclusio II.** — *Actio rerum creatarum non est ipsa substantia rei creatae, sed est accidens a substantia realiter distinctum.*

Prob.: Actio rerum creatarum non semper perseverat in esse, ipsa substantia ipsarum rerum perseverante, neque potest existere nisi ipsi substantiae tanquam subjecto inhaereat, ut patet. Atqui si actio esset ipsa substantia perseveraret in esse, substantia vel essentia ipsa perseverante; nulla enim res potest separari a se ipsa; et si non esset accidens posset existere, quin ipsi substantiae inhaere-

ret; nam esset substantia. Ergo actio rerum creatarum non est ipsa substantia rei creatae, sed est accidens a substantia realiter distinctum.

768. **Conclusio III.** — *Virtus agendi quae est in substantia creata realiter ab eadem substantia creata distinguitur* (1).

Prob.: Virtus agendi substantiae creatae est accidens. Ergo realiter distinguitur a substantia in qua est. — *Conseq. patet.* — *Prob. antec.:* Illud cujus essentia concipitur incompleta in ratione essentiae et nonnisi per *accidens aliquod* potest essentialiter compleri, est accidens, secus substantia compleri posset essentialiter sive *substantialiter* per *accidens,* quod est absurdum. Atqui virtus agendi in rebus concipitur, et est, ut quid in sua essentia incompletum quod per *actionem* in ratione suae essentiae intelligitur compleri et de facto completur. Ergo virtus agendi in rebus creatis realiter a substantia vel essentia earum distinguitur (cf. n. 368).

769. **Corollaria.** — I. Ex hac conclusione patet quomodo sit intelligendum illud scholasticorum principium: *Operari sequitur esse;* idest sequitur esse vel substantiam rei non immediate, sed mediante virtute.

II. Virtus agendi et quaelibet alia proprietas non producitur a substantia ipsa per actionem aliquam, nam secus per aliam virtutem a substantia distinctam produceretur, et sic illa virtus ab alia, et esset procedere in infinitum. Sed procedit ab essentia per simplicem emanationem eo ferme modo quo lux a sole emanare intelligitur.

---

(1) Cf. S. Th., p. I, qu. LXXVII, cum comm. Caiet. et Bannes; Goudin, pars. I, Physicae, disp. II, qu. IV, a. III.

770. **Conclusio IV.** — *Causa efficiens non existens, actualiter operari non potest,* 2.° *si tamen extitit potest ejus actio, vel impulsus, quem exterius emisit, perseverare et aliquem effectum habere.*

Prob. 1.ª *pars:* Omnis actio supponit existentiam subjecti a quo procedat, et a quo causetur. Ergo si causa non existat, actio ab ipsa emanare non potest. — *Confirmatur:* Quod dat esse oportet ut esse habeat. Ergo oportet ut ipsa causa esse habeat ad hoc ut operetur.

Prob. 2.ª *pars:* Contingere potest ut aliqua causa, communicato impulsu alicui objecto, vel emissa actione, statim amittat existentiam, aliquis enim e. g. proijciens lapidem, statim potest interire. Atqui hoc in casu perseverat ejus actio quae aliquem effectum producere potest. Ergo si causa extitit ejus actio perseverare potest, et aliquem effectum habere.

771. **Conclusio V.** — *Ut aliqua causa effectum aliquem efficere possit requiritur ut sit praesens saltem per suam virtutem.*

Prob.: Effectus non potest produci nisi per actionem. Sed actio esse non potest nisi ubi est virtus saltem communicata. Ergo nisi causa sit praesens per suam virtutem, causare effectum non potest.

772. **Conclusio VI.** — *Idem effectus potest produci a duabus causis partialibus.* 2.° *Non potest produci a duabus causis totalibus ad invicem non subordinatis.* 3.° *Non potest produci nisi ab ea causa a qua de facto producitur* (1).

Prob. 1.ª *pars:* ex eo quod patet ex experientia effectum eumdem a duabus causis partialibus produci, sicut e. g. cum duo equi trahunt eumdem currum; 2.° quia una causa potest producere effectum quoad unam partem, alia causa quoad aliam

(1) Cf. Goudin, l. c., qu. VI; Hugon, Ontol. II, pag. 108 et seqq.

partem, vel possunt simul propriam vim conjungere ut unus numero effectus producatur.

Prob. 2.ª *pars* ex eodem principio: A natura actiones praecipue efficaces causarum totalium multiplicantur ob distinctos et multiplices effectus producendos. Ergo quaelibet actio totalis ad distinctum effectum ex natura sua, et ideo essentialiter ordinatur. Ergo idem effectus non potest a duabus causis totalibus produci. — *Confirmatur:* Si una causa totaliter producit effectum, nihil remanet producendum alteri causae, vel altera causa superflua est, superflue agit et vane, idest nihil producit.

Prob. 3.ª *pars:* Actio, praecipue si est efficax, essentialiter ordinatur ad effectum producendum. Ergo distincta actio ad distinctum effectum. — *Prob. conseq.* Etenim ideo a natura actiones sive unius sive plurium causarum multiplicantur ut plures et distincti habeantur effectus.

CAPUT XXVIII.

De causa formali, de causa exemplari et de causa materiali

(ARISTOT., II, Phys., text. 28; Metaphys. l. I, c. VII, l. V, c. II cum comm. S. Thomae; idem S. Th. P. I, qu. 15; et qu. 44. a. 3; cum comm. CAJET, GONET, BANNES, GOUDIN, I pars phys. disp. II, q. III; ZIGLIARA, Ont. lib. IV, cap. III; LEPIDI, Ontol., lib. III, sect. I cap. V et VII; LIBERATORE, Ontol., cap. III, art. III et V; DE MARIA, Ont., a. I; PALMIERI, Ont. cap. III; HUGON, l. c., p. 129 et seqq.).

773. **Notio formae.** — Generatim loquendo nomine *formae* intelligitur perfectio nomine abstracto significata, per quam aliquod subjectum habet esse, aut esse tale, et a qua subjectum, in quo forma est, denominatur; ita, ex. g. *albedo* significatur nomine abstracto, per ipsam *paries* est *albus* et ab ipsa denominatur *albus*: *virtus* est per quam homo est et denominatur *virtuosus*.

Forma dicitur etiam *causa formalis,* quia ipsa effectum aliquem producit in subjecto in quo est; virtus, ex. g. facit subjectum virtuosum, albedo reddit parietem album, anima facit corpus vivum vel animatum.

774. **Corollarium.** — Causa formalis non vi alicujus actionis dicitur causare, sed per hoc quod suum proprium esse communicat. ex. g. albedo ipsa immediate per se dat esse album parieti.

775. **Duplex forma, accidentalis et substantialis.** — Forma quae dat esse simpliciter sive quae dat esse substantiale alicui subjecto, dicitur forma *substantialis ;* ex. g. anima dat esse simpliciter viventi, et ideo est forma substantialis, nam si vivens privatur anima, amittit simpliciter esse, idest esse suum substantiale. Forma *accidentalis* vero ea est quae alicui subjecto, in quo est, dat esse tale, ut e. g. virtus, albedo etc. — *Forma accidentalis* est accidens, *forma substantialis* est substantia quaedam partialis. quae materiae ita unitur ut constituat cum ipsa substantiam corpoream talem ac per se unam.

776. **Corollaria.** — I. Forma cum conferat esse ei cujus est forma et ipsum perficiat, importat in sui conceptu rationem actus ; subjectum autem, in quo ipsa est, rationem potentiae.

II. Forma substantialis est principium, quo res aliqua constituitur in sua specie et ab aliis distinguitur, et ideo dicitur etiam principium specificativum et distinctivum.

777. **Forma physica, forma metaphysica, forma logica.** — Forma physica ea dicitur, quae partem naturae designat ut *anima,* aut perfectionem naturae superadditam, ut *albedo, virtus* etc., et haec a subjecto, in quo est, separari potest absolute loquendo, et dicitur forma partialis.

Forma *metaphysica* totalis ea dicitur, quae totam naturam includit, quamvis in abstracto, et separari non potest ab eo in quo esse intelligitur sine illius destructione; sicut humanitas exprimit totam naturam hominis et ab homine separari non potest. Haec forma dicitur *forma totalis*, quia totam naturam licet abstracte exprimit (1). Forma *logica* ea dicitur, quae concipitur ut pars nobilissima formae totalis seu metaphysicae; sicut differentia specifica, quae intelligitur ut quaedam perfectio, superaddita generi, quod proinde concipitur se habere ad modum subjecti respectu differentiae.

778. **Causa exemplaris.** — Ad causam formalem causa *exemplaris* reducitur; in hoc tamen differt quod causa formalis, de qua locuti sumus, est intrinseca rei, cujus est forma; causa vero exemplaris est extrinseca ipsi rei, cujus est *exemplar,* vel forma *exemplaris*. Formae exemplares sunt ideae, ad quarum similitudinem res efformatae sunt.

779. **Non quaelibet idea dici potest exemplar.** — *Prob.:* Nomine *exemplaris* intelligitur illud ad quod respiciens artifex producit opus, ut ad ejus similitudinem conficiat ipsum. Sed non quaelibet idea est id, ad quod respicit artifex opus suum producens, ut ad ejus similitudinem conficiat ipsum. Ergo non quaelibet idea dici potest exemplar. — *Prob. minor:* Multae sunt ideae in artifice, quibus artifex objecta multa naturalia cognoscit, ad quae non respicit cum producit opera sua.

780. **Corollarium.** — Ideae ad quarum similitudinem res ab artifice producuntur dicuntur proprie exemplaria, et distinguuntur ab aliis ideis, quibus artifex objecta cognoscit et quae dicuntur principia cognitionis.

(1) Cf. S. Th., quodl. II, a. IV, c.

781. **Conclusio.** — *Ponendae sunt ideae ut exemplaria, quae habent vere rationem causae.*

Prob. 1.ª *pars ex facto :* Quilibet artifex qui opus aliquod conficit prius concipit ipsum in mente sua. Atqui concipere opus nihil aliud est quam efformare ideam operis conficiendi in mente, ad quam artifex adspiciat ut opus illud efficiat : quae idea proinde habet rationem exemplaris. Ergo ideae in mente ponendae sunt, quae habent rationem exemplaris.

Prob. 2.ª *pars :* In artifice utpote agente intellectuali est indifferentia ad hoc vel illud opus producendum, cum multa opera conficere possit. Sed ex agente indifferenti ad multa nullum determinatum opus produci potest, nisi in ipso sit aliquod principium determinans, per modum directionis, ipsam voluntatem ; quod principium esse non potest nisi mentis conceptus, sive idea in mente ipsa existens, quae sit exemplar operis faciendi. Ergo ideae exemplares quae habent rationem causae ponendae sunt.

782. **Corollaria.** — I. Ex dictis sequitur ideas exemplares habere rationem causae formalis, efficientis et finalis ; et 1.° habent rationem causae formalis extrinsecae, quia determinant formam et modum ipsius artificis ut principia extrinseca, 2.° habent rationem causae *efficientis*, quatenus dirigunt, excitant et aliquo modo quasi impellunt agentem, ut principia proxima actionis, 3.° habent rationem causae *finalis,* quia opus ad similitudinem suae ideae conficit artifex, qui proinde ideam suam exprimere intendit (1).

II. Quia mundus et omnia naturalia a Deo artifice sapientissimo per intellectum et voluntatem agente

(1) Cf. Joann. a S. Th. l. c. qu. XI, a. 3 ; Mercier, Ontol. n. 248, Hugon, II, pag. 132-133.

producta sunt, ideo in mente divina existunt ideae, quae sunt exemplaria omnium rerum naturalium, et exemplar totius mundi. Unde res naturales optime dici possunt exemplatae sub ideis divinis.

783. **Quid materiae et subjecti nomine intelligatur.** — *Materia et subjectum* a philosophis scholasticis saepe promiscue usurpantur. Quandoque nomine materiae vel subjecti intelligitur illud circa quod versatur aliqua scientia, vel nostra locutio. Sed hoc dicitur exactius *materia circa quam.* Quandoque intelligitur illud, quod in se aliquid recipit, ad quod est in potentia, et sic dicitur materia *in qua.* Nomine materiae quandoque significatur id ex quo aliquid fit. Id autem, ex quo aliquid fit, vel secundum totam rationem suae naturae remanet in eo, quod fit, sicut ex. gr. marmor, ex quo fit statua, remanet in statua; et tale est non solum causa ut res fiat ab artifice, sed etiam est causa essendi, dum res actualiter est; vel non remanet secundum totam rationem suae naturae in eo, quod ex illo fit, sicut lignum non remanet in cinere, quae fit ex eo: et hujusmodi est causa ut res fiat, sed non est causa materialis esse rei.

784. **Definitio causae materialis.** — Proprie ergo loquendo nomine causae materialis intelligitur *id, ex quo aliquid fit, remanente in eo, quod fit, secundum totam rationem suae materiae.* Ab Aristotele definitur: *Id, ex quo fit aliquid ut inexistente; ut aes statuae et argentum phialae et horum genera.* Si autem id, ex quo aliquid fit, non remaneat secundum totam rationem suae naturae in eo quod fit, dicitur causa materialis secundum imperfectam rationem, ut dictum est de ligno, ex quo fit cinis.

785. **Materia secunda et materia prima.** — Materia *secunda* dici potest corpus quodcumque, in sua specie determinatum per propriam formam. Materia vero *prima* dicitur illud *quod* remanet, praecisa forma specifica cujuscumque corporis; e. g. illud quod erat in ligno, et de ligno remanet in cinere, quae facta est ex ligno.

Caput XXIX.

De causa finali

(Aristot. II, Metaphys., c. c. 3, V. Metaphys. cum comm. S. Thomae; S. Thom. Cont. gent. I, c. 44, II, c. 2. cum comm. Cajet, Medina, Gonet, Billuart, Goudin. l. c. qu. V; Zigliara, Ontol. Lib. IV, Cap. IV; Rosselli, Summa Philos. Metaph. Quaest. IV; Lepidi lib. lect. I, cap. VIII; Liberatore, Ontol., cap. III, art. IV et VI; De Maria, l. c. qu. II a. IV, Per. Div. Th. a. 1903 pag. 379 et seq.; Pesch.; Mercier, Hugon, l. c 178).

786. **Notio finis.** — Finis a finiendo dicitur; *finire* autem, aut *terminare* illud dicitur quod ultra sive in existentia, sive in motu, sive in extensione, sive in actione non progreditur.

787. **Duplex acceptio seu significatio finis.** — Unde *finis* vel *terminus* 1.° quandoque significat negationem, aut ulterioris existentiae, sicut cum dicitur: *finis* vitae humanae; vel negationem ulterioris motus, vel operationis, vel extensionis etc. sic acceptus finis importat aliquid negativum. Et de hoc non loquimur.

2.° Finis sumitur pro aliquo positivo seu pro eo, quod agens intendit, et ad quod actio agentis ordinatur, vel pro aliquo objecto, ad quod agens tendit vel inclinatur, et potest consequi per operationem; sumitur etiam pro extremitate alicujus

rei seu pro eo quod est ultimum in re aliqua ultra quod res illa non se extendit et ad quod proinde sequitur negatio ulterioris extensionis, vel entitatis; et sic finis ordine inverso acceptus habet vel potest habere rationem principii. Ita punctum est terminus et principium lineae. Sic etiam acceptus finis importat aliquid positivum sicut et ipsum principium. De fine prout importat objectum ad quod agens tendit vel inclinatur loquimur in praesenti.

788. **Finis habet rationem boni.** — Nam finis, de quo loquimur, est res sive objectum, ad quod agens tendit et quod per motum aut operationem potest consequi. Atqui illud ad quod agens tendit, vel inclinatur et quod potest consequi per operationem, aut per motum, habet rationem boni. Ergo finis, de quo loquimur, habet rationem boni. — *Prob. minor.:* Nam illud ad quod agens tendit vel inclinatur habet rationem appetibilis, et ideo rationem boni (n. 487), tendentia enim, inclinatio, appetitus, idem significant.

789. **Finis in re seu in executione et finis in intentione.** — Finis in re seu in executione est res ipsa, quae dicitur finis, realiter possessa ab eo quod tendit in ipsam; e. g. pecunia possessa ab avaro est finis in re, vel in executione quem quaerebat avarus. Finis *in intentione* est ipsa *propensio, inclinatio, ordinatio* sive *determinatio* agentis, vel rei ad ipsum objectum, quod finis dicitur. Haec determinatio quandoque est ab agentis natura intrinseca, quandoque ab agente exteriori. Ab agentis intrinseca natura potest esse multipliciter: 1.° Secundum cognitionem et appetitionem intellectualem; ut cum quis judicat rem esse sibi convenientem, et cum quis decernit post judicium rationis, 2.° secundum cognitionem et appetitionem sensitivam, ut in brutis animantibus, 3.° secundum inclinationem naturalem, quae sequitur na-

turalem formam rei, sicut in plantis est propensio quaedam ad fructificationem. — Quando est ab agente exteriori talis determinatio, aut est per violentiam et impulsum, ut est projectio sagittae a sagittante; vel sine impulsu et violentia per simplicem impressionem in rebus, quae indifferentiam habent ad varias et diversas determinationes ab agente suscipiendas, ut ferrum potest ordinari ab agente ad contundendum per formam mallei, vel ad scindendum per formam cultelli, ad secandum per formam serrae.

790. **Finis in intentione primo et per se consideratur in agentibus cognoscitivis, in aliis autem nonnisi per accidens et improprie.** — Agens aut est cognoscitivum ita ut apprehendat finem antequam agat, et finis est in ipso vere et proprie secundum apprehensionem, quia finis est vere et proprie apprehensus: aut agens est vi cognoscitiva destitutum, et nonnisi improprie finis in eo esse potest, idest potest esse in eo secundum quamdam impressionem in ipso receptam, seu potest esse in eo determinatio, ordinatio ad finem consequendum a principio exteriori causata, quod tandem non potest esse nisi agens cognoscitivum apprehendens finem et determinans agens cognitione destitutum in finem, impressionem vel determinationem illam in ipso causando.

791. **Corollarium.** — Generatim loquendo dici potest finem in intentione esse finem ut objectum apprehensum ab agente vi cognoscitiva praedito.

792. **Finis operis et finis operantis.** — Finis *operis* est ille, ad quem opus natura sua ordinatur, ut e. g. elemosina natura sua ordinatur ad sublevamen pauperis; finis *operantis* est ille, quem agens intendit, et potest coincidere cum fine operis vel non; e. g. aliquis potest dare elemosinam ob vanam gloriam, vel simpliciter ad sublevamen pauperis.

793. **Finis cujus et finis cui.** — Finis *cujus* est bonum vel res quam agens consequitur per suam actionem, vel ipsam producendo, et dicitur finis *efficiendus*, vel ipsam acquirendo, et dicitur finis simpliciter *adsequendus*. Hujusmodi finis recte dicitur finis *cujus gratia* agens operatur. Finis *cui* est persona vel suppositum, cui finis *cujus* destinatur; nam producens aut acquirens bonum vel finem, aut sibi intendit acquirere, aut alteri. Unde finis *cujus* ordinatus fini *cui* habet rationem medii.

794. **Corollarium.** — Quando *finis cujus* ordinatur ad utilitatem et perfectionem illius suppositi quod dicitur *finis cui*, finis cui non potest habere rationem ultimi finis, quia illud quod agens primo intendit et ultimo consequitur est bonum, quod resultat ex eo, quod *finem cujus* ordinat ad *finem cui;* et tale bonum habet rationem *finis cujus;* e. g. medicina, quam conficit medicus, est *finis cujus* respectu illius operationis qua medicina conficitur; persona aegrota est *finis cui:* sed persona sana quae intenditur tanquam finis, est *finis cujus;* unde *finis cui* habet suum complementum in *fine cujus*, et ideo generatim, finis a philosophis definitur: *Id cujus gratia aliquid fit.*

795. **Finis ultimus et finis intermedius.** — Finis *ultimus* est ille, quem agens intendit non ordinando illum ad alium finem, sed alia ad ipsum, e. g. justus omnia opera virtutis ad Deum ordinat, ipsum autem Deum in se intendit non ordinando ad alium finem. Finis autem quem agens intendit propter aliud dicitur finis *intermedius*, sicut artifex producens domum intendit ipsam propter commodam habitationem; et justus virtutem intendit propter Deum consequendum. — Finis ultimus aut est *absolute ultimus*, et est ille ad quem omnia omnino ab agente ordinantur, et est

complementum cujuslibet desiderii agentis; et talis finis non potest esse nisi unus, aut est *relative ultimus,* et dicitur ille ad quem ordinatur res alicujus determinati ordinis; e. g. victoria dici potest finis ultimus *relative* ducis exercitus, respectu eorum, quae dux in exercitu disponit ad victoriam consequendam, quae tamen ad ulteriorem finem ordinatur.

796. **Finis principalis seu primarius et secundarius.** — Finis *principalis* dicitur qui ab agente primario et directe intenditur, sicut patriae defensio est finis principalis militum. — Finis *secundarius* est objectum quod concomitanter et ex consequenti intenditur ab agente, ut honorificentiae vel stipendia militum.

797. **Finis objectivus et finis formalis.** — Finis *objectivus* est ipsa res, quae intenditur ab agente ut consequenda, ut Deus est finis objectivus justorum: finis *formalis,* qui dicitur etiam *finis quo,* est ipsa consecutio seu possessio finis objectivi, ut possessio Dei.

798. **Finis naturalis et finis supernaturalis.** — Finis dicitur *naturalis* quem agens naturalibus viribus consequi potest applicando media naturalia. Finis *supernaturalis* est, quem agens viribus naturalibus consequi non potest, sicut Deus clare et intuitive videri non potest a creatura intellectuali propriis suae naturae viribus, sed requiritur auxilium supernaturale.

799. **Quaestiones.** — Circa finem diversae moventur quaestiones: quaeri enim potest an vere et proprie habeat rationem causae; an ad quemcunque effectum requiratur finis, ut causa; an ex cognitione finis natura rerum cognosci possit.

800. **Conclusio I.** — *Finis in intentione vere et proprie habet rationem causae* (1).

(1) Cf. Per. Div. Th. l. c.

Prob.: Illud vere habet rationem causae vi cujus agens seu causa efficiens determinatur, movetur, dirigitur ad effectum producendum. Atqui finis in intentione existens est id, vi cujus agens seu causa efficiens determinatur, movetur, dirigitur ad effectum producendum. Ergo finis in intentione existens habet vere et proprie rationem causae. — *Declaratur minor.:* Nam finis in intentione existens habet rationem boni apprehensi (n. 542), vel rationem appetibilis; bonum autem, seu appetibile determinat, movet, dirigit appetitum, vi cujus agens operatur.

801. **Conclusio II.** — *Finis in intentione est praestantissimus inter omnes causas.*

Prob.: Quaelibet alia causa non exercet causalitatem nisi vi causalitatis finis; unde secundum quod magis vel minus finis influit, magis vel minus aliae causae causalitatem exercent. Ergo causa finalis est praestantissima inter omnes causas. — *Consequentia patet, antecedens declaratur;* nam causa efficiens magis vel minus influit in effectum secundum quod magis vel minus determinatur, movetur, dirigitur a fine apprehenso, et secundum hoc perfectius vel minus perfecte forma producitur, et materia et forma magis vel minus perfecte conjunguntur; et ideo magis vel minus influunt in effectum qui ex eorum conjunctione producitur.

802. **Conclusio III.** — *Esse apprehensum, vel esse in intentione non est fini ratio causandi, sed solum conditio.*

Prob.: Ratio causandi fini est bonitas ejus (n. 555). Atqui bonitas finis non constituitur, neque augetur per hoc, quod finis apprehenditur a mente et est in intentione. Ergo esse apprehensum vel esse in intentione, non est fini ratio causandi. — Tamen esse apprehensum est conditio necessaria, ut finis causet;

quia finis non causaret nisi esset apprehensus. Unde finis apprehensus movet agens ad effectum producendum.

803. **Corollarium.** — Quia finis habet rationem causae prout habet rationem boni apprehensi, bonum autem apprehensum primo et per se causat in apprehendente quamdam *complacentiam* sui, ex qua complacentia sequitur amor, ideo illud quod causatur a fine directe et per se in ipso agente non est *amor*, sed *complacentia* illa, ad quam amor consequitur.

804. **Conclusio IV.** — *Causalitas finis se extendit ad omnem effectum.*

Prob.: Aliae causae, sive causa efficiens, sive formalis, sive materialis, non exercent propriam causalitatem nisi vi causalitatis finis, ut (n. 556) probatum est. Ergo nullus habetur effectus nisi vi causalitatis finis. Ergo causalitas finis se extendit ad omnem effectum.

805. **Conclusio V.** — 1.° *Omne agens agit propter aliquem finem.* 2.° *Omne agens agit propter aliquem ultimum finem.*

1.ª *pars* patet ex praecedenti conclusione ex qua ut corollarium infertur.

Prob. 2.ª *pars:* Finis non habet rationem causae nisi prout est in intentione, idest prout est apprehensus a mente, et ideo oportet quod agens propter determinatum finem operetur. Hujusmodi autem finis aut est id, quod agens *ultimo* intendit consequi, et habetur intentus; vel non est id quod agens ultimo intendit, et tunc agens aliud apprehensum ut consequendum intendit; igitur hoc aliud, aut est illud quod agens *ultimo* consequi intendit, et habetur intentus. Si autem dicatur hoc non esse quod agens *ultimo* intendit, tunc respondetur quod oportet ut deveniatur

ad aliquid ultimum quod moveat agens, secus omnia essent intermedia; intermedium autem movens non habet in se rationem movendi nisi in eo quod ante se supponit; unde si non esset primum, intermedium nullam haberet rationem movendi causam efficientem.

806. **Conclusio VI.** — *Ex fine rebus naturaliter praestituto et indubie cognito earum natura determinari potest.*

Prob.: Finis rebus naturaliter praestitutus cum habeat rationem boni (n. 798) ipsas res perficit (n. 487), utpote ad ipsum naturaliter ordinatas; ergo cognoscens finem naturalem rerum, cognoscit earum perfectionem, earum ordinem naturalem ad ipsum. Atqui qui cognoscit rei perfectionem, qui cognoscit ordinem naturalem in rebus ipsis existentem, proprietates rerum et ideo ipsas res aliqualiter cognoscit. Ergo ex cognitione finis ad quem naturaliter res ordinem dicunt, rerum natura determinari potest.

Confirmatur: Essentiae rerum a nobis discernuntur, et in se determinantur per ordinem ad operationem, ita ut diversae naturae censeantur esse ea quae ad diversas operationes ordinata sunt. Atqui operatio habet rationem finis, et nonnisi ratio finalitatis adsignatur quando per eam res naturales secundum nostram cognitionem explicantur et determinantur. Ergo res naturales possunt optime explicari et determinari ex earum fine eis naturaliter praestituto et a nobis indubie cognito.

Dices contra 4.^am^ *conclusionem:* Si causalitas finis se extenderet ad omnem effectum, nullus effectus *casu* produceretur. Sed multi effectus *casu* producuntur. Ergo causalitas finis non se extendit ad omnem effectum.

Resp.: Disting. maj.: Nullus effectus *casu* produceretur respectu causae primae, *concedo,* respectu causa-

rum secundarum, *nego*. Et *contrad. min. nego conseq.* — Quod producitur praeter intentionem alicujus causae efficientis, dicitur casu productum, tamen respectu illius causae, praeter cujus *intentionem* producitur; at non potest dici casu productum respectu alterius causae a qua fortasse fuit intentum. Ut si quis servus e. g. mittatur ab hero ad locum ubi herus scit esse inimicum ejus, occursus servo et ejus inimico erit fortuitus et casualis, utpote praeter intentionem eorum; sed non erit casualis hero. — Unde ea quae sunt fortuita et casu facta, non sunt praeter intentionem cujuscumque causae; et ideo non excludunt, sed supponunt causam finalem. Pro cujus difficultatis majore explicatione sit:

807. **Conclusio VII.** — 1.° *Respectu causae primae casus est impossibilis,* 2.° *potest tamen dari respectu causae secundae.*

Prob. 1.ª *pars.:* Nomine casus vel rei casualis nihil aliud intelligitur, quam *effectus* secutus praeter ordinem vel intentionem causae efficientis. Sed nullus effectus potest esse praeter ordinem et intentionem causae primae. Ergo casus respectu causae primae est omnino impossibilis. — *Prob. minor:* Quia causa prima est infinita non solum in ratione entitatis, sed etiam in ratione causalitatis, cum causalitas sit proportionata entitati rei; unde non est infinita secundum quid, sed simpliciter, et est id a quo omnis causalitas derivatur. Ergo quidquid producitur, id est omnis effectus, producitur vi causalitatis causae primae. Sed causalitas causae primae per intellectum et voluntatem exercetur. Ergo omnis effectus sequitur ex intentione causae primae, et ideo nullus praeter intentionem et ordinem ejus (1).

(1) Cf. ZIGLIARA, Propedeutica l. I. c. III et nostram *Introd.*, p. I, VII.

Prob. 2.ª *pars:* Multa possunt produci et de facto producuntur praeter et contra intentionem causarum secundarum in earum effectibus, utpote quae sunt finitae virtutis et defectibiles. Atqui quod producitur praeter intentionem alicujus agentis in effectu ejus dicitur casuale respectu illius. Ergo casus dari potest respectu causae secundae.

808. **Corollarium.** — Ex dictis sequitur fatum, si sumatur pro ineluctabili necessitate omnium rerum et actionum, non dari; nam omnia ex Dei liberrima voluntate disposita sunt et disponuntur. At si fatum sumatur pro *ordinatione secundarum causarum ad effectus divinitus provisos,* ut sumitur a S. Thoma, admittendum est. Prout tamen ordinatio est in mente divina est ipsa Providentia, nulloque modo fatum dicenda est.

809. **Epilogus.** — Ontologia idem est ac sermo de ente; et dicitur etiam metaphysica generalis. Ipsa agit de ente in se considerato, in suis proprietatibus, in suis divisionibus, in sui causalitate. — De ente determinat imprimis objectivitatem contra subjectivistas, positivistas et praecipue contra neocriticos; unde, ontologiae seu metaphysicae objectivitate in tuto posita, impugnantur immanentismus, agnosticismus, atque pragmatismus veluti absurdissima systhemata. — Inde ad notionem philosophicam entis atque ad ejus tradendas praecipuas divisiones procedit. — Considerat autem et diligenter distinguit ens reale et ens rationis. Ens autem reale in actuale et possibile dividit quod toto coelo differt ab ente rationis, cum importet capacitatem existendi. In ente multa consideranda sunt diligenter, idest conceptus tam formalis, quam et praecipue objectivum, ipsa abstractio et modus ejus; et praeterea ipsa existentia et ratio objectiva, unitas

atque multiplicitas entis. Prae oculis autem semper habenda est distinctio rei ab ente. Utroque tamen modo acceptum omnes species et omnia genera transcendit; proinde neque genus neque species est, est autem communissimum omnibus generibus, speciebus etc.; unde neque est univocum, neque proprie universale, sed quid analogicum diversum modum essendi in diversis in quibus determinatur exprimens. Unde etiam de Deo et de creaturis analogice dicitur. Sumptum pro existente ex essentia et existentia coalescit; prima dicitur etiam quidditas, quia per ejus definitionem respondetur interroganti: Quid est res? Secunda vero, hoc est existentia, est ultima rei, hoc est, essentiae actualitas seu actus; unde comparatur ad essentiam veluti actus ad potentiam. Nullum dubium est a nobis essentias vere licet non cognitione intuitiva, sed abstractiva cognosci; tamen ipsae a mente nostra independentiam habent. Verum ne confusio in nostris essentiarum cognitionibus oriatur sedulo essentia distinguenda est quoad triplicem statum objectivitatis, actualitatis, et idealitatis. Essentiarum dotes sunt necessitas, immutabilitas, indivisibilitas, aeternitas; hae tamen dotes dependentiam ipsarum a Deo non excludunt; verum non a voluntate aut omnipotentia divina haec dependentia, sed a divino intellectu proxime, remote vero ab essentia repetenda est. Dotes recensitae non conveniunt essentiae in statu existentiae et actualitatis sed in statu objectivitatis, atque proinde essentia ab existentia per sua attributa essentialia, quae certe realia sunt, realiter distinguitur. — Proprietates autem entis tres recensentur nempe unitas, veritas, bonitas. Sed praeter unitatem in varias species divisam in ente est consideranda etiam distinctio quae est realis et rationis, major et

minor. Ad distinctionem sequitur multitudo, et ad divisionem quantitatis numerus; nulla tamen multitudo potest esse actu infinita. Veritas ontologica de qua praecipue in metaphysica agitur est ipsa rei intelligibilitas seu conformitas praesertim ad intellectum divinum, a quo ipsa res cum sua conformitate essentialiter pendet, licet non dependeat ab intellectu creato. Unde res sunt verae in ordine ad intellectum divinum cui conformantur; haec tamen conformitas et veritas formalis ab intellectu humano non cognoscitur nisi per abstractionem atque reflexionem post cognitam ex rebus creatis Dei existentiam; unde res a nobis non denominantur verae in nostris locutionibus per ordinem ad intellectum divinum seu ad ideas divinas, sed per ordinem ad prototypum quemdam in mente nostra habitum vi abstractionis cui res conformes esse intelliguntur. Si res hanc conformitatem non importent dum eam importare dicuntur vel putantur, habetur falsitas, quae tamen nulla esse potest respectu intellectus divini. Bonum importat perfectionem et consequenter appetibilitatem; unde manca et imperfecta non dicuntur simpliciter bona; tamen dici possunt aliquo vero sensu idest secundum quid bona, quia inquantum sunt aliquam habent actualitatem et perfectionem saltem substantialem. Bonum importare debet etiam, ut sit vere tale, existentiam, modum, speciem et ordinem, imo in his ratio boni consistit. Malum bono opponitur et importat carentiam perfectionis in subjecto eam exigente; unde ipsum subjectum ea carens malum dicitur vel physice vel moraliter. Mali origo non est summum malum quod existere repugnat, sed bonum, non quidem per se, sed per accidens. Ad bonum sequitur pulchrum quod praeter perfectio-

nem, ordinem speciem, modum, importat proportionem atque splendorem quemdam ; ita scilicet ut complacentiam visui aut auditui ingerat. Unde apte definitur. *Splendor formae integrae cum ordine et proportione partium.*

Prima divisio entis est in *actum* et *potentiam :* actus importat perfectionem in suo conceptu, potentia vero capacitatem actum recipiendi. Multiplex actus distinguitur sicut et potentia. Unde habetur actus purus, non purus, per se subsistens, non per se subsistens, substantialis et accidentalis. — Et similiter habetur potentia passiva, activa quae recipit actum quem ipsamet emittit, potentia naturalis, obedientialis, potentia subjectiva, objectiva quae etiam *ontologica* etc. appellatur ; haec ab essentia rei non distinguitur. Ens juxta varias suas perfectiones, quae in formales et virtuales, in simpliciter simplices et secundum quid, in absolutas et relativas distinguuntur, varias subit divisiones ; unde est necessarium vel contingens, compositum vel simplex, finitum vel infinitum, mutabile vel immutabile, a se et ab alio, in se et in alio, absolutum et relativum. Ens tamen necessarium, infinitum, omnino immutabile, ens a se et etiam ens simpliciter hoc est transcendentale absolutum, unum et idem sunt. Traditis his divisionibus transcendentalibus, oportet ad divisiones entis in decem praedicamenta accedere (cf. n. 13).

Imprimis tamen categorias seu praedicamenta statuere oportet earumque objectivitatem iterum, etsi breviter, confirmare contra molimina subjectivismi cujus categorias confutare convenit. Inde incipiendum est a substantia categoriarum prima. Haec definitur : Essentia cui competit esse in se et per se independenter a subjecto inhaesionis. Varias autem subit

divisiones, unde est prima et secunda, completa et incompleta, composita et simplex, corporea et incorporea. Sed praecipue digna consideratione est quatenus suppositum vel personam importat, idest prout est perfecte subsistens *sui juris et alteri incommunicabilis ;* sic autem accepta substantia aliquid superaddit naturae singulari et individuae a qua proinde veluti totum a parte distinguitur. — Agentes inde de aliis praedicamentis ab accidentibus generatim incipimus. Definitur autem accidens res seu essentia cui convenit esse in alio sicut in subjecto ; actu tamen esse in subjecto non est essentiale ipsi sed habere aptitudinem seu exigentiam ad inhaerendum. Realitas accidentium est evidentissima praecipue ex motu, ex mutationibus et perfectionibus rebus superadditis. — Inter omnia accidentia maximam habet universalitatem qualitas, imo ipsa est veluti fundamentum plurium accidentium ut actionis, relationis etc. et varias subit divisiones ; definitur autem: *Accidens modificativum substantiae in seipsa.* Inter praecipuas qualitatis species recensetur habitus qui potentiam complet atque determinat, ipsam ordinat ad actum, imo ex actu ipso generatur si naturalis est. Sicut qualitati disponere, ita quantitati competit extendere substantiam in partes. Unde quatuor sunt quantitatis proprietates idest : ponere unam partem substantiae extra aliam, ubicatio, divisibilitas, mensurabilitas.

Imo extensio partium in toto est constitutivum quantitatis ; unde ipsa realiter a substantia distinguitur et est sine fine divisibilis. — Ad quantitatem spatium et tempus pertinent. Primum quantitatem continuam, alterum discretam importat. Dantur relationes et quidem reales in rebus sive transcendentales sive praedicamentales. In relationibus autem

tria sunt praecipue attendenda idest 1.° *termini* a quo, et ad *quem*, 2.° fundamentum relationis, 3.° ipsa relatio quae est ordo sive respectus inter praefatos terminos. — Agentes de causalitate entis tria sunt caute distinguenda idest 1.° principium, causa et ratio, quae licet saepe idem importent non tamen semper; 2.° objectivitas causae; 3.° species. Quoad hoc ultimum causa est multipla, vel *materialis*, vel *formalis*, vel *efficiens*, vel *finalis*. Generice sumpta causa dici potest: *Principium vi cujus aliud ab ipso producitur. Quod si hujusmodi principium actione sua physica sive principaliter sive instrumentaliter* influat in effectum habetur causa efficiens, quae multiplex distingui solet. De causalitate entium contingentium dubitari nequit posita earum existentia et praesentia. Res quae influit in effectum per essentiam suam tanquam actus et perfectio est causa formalis quae dicitur etiam forma, et haec potest esse intrinseca vel extrinseca veluti exemplar vel idea.

Id ex quo aliquid fit, si maneat in effectu dicitur causa materialis. Finis est nobilissima causarum et est id cujus gratia aliquid fit. Consideratur autem in intentione, et in executione, et est vel operis, vel operantis, finis cujus, finis cui, ultimus et intermedius, principalis et secundarius, objectivus et formalis, naturalis et supernaturalis. Est autem non solum nobilissima sed etiam universalissima causa sub se omnes omnino effectus complectens. Unde casus a respectu causae primae, hoc est, universalissime intendentis finem est impossibilis.

INDEX

De Philosophia

1. Quid philosophiae nomine intelligatur — 2. Obiectum philosophiae — 3. Philosophiae divisio, excellentia, utilitas et necessitas — 4. Causa philosophiae . . . . . Pag. 1

Logica Minor

Caput I.

De logica in genere

5. Definitio logicae — 6. Actus mentis triplex. — 7. Subjectum et praedicatum quid sint — 8. Obiectum logicae . . . . . Pag. 7

Caput II.

Conceptuum objectivorum coordinatio

9. Ratio capitis — 10. Quid sit et quotuplex mentis conceptus — 11. Coordinatio conceptuum objectivorum — 12. Divisio accidentis — 13. Categoriarum definitiones et divisiones . . . . Pag. 10

Caput III.

De praedicabilibus

14. Praedicabilia — 15. Quinque praedicabilia recensentur — 16. Distinctio praedicamentorum a praedicabilibus — 17. De postpraedicamentis antiquorum . . . . . Pag. 16

Caput IV.

De terminis

18. Quid est signum — 19. Quotuplex est signum — 20. Signa varia quibus conceptus exprimuntur — 21. Definitio signi logici seu termini — 22. Termini logici significatio — 23. Quotuplex terminus — 24. Termini singulares, universales, particulares, trascendentales — 25. Termini univoci, aequivoci, analogi — 26. Terminus analogus analogia proportionis, et analogus analogia proportionalitatis — 27. Analogus analogia attributionis — 28. Terminus concretus et abstractus — 29. Terminus primae et secundae intentionis — 30. Comparatio terminorum ad invicem. Pag. 28

Caput V.

De proprietatibus terminorum

31. Proprietates terminorum — 32. Quid sit terminorum suppositio — 33. Species suppositionis — 34. Suppositio realis et logica — 35. Suppositio absoluta et personalis — 36. Suppositio communis et singularis — 37. Suppositio particularis determinata et indeterminata — 38. Quid et quotuplex appellatio — 39. Reliquae terminorum proprietates — 40. Regulae pro recto terminorum usu . . . Pag. 30

Caput VI.

De definitione et divisione

41. Ratio capitis — 42. Objectum actuum mentis duplex, simplex et compositum — 43. Quid est attentio, abstractio, comparatio, reflexio — 44. Definitio — 45. Definitio nominalis et definitio realis —

46. Definitio intrinseca et extrinseca — 47. Definitio essentialis et descriptiva — 48. Regulae pro bona definitione — 49. Divisio — 50. Notio et divisio totius — 51. Subdivisio totius actualis — 52. Variae divisiones accidentales — 53. Leges divisionis . . . . . Pag. 34

CAPUT VII.

De judicio

54. Ratio capitis — 55. Definitio judicii — 56. Elementa judicii ex parte subjecti — 57. Divisio judicii ex parte subjecti — 58. Divisio judicii ex parte objecti in analyticum et syntheticum — 59. Judicia synthetica a priori juxta Kant — 60. Judicia synthetica a priori non dari de facili probari — 61. Judicia mediata et immediata . . . . . Pag. 42

CAPUT VIII.

De propositione, sive de enuntiatione; et de ejus divisione ratione materiae, ratione formae, qualitatis et extensionis

62. Quid et quotuplex est oratio — 63. Definitio propositionis sive enuntiationis — 64. Dispositio subiecti et praedicati in propositione — 65. Divisiones propositionum ratione materiae. — 66. Divisio propositionis ex parte formae — 67. Divisio propositionis ex parte qualitatis — 68. Divisio propositionis ratione extensionis seu quantitatis — 69. Propositio indefinita quandoque reducitur ad universalem, quandoque ad particularem — 70. Propositio universalis metaphysice, physice, moraliter — 71. Propositio universalis metaphysice tantum judicium analyticum seu a priori exprimit — 72. Extensio praedicati in propositione — 73. Comprehensio praedicati in propositione. . . . . Pag. 46

CAPUT IX.

De propositionibus re et apparenter compositis

74. Propositionis simplicis et compositae notio et variae species propositionis compositae — 75. Propositionis hypotheticae species — 76. Regulae pro veritate propositionis conditionalis — 77. Propositio apparenter simplex et realiter composita — 78. Propositiones apparenter compositae — 79. Propositio modalis — 80. Positio modi in propositione modali — 81. Modus afficiens dictum, modus afficiens rem — 82. Extensio propositionis modalis. Pag. 56

CAPUT X.

De oppositione et conversione propositionum

83. Oppositio propositionum — 84. Duplex genus oppositionis — 85. Leges propositionum contradictoriarum — 86. Leges propositionum contrariarum — 87. Leges propositionum subcontrariarum — 88. Propositionum conversio . . . . . Pag. 66

CAPUT XI.

De argumentatione.

89. Ratio capitis — 90. Definitio argumentationis — 91. Duplex pars in argumentatione distinguitur — 92. Quaedam leges traduntur ad bonam consequentiam habendam — 93. Duplex species argumentationis . . . . . Pag. 73

CAPUT XII.

De syllogismo

94. Syllogismus — 95. Syllogismus positivus et negativus — 96. Definitiones — 97. Leges traduntur ad syllogismos recte conficiendos — 98. Explicantur leges pro terminis — 99. Leges propositionum declarantur. . . . . Pag. 75

CAPUT XIII.

De figuris et modis syllogismorum

100. Figura in syllogismo — 101. Leges pro singulis figuris — 102. Modi syllogistici — 103. Quot sint modi syllogistici omnes, sive recte concludentes, sive non concludentes — 104. Quot sunt modi concludentes in qualibet figura — 105. Quot sint modi recte concludentes simul sumpti — 106. Reductio omnium modorum ad primam figuram. — 107. De probatione syllogismorum — 108. Leges statuuntur pro reductione syllogismorum ad impossibile — 109. Leges pro inventione medii . . . . . Pag. 82

CAPUT XIV.

De speciebus syllogismi

110. Species praecipuae syllogismi — 111. Species syllogismi compositi plures syllogismos simplices continentis . . . . . Pag. 92

CAPUT XV.

De inductione

112. Definitio et species inductionis — 113. Inductio syllogismo innititur — 114. Leges inductionis . . . . . Pag. 96

Caput XVI.

De methodo

115. Ratio Capitis — 116. Definitio et divisio methodi — 117. Regulae generales methodi in genere statuuntur — 118. Regulae methodi syntheticae — 119. Regulae methodi analyticae — 120. Usus methodi syntheticae et analyticae — 121. Epilogus eorum quae explanata sunt in logica minori seu dialectica . . . . . Pag. 100

Logica Major

Caput I.

Prolegomena

122. Agenda in logica majori — 123. Falsa sententia quorumdam philosophorum circa logicae officium . . . . . Pag. 106

Caput II.

De argumentatione demonstrativa

124. Ratio capitis — 125. Veritatis logicae definitio — 126. Veritas ut cognita — 127. Veritas logica, veritas ontologica — 128. Quadruplex veritas consideranda cujus definitio traditur — 129. Quid est certitudo et quotuplex — 130. Certitudo immediata et mediata — 131. Certitudo vulgaris et scientifica — 132. Comparatio veritatis logicae cum certitudine et earum distinctio — 133. Veritas logica sine certitu-

dine. — 134. Veritas logica perfecte habita importat vere certitudinem et viceversa. — 135. Quaestio — 136. Cognitio generice accepta — 137. Cognitio sensitiva, et intellectiva — 138. Cognitio perfecta et imperfecta — 139. Cognitio certa, incerta, evidens, inevidens — 140. Demonstrationis notio — 141. Observatio — 142. Quid est scientia — 143. Corollaria — 144. Advertenda — 145. Propositiones per se notae quoad se et quoad nos — 146. Propositiones priores quoad se et quoad nos — 147. Demonstratio propter quid et quia — 148. Demonstratio a priori et a posteriori — 149. Demonstratio directa et indirecta — 150. Demostratio pura, empirica et mixta — 151. Demostratio absoluta et demonstratio relativa seu ad hominem . . . . . Pag. 108

Caput III.

De argumentatione probabili

152. Quid est opinio — 153. Quid est dubitatio — 154. Positiva dubitatio et negativa — 155. Quid est probabilitas — 156. Corollaria — 157. Quid est syllogismus sive argumentatio probabilis — 158. Loci unde efficiantur syllogismi probabiles — 159. Analogia — 160. Hypothesis . . . . . Pag. 123

Caput IV.

De argumentatione sophistica

161. Quid est ignorantia et quid error — 162. Quid est syllogismus sophisticus — 163. Multiplex fallacia in syllogismo — 164. Aequivocatio — 165. Amphibologia — 166. Compositio et divisio — 167. Fallacia ex parte rerum — 168. Fallacia accidentis — 169. Fallacia a simpliciter ad secundum qui et viceversa — 170. Ignorantia elenchi — 171. Fallacia petitionis principii — 172. Fallacia consequentis — 173. Fallacia non causae ut causae . . . . Pag. 127

Caput V.

De natura universalium

174. Ratio capitis — 175. Significatio hujus nominis universale — 176. Universale in essendo vel praedicando definitur — 177. Consideratio naturae universalis in individuo — 178. Consideratio naturae universalis in definitione — 179. Consideratio naturae universalis prout est abstracta in intellectu — 180. Abstractio non continetur in definitione — 181. Consideratio naturae ut importat universale logicum — 182. Natura ut existens in individuo nullo modo est universalis — 183. Corollarium — 184. Consideratio naturae universalis termino abstracto et termino concreto significatae . . . . . Pag. 132

Caput VI.

Major explicatio universalium

185. Quintuplicis modi considerandi naturam brevis reassumptio — 186. Quaesitum de Realitate naturae — 187. Quid intelligitur nomine realitatis — 188. Reale et ideale — 189. Responsio ad quaesitum — 190. Natura secundum se neque subsistentiam, neque existentiam importat — 191. Quomodo distinguitur natura in individuis et in intellectu. Pag. 137

Caput VII.

De nominalismo et conceptualismo

192. Nominales et conceptualistae — 193, *Conclusio I.* Nominalismus purus est prorsus absurdus — 194. *Conclusio II.* Conceptualismus absolute spectatus rejici debet — 195. Objectiones . . . Pag. 143

Caput VIII.

De falso realismo

196. Realismus — 197. Platonicus — 198. Animadversio — 199. *Conclusio.* Realismus Platonicus admitti nullatenus potest — 200. Realismus ontologisticus — 201. *Conclusio.* Realismus Ontologisticus nullatenus admitti potest — 202. Solvuntur difficultates — 203. Realismus Empiricus — 204. *Conclusio.* Universale formaliter sumptum non est in individuis ita ut ipsa individua formaliter a parte rei universalia sint — 205. Realismus Pantheisticus — 206. *Conclusio.* Realismus pantheisticus est omnino rejiciendus . . . . . Pag. 149

Caput IX.

De realismo temperato

207. Realismi temperati expositio — 208. *Conclusio.* Realismi temperati doctrina est admittenda ut vera — 209. Obj. . . . . Pag. 159

Caput X.

De scepticismo absoluto

210. Ratio capitis — 211. Scepticismi notio — 212. Scepticismi sectatores — 213. Scepticorum sive scepticismi divisio — 214. Certitudo vulgaris et philosophica — 215. Quaestio definienda — 216. *Conclusio.* Scepticismus absolutus est intrinsece absurdus — 217. Solvuntur difficultates . . . . . Pag. 164

Caput XI.

De Scepticismo universali hypothetico

218. Quaestio — 219. Cartesius — 220. Praenotanda quaedam — 221. *Conclusio.* Methodus cartesiana rationabiliter admitti nullatenus potest Pag. 171

CAPUT XII.

De assecutione veritatis

222. Ratio capitis — 223. Quaestio — 224. Punctum quaestionis — 225. *Conclusio I.* Intellectus sive mens potest veritatem assequi, imo de facto eam assequitur saepissime — 226. *Conclusio II.* Mens humana potest assequi veritatem scientificam proprie dictam. . . . . Pag. 175

CAPUT XIII.

De actibus quibus mens veritatem assequitur

227. Quaestio I — 228. *Conclusio I.* Veritas logica per simplicem apprehensionem 1.° a mente habetur quidem; 2.° sed imperfecto modo — 229. *Conclusio II.* Mens nostra simpliciter apprehendens 1ª est semper vera per se; 2.ª per accidens potest ipsi inesse falsum — 230. *Conclusio III.* Veritas vel falsitas logica plene et perfecte habetur per judicium — 231. Quaestio II — 232. Momentum hujus quaestionis — 233. Requisita ad judicium — 234. *Conclusio.* Judicium est actus simplex, quo intellectus perspicit praedicatum convenire subjecto — non autem quo praedicatum subjecto coniungit quasi sit causa unionis — 235. Quomodo intellectus dicatur componere . . Pag. 179

CAPUT XIV.

Definitio et origo judicii analytici et synthetici

236. Ratio capitis — 237. Notio judicii analytici et synthetici tradita a Kantio — 238. Aequivocatio et confusio definitionis seu notionis judicii analytici et synthetici traditae a Kantio — 239. Notio Kantiana judicii est causa erroris — 240. Deficentia de-

finitionis Kantii — 241. Ex definitione Kantiana duo errores notantur secuti — 242. Aequivocatio et falsitas definitionis judicii synthetici a Kantio traditae — 243. Absurditas definitionis judicii synthetici a Kantio traditae — 244. Vera definitio judicii analytici et synthetici — 245. Origo judiciorum analyticorum — 246. Absurditas illationis Kantianae. Pag. 185

Caput XV.

De identitate praedicati et subjecti in judiciis

247. Quaestio proponitur — 248. Doctrina Kantiana circa judicia mentis nostrae — 249. Identitas praedicati et subjecti in judiciis non semper admittitur a Kantio — 250. *Conclusio I.* In omni judicio affirmativo adseritur identitas praedicati cum subjecto — 251. *Conclusio II.* Iudicia analytica sunt ea quorum praedicatum continetur in natura subjecti 2.° non autem necesse est ut contineatur in idea subjecti ; 3.° imo plura dantur judicia quorum praedicatum includitur in idea subjecti quae tamen sunt synthetica et a posteriori — 252. Observatio — 253. *Conclusio III.* In omnibus judiciis sive analyticis sive syntheticis ad hoc ut sint vera oportet ut praedicatum praecontineatur in ipso subjecto — 254. *Conclusio IV.* Judicia quae Kant vocat synthetica a priori verum habent valorem objectivum — 255. Obj — 256. *Conclusio* V. Iudicia quae Kant vocat synthetica a priori sunt vere analytica — 257. Obj. — 258. *Conclusio VI.* Judicia quae Kant vocat pura seu analytica a priori habent valorem objectivum — 259. Iudicia pura seu analytica prout ponuntur a doctrina Kantiana non dantur — 260. Quo sensu debent intelligi judicia a priori — 261. Valor primorum principiorum — 262. Radix erroris subjectivistici . . . . . Pag. 193

Caput XVI.

De sensibus ut sunt media sive criteria cognitionis

263. Ratio capitis — 264. Criterii notio — 265 Sensus externi — 266. Sensibile proprium et sensibile commune — 267. Duo advertenda circa sensibile proprium et sensibile commune — 268. Sensibile per accidens — 269. Advertenda circa sensibile per accidens — 270. Normae ad evitandos errores circa sensibile — 271. Quaestio — 272. Idealismus — 273. *Conclusio.* Sensus externi sunt veraces, hoc est criteria veritatis, in referenda realitate corporum extra nos existentium — 274. Objectivitas sensibilium quae a sensibus referuntur — 275. Notanda pro solutione difficultatum — 276. Quomodo est veritas in sensu — 277. Solvuntur objectiones — 278. Notio phantasiae 279. Phantasia in nobis consociatur exercitio intelligentiae, et inde pericula erroris — 280. Normae contra imaginationis pericula . . . Pag. 214

Caput XVII.

De aliis criteriis subjectivis

281. Quid est conscientia — 282. Duplex conscientia — 283. Objectum conscientiae — 284. Quaestio — 285. *Conclusio.* Conscientia intra limites proprii objecti est veritatis criterium — 286. Intelligentiae et rationis notio — 287. *Conclusio I.* Intelligentia non potest esse errori obnoxia in judiciis sibi propriis — 288. *Conclusio II.* Ratio humana in judiciis mediatis per ratiocinationem inferendis per se non fallitur, at falli potest per accidens — 289. *Conclusio III.* 1.° In demonstrationibus mens ex necessitate adsentitur veritati conclusionis demonstratae. 2.° In argu-

mentatione probabili mens non ex necessitate conclusioni adsentitur — 290. Solvuntur difficultates contra veracitatem intelligentiae — 291. Objectiones contra rationis humanae veracitatem . . . Pag. 226

Caput XVIII.

De criteriis objectivis quae sunt: evidentia, et prima principia

292. Evidentiae notio communis — 293. Evidentia objectiva et subjectiva — 294. Evidentia immediata et mediata — 295. Evidentia intrinseca et evidentia extrinseca — 296. *Conclusio I.* Evidentia objectiva est firmissimum criterium veritatis — 297. Corollarium — 298. Principia demostrationum — 299. Principia demonstrationum a priori seu analytica et in ordine facti seu a posteriori — 300. Prima principia relative et absolute — 301. Prima principia et quaerenda circa ipsa — 302. Conditiones requisitae ad rationem primi principii — 303. *Conclusio I.* Primum principium a priori in demonstrationibus directis seu ostensivis est: Omne ens est sua propria natura — 304. *Conclusio II.* Primum principium in demonstrationibus indirectis est illud contradictionis: Impossibile est idem simul esse et non esse secundum idem — 305. *Conclusio III.* Abstractione facta a speciebus demonstrationum, vel simpliciter loquendo primum principium est principium contradictionis — 306. Animadversio Kantii circa formulam principii contradictionis — 307. Critica — 308. Quo sensu principium contradictionis est primum — 309. *Conclusio IV.* Prima principia demonstrationum sunt firmissima veritatis criteria. — 310. Affirmatio praedicati de subjecto in judiciis analyticis per se notis non est mera tautologia ut putat Kant — 311. Quid de Kantiana propositione: Omnis nostrae cognitionis extensionem et profectum ex judiciis syntheticis desumi Pag. 235

Caput XIX.

De doctrina Kantiana et Hegeliana

312. Ratio capitis — 313. Doctrinae kantianae expositio — 314. *Conclusio.* Doctrina Kantii, seu idealismus criticus, admitti nullatenus potest — 315. Systema Hegel — 316. Refutatio . . . Pag. 247

Caput XX.

De Criteris extrinsecis, videlicet de magisterio divino et humano

317. Quid est magisterium et auctoritas — 318. Definitio visionis et definitio fidei — 319. Duplex magisterium : divinum et humanum — 320. Conditiones quibus auctoritas magisterii praedita esse debet, ut fide dictis alicujus adhaereamus — 321. *Conclusio.* Auctoritas divina 1.° est firmissimum veritatis criterium, ita ut. 2.° sit sufficiens ad gignendam certitudinem metaphysicam, quae 3.° superat quamlibet certitudinem metaphysicam — 322. Objectio — 323. Auctoritas humana duplex — 324. Amplior explicatio sensus communis — 325. Conditiones requisitae ad objectum sensus communis — 326. *Conclusio I.* Sensus naturae communis circa proprium objectum est firmissimum veritatis criterium — 327. *Conclusio II.* In rebus scientificis auctoritas humana, per se loquendo, est infirmissimum criterium veritatis — 328. *Conclusio III.* Per accidens auctoritas sapientium in rebus scientificis est veritatis criterium — 329. *Conclusio IV.* In re facti auctoritas humana generatim inspecta est criterium veritatis seu moralis certitudinis . . . . . Pag. 253

CAPUT XXI.

De arte critica

330. Veracitas est criterium scientiae — 331. *Conclusio I.* Veracitas alicujus testis in concreto cognoscitur praecipue 1.° ex probitate vitae, 2.° ex amore veritatis qui in ipso apparet — 332. *Conclusio II.* Scientia testis humani in concreto cognoscitur potissimum 1.° ex natura rei narratae, 2.° ex praecognita testis perspicacitate, 3.° ex ejus experta prudentia — 333. Artis criticae definitio — 334. Auctores seu scriptores — 335. *Conclusio I.* Si auctores considerentur in se, illi, per se loquendo praeferendi sunt, qui sunt magis probi, qui sunt prudentiores, perspicaciores — 336. *Conclusio II.* Auctores seu historici coevi praeferendi sunt illis qui factis ipsis sunt posteriores; et praeferendi sunt qui fuerunt testes oculati auritis — 337. *Conclusio III.* Simplex historicus praeferendus est poetae et oratori — 338. Authentia et incorruptio librorum — 339. *Conclusio I.* Authentia alicujus libri cognosci potest: 1.° per auctoritatem, seu ex testimonio aliorum; 2.° ex tempore; 3.° ex doctrina; 4.° ex style — 340. *Conclusio II.* Incorruptio librorum potest cognosci; 1.° ex codicibus originalibus, 2.° ex concordantia vetustiorum codicum, 3.° ex auctoritate gravissimorum scriptorum, 4.° ex ipsa doctrina — 341. De hermeneutica . . . . . Pag. 261

CAPUT XXII.

De supremo veritatis criterio

342. Quaestio — 343. Systemata subjectiva quoad supremum criterium veritatis — 344. *Conclusio.* Supremum veritatis criterium nequeunt esse 1.° sensus, 2.° conscientia, 3.° fides caeca, 4.° instinctus caecus

naturae rationalis, 5.° affectiva propensio animi nostri, 6.° utile subjectivo progressui hominis etc. — 345. Exponuntur breviter systemata extrinseca circa supremum criterium veritatis — 346. *Conclusio I.* Divina revelatio non potest esse supremum veritatis criterium, seu certitudinis naturalis — 347. *Conclusio II.* Repugnat absolute auctoritatem, seu consensum humani generis, esse supremum criterium veritatis — 348. *Conclusio III.* Auctoritas peritorum sive sapientium nequit esse supremum criterium veritatis seu certitudinis mediatae — 349. Sententia Cartesii circa supremum criterium veritatis — 350. Prima principia non sunt supremum veritatis criterium — 351. *Conclusio.* Evidentia objective spectata est supremum veritatis criterium . . . . . Pag. 267

Caput XXIII.

De scientiarum coordinatione

352. Scientia est in intellectu et scibile respicit 353. *Conclusio.* Scientia 1.° subjective ex lumine intellectus procedit; 2.° objective ex aliqua re intellecta — 354. Corollaria — 355. Objectum formale quod in scientia — 356. Objectum formale quo — 357. Unitas numerica scientiae — 358. *Conclusio I.* Unitas specifica scientiae desumitur ab objecto — 359. *Conclusio II.* Unitas specifica scientiae desumitur ab objecto formali, sed magis ab *objecto formali quo* quam ab *objecto formali quod* — 360. *Conclusio III.* Diversitas et distinctio scientiarum inter sese sumitur secundum diversum gradum abstractionis a materia — 361. *Conclusio IV.* Scientia generalissime inspecta in quinque scientias primarias dividitur, quae sunt: *physica, mathematica, metaphysica, morales, logica* — 362. Scientia subalternans et scientia subalternata — 363. Corollaria — 364. *Conclusio V.* In scientiis primariis nulla est proprie dicta subalternatio — 365.

Nobilitas scientiae — 366. Certitudo scientiae — 367. Ordo in scientiis addiscendis — 368. Physica et mathesis primo addiscendae — 369. In philosophicis disciplinis ordo servandus — 370. Epilogus . Pag. 282

Ontologia

—

Caput I.

Prolegomena

371. Ontologiae notio — 372. Ontologiae objectum 373. Ontologia omnium scientiarum humanarum directrix est et quodammodo princeps — 374. Divisio eorum quae exponuntur in Ontologia — 375. Monitum . . . . . Pag. 299

Caput II.

De objectivitate Ontologiae

376. Quid sentiant Kantiani et subjectivistae de Ontologia vel Metaphysica — 377. Positivistae et Neocritici — 378. Ratio qua Neocritici negant objectivitatem principiis metaphysicis — 379. Neocriticismi varii modi — 380. Resolutio quaestionis (si quaestio dici potest) objectivitatis scientiae metaphysicae a resolutione quaestionis de universalium natura et existentia non pendet — 381. Objectivitas principiorum metaphysicorum per se clara et evidens menti exhibetur — 382. *Conclusio I.* Positivismus et Neocriticismus negans vel in dubium vertens objectivitatem principiorum metaphysicorum est omnino rejiciendus — 383. Principia metaphysica — 384. Metaphysica ut scientia — 385. Specialia addenda — 386. *Con-*

clusio II. Non solum cognoscimus phaenomenon prout nobis apparet sed etiam prout est in se — 387. *Conclusio III.* Non solum phaenomenon sed etiam noumenon idest substantiam, causam etc. vere objective idest prout sunt in se cognoscimus — 388. *Conclusio IV.* Non solum existentiam sed etiam essentiam noumeni idest substantiae, causae etc. aliquomodo cognoscimus licet imperfecte — 389. *Conclusio V.* Non solum mens certe et vere apprehendit res in earum objectivitate et realitate quando haberi potest confirmatio experimentalis, sed saepe etiam quando haec haberi non potest — 390. Corollarium — 391. *Conclusio V.* Principia metaphysicae, ideae metaphysicae generalis tali evidentia donantur per se et in se ut nulla comprobatione indigeant neque physica, neque morali, imo absurdum esset quaerere comprobationem experimentalem — 392. Corollaria — 393. *Conclusio VI.* Objectivitas metaphysicae est inexpugnabilis — 394. Solvantur difficultates — 395. Obj. II. — 396. Obj. III. — 397. Obj. IV. — 398. Obj. V. — 399. Obj. VI. — 400. Agnosticismus — 401. Immanentismus — 402. Consectaria hujus doctrinae — 403. Pragmatismus — 404. Absurditates pragmatismi — 405. Fundamentum Agnosticismi, Immanentismi, Pragmatismi . . . . . Pag. 302

Caput III.

De Ente

406. Notio et divisio entis — 407. Ens reale — 408. Ens rationis — 409. Ens rationis aut est relatio aut est negatio — 410. Apprehensio entis rationis supponit apprehensionem entis realis — 411. Conceptus entis formalis et objectivus — 412. Conceptus nihili — 413. Abstractio entis — 414. Alio modo contingit abstractio entis generalissimi sumpti et abstractio entis determinati — 415. Abstractio entis

geneneralissime sumpti excludit distinctionem et importat confusionem ; et contra abstractio entis determinati importat distinctionem et confusionem excludit — 416. Ens abstractum et ipsa abstractio — 417. Existentia entis generalissimi seu abstractissimi — 418. Corollarium — 419. Ratio objectiva entis secundum se neque aliquid perfectum, neque imperfectum importat — 420. Unitas entis — 421. Unitas et multiplicitas entis — 422. Ratio entis non est aliquid potentiale in natura quod evolvitur — 423. Quomodo ens aliquid potentiale importet — 424. Distinctio rei ab ente — 425. *Conclusio I.* Ens transcendentale nullam compositionem importat, sed est omnino simplex — 426. *Conclusio II.* Ens est quid communissimum inclusum seu imbibitum in omnibus — 427. *Conclusio III.* Ens proprie non est genus neque species — 428. *Conclusio IV.* Ens non est univocum seu non eadem ratione de omnibus praedicatur — 429. *Conclusio V.* Ens proprie non est universale — 430. *Conclusio VI.* Entia determinata non distinguuntur ad invicem per differentias extraneas enti, sed quatenus exprimunt diversum modum essendi qui per ens non exprimitur — 431. Corollaria — 432. Ens analogice dicitur de Deo et de creaturis — 433. Ens dicitur de Deo et de creaturis analogice analogia proportionis, proportionalitatis et etiam attributionis Pag. 346

Caput IV.

De Essentiis rerum et earum existentia

434. Ratio capitis — 435. Quid est essentia magis explicatur — 436. Notio existentiae — 437. Essentiae rerum a nobis vere cognoscuntur — 438. Essentiae rerum saltem omnes non cognoscuntur cognitione intuitiva sed abstractiva — 439. Essentiae rerum sunt a mente nostra independentes — 440. Essentia objective accepta, essentia realis, essentia idealis — 441. Essentia quoad triplicem statum — 442.

Essentiarum dotes — 443. Corollarium — 444. Quaestiones — 445. Sententiae — 446. *Conclusio I.* Essentiae rerum quoad sui constitutivum essentiale a Deo dependent — 447. *Conclusio II.* Essentiae rerum non pendent neque a voluntate neque ab omnipotentia divina — 448. *Conclusio III.* Essentiae rerum 1.° proxime et formaliter dependent ab intellectu divino, sed 2.° remote et mediate ab essentia divina — 449. Quare essentiae rerum sunt necessariae, immutabiles, aeternae — 450. Quaestio altera — 451. *Conclusio.* Essentia et existentia in rebus creatis realiter distinguuntur — 452. Pro solutione difficultatum . . . . . Pag. 362

CAPUT V.

De unitate, de identitate, de distinctione et de multitudine

453. Ratio capitis et divisio eorum quae agenda sunt — 454. Unitatis notio ejusque praecipua divisio — 455. *Conclusio.* Unitas transcendentalis est realiter idem ae entitas rei ; ab entitate tamen distinguitur secundum rationem — 456. Species diversae unitatis — 457. Unitas per se et unitas per accidens, unitas numerica, specifica, generica — 458. Unitas praedicamentalis et mensurae — 459. De identitate — 460. De distinctione — 461. Distinctio realis et rationis — 462. Distinctio realis entitativa, modalis et virtualis — 463. Distinctio rationis ratiocinatae et ratiocinantis — 464. Distinctio rationis ratiocinatae major et minor — 465. Distinctio quidditativa — 466. Distinctio quidditativa realis et rationis — 467. Distinctio in possibilibus — 468. Distinctio quidditativa circa possibilia — 469. Distinctio realis et objectiva in possibilibus — 470. De Multitudine — 471. Discrimen inter multitudinem et numerum — 472. Corollaria — 473. *Conclusio.* Multitudinem esse actu infinitam omnino repugnat — 474. Solvuntur difficultates . . . . . Pag. 376

CAPUT VI.

De veritate et falsitate

475. Veritas ontologica seu metaphysica — 476. *Conclusio I.* Veritas ontologica realiter est entitas rei quae dicitur vera, et entitas rei est ipsa veritas ontologica — 477. *Conclusio II.* Veritas ontologica rerum essentialiter pendet ab intellectu divino — 478. *Conclusio III.* Veritas ontologica rerum dicit ordinem ad intellectum creatum, 2.° sed ab intellectu creato non pendet, 3.° imo intellectus creatus dependet a veritate ontologica rerum. — 479. Corollaria — 480. Quomodo res dicantur verae in nostris locutionibus — 481. Objectiones contra 1.am conclusionem — 482. Observatio — 483. Definitio falsitatis — 484. Corollaria — 485. *Conclusio.* Nulla res dici falsa potest respectu intellectus divini — 486. Observatio Pag. 387

CAPUT VII.

De bono et de malo

487. Quid sit bonum declaratur — 488. Corollarium — 489. *Conclusio I.* Bonum et ens convertuntur idest omne bonum est ens, et omne ens est bonum — 490. *Conclusio II.* Ex hoc quod aliquid dicitur simpliciter ens, 1.° non sequitur posse dici bonum simpliciter, 2.° sequitur tamen posse dici bonum secundum quid — 491. *Conclusio III.* Bonum proprie dicitur de solis rebus existentibus — 492. *Conclusio IV.* Ratio boni consistit in modo, specie et ordine — 493. Species boni — 494. Mali notio — 495. Malum dupliciter sumitur — 496. Malum physicum et malum morale — 497. Malum non est nisi in subjecto bono — 498. Quaestio — 499. *Conclusio.* Summum malum nullo modo existere potest — 500. Quaestio altera — 501. *Conclusio.* Malum 1.° non potuit habere originem nisi a bono, 2.° non quidem per se, 3.° sed per accidens . . . . . Pag. 395

Caput VIII.

De pulchro

502. Difficultas materiae — 503. Pulchrum per alios sensus exteriores non perficitur quam per visum et auditum — 504. Proprium objectum visus aut auditus non est ratio pulchritudinis — 505. Neque visus neque auditus per se percipiunt pulchritudinem — 506. Corollaria — 507. Requisita ad rationem pulchritudinis habendam — 508. Corollaria — 509. Pulchrum ideale et pulchrum reale — 510. Pulchrum sensibile, pulchrum spirituale . . Pag. 403

Caput IX.

De actu et potentia

511. Ratio capitis — 512. Habere aliquid in actu, habere aliquid in potentia — 513. Definitio seu notio actus — 514. Actus purus et non purus — 515. Actus formalis et actus essendi — 516. Actus primus et actus secundus — 517. Actus per se subsistens, actus per se non subsistens — 518. Triplex actus seu perfectio in ente — 519. Quid sit potentia explicatur — 520. Potentia activa et potentia passiva — 521. Potentia passiva pura et non pura — 522. Potentia naturalis et obedientialis — 523. *Conclusio.* Non potest dari potentia obedientialis *activa* sine additione novae virtutis — 524. Potentia subjectiva et potentia objectiva — 525. Errores circa potentiam — 526. Refutatio — 527. Axiomata quaedam scholastica — 528. *Conclusio.* Potentia et actus ad quem ipsa potentia essentialiter est ordinata, ut ad specificationem sui, sunt in eodem genere supremo — 529. Impossibilitas seu impotentia objectiva — 530. Possibile et nihil — 531. Radix potentiae objectivae — 532. Potentia

objectiva in ordine ad nostram cognitionem — 533. Potentia activa in Deo — 534. Possibile absolutum et possibile relativum — 535. Corollaria — 536. Potentia realis et naturalis intrinseca ad non esse — 537. Potentia logica et realis extrinseca, seu possibilitas ad non esse — 538. Observatio . Pag. 407

Caput X.

De potentiae objectivae natura

539. Potentia objectiva rerum et ipsae res — 540. Discrimen inter potentiam physicam et objectivam seu ontologicam — 541. Potentia ontologica seu objectiva praecedit potentiam physicam — 542. Quaestio — 543. *Conclusio I.* Potentia objectiva est ipsa essentia rei non existens in se, sed ut objective concepta ab aliqua mente sine sua existentia — 544. Potentia ontologica est concepta ab intellectu divino et ab eo dependet — 545. Corollarium — 546. *Conclusio II.* Essentiae rerum in statu illo potentiae objectivae seu possibilitatis distinguuntur ab intellectu divino — — 547. *Conclusio III.* Essentiae rerum in statu illo objectivitatis secundum propriam rationem acceptae, si forte reducantur ad existentiam, non distinguuntur ab essentiis rerum ad existentiam inde reductis, consideratis praecise secundum propriam rationem — 548. *Conclusio IV.* Essentiae rerum prius habent esse intellectum seu prius intelliguntur quam habeant esse simpliciter — 549. *Conclusio V.* Essentiae rerum in statu objectivitatis seu possibilitatis consideratae sunt ex necessitate simul cum intellectu divino concipiente essentiam divinam — 550. *Conclusio VI.* Essentiae rerum in statu objectivitatis seu possibilitatis intrinsecae non sunt nisi dependenter a conceptione divini intellectus — 551. Corollaria — 552. Difficultates — 553. Obj. — 554. Quomodo essentiae rerum dicantur extrinsecae intellectui divino — 555.

Comparatur ens rationis in mente nostra cum essentiis rerum in mente divina — 556. *Conclusio VII.* Essentiae rerum vere et proprie sunt in intellectu divino — 557. Quomodo essentiae rerum sunt in intellectu divino — 558. Corollarium — 559. Extra intellectum divinum proprie et stricte loquendo nihil est — 560. *Conclusio VIII.* Intellectus divinus ex hoc quod concipit essentias rerum non concipit eas existere — 561. Corollaria . . . . Pag. 419

Caput XI.

De variis perfectionibus entis quibus insigniri potest

562. Ratio capitis — 563. Notio perfectionis in genere — 564. Perfectiones quaedam dicuntur simpliciter simplices, quaedam secundum quid — 565. Perfectio aliqua esse potest in aliquo formaliter, virtualiter, eminenter — 566. Variae species perfectionis in aliqua re — 567. Perfectum autem aliud est relativum, aliud absolutum — 568. Imperfectum privative et imperfectum negative . . . Pag. 429

Caput XII.

De ente necessario et contingente

569. Necessarium et contingens — 570. Necessarium absolutum seu metaphysice seu simpliciter, et necessarium physice — 571. Necessarium hypotheticum et necessarium relativum — 572. Ens necessarium absolute et simpliciter et ens contingens — 573. *Conclusio I.* Ens contingens, si existat, est ab alio productum — 574. *Conclusio II.* Ens contingens non potest realiter existere, nisi sive mediate, sive immediate producatur ab ente necessario — 575. Quid est compositum, quid simplex — 576. *Conclusio I.*

Apud nos composita sunt perfectiora simplicibus — 577. *Conclusio II.* Quamvis composita apud nos sint perfectiora simplicibus, tamen nullum compositum est absolute perfectum — 578. Corollaria — 579. *Conclusio III.* Omne ens contingens est compositum — 580. Corollarium. . . . . Pag. 433

Caput XIII.

De ente finito et infinito

581. Finiti et infiniti notio generica — 582. Infiniti variae divisiones — 583. *Conclusio.* Unum infinitum non potest esse altero majus in eodem ordine — 584. Infinitum, indefinitum, ens in genere, et infinitum negativum — 585. Quaestiones determinandae — 586. *Conclusio I.* Cognitio quam nos habemus de infinito est negativa-positiva — 587. *Conclusio II.* Finitum potest intelligi in se quin apprehendatur infinitum — 588. *Conclusio III.* Notio infiniti nequit haberi per continuam additionem finiti ad finitum — 589. *Conclusio IV.* Sensus religiosus et experientia religiosa dare notionem vel ideam infiniti non possunt — 590. *Conclusio V.* Notio infiniti haberi potest ex notione finiti ; imo de facto habetur — 591. Quaestiones circa subjectum infinitatis — 592. *Conclusio I.* Ens absolute infinitum non potest esse nisi ens simplicissimum — 593. *Conclusio II.* Ens absolute infinitum non potest esse nisi ens necessarium ; et viceversa ens necessarium non potest esse nisi ens infinitum absolute — 594. *Conclusio III.* Nullum ens contingens potest esse infinitum simpliciter. Pag. 438

Caput XIV.

De ente mutabili et immutabili

595. Mutationis notio — 596. Corollaria — 597. Mutatio alia est substantialis, alia accidentalis — 598. Mutatio ab intrinseco, et mutatio ab extrinseco ; mu-

tatio interna, mutatio externa — 599. Ens immutabile — 600. Immutabile simpliciter, immutabile secundum quid — 601. *Conclusio.* Ens mutabile supponit ens immutabile et in ipso fundamentum habet — 602. Ens in se, ens in alio, ens ab alio, seu a se — 603. Ens absolutum et ens relativum — 604. Corollarium — 605. Habens esse ab alio supponit ens a se — 606. Ens a se semper fuit — 607. Ens a se est omnino immutabile — 608. Ens a se est ens infinitum simpliciter et necessarium absolute — 609. Ens a se est simplicissimum — 610. Corollarium — 611. Leges generales quae omnibus entibus conveniunt in quocumque statu consideratis . . . Pag. 446

Caput XV.

De categoriis generatim

612. Ratio capitis — 613. Agere de Categoriis ad metaphysicam praecipue pertinet — 614. Categoriae Aristotelicae breviter recensentur — 615. *Conclusio.* Categoriae Aristotelis sunt omnino rationales ed admittendae — 616. Categoriae Kantianae — 617. Quantitas — 618. Qualitas — 619. Relatio — 620. Modalitas — 621. *Conclusio I.* Categoriae Kantianae admitti nullo modo possunt . . Pag. 454

Caput XVI.

De substantia

622. Ratio capitis — 623. Sententiae variae de constitutivo formali substantiae — 624. Critica — 625. Vera notio substantiae traditur — 626. In definitione substantiae tradita non excluditur dependentia ab aliquo sicut a causa — 627. Variae divisiones substantiarum — 628. Substantia completa et incompleta in ratione speciei — 629. *Conclusio.* Substantia

incompleta in ratione speciei est etiam incompleta in ratione substantialltatis — 630. Obj. — 631. Quomodo anima humana est incompleta — 632. Substantia incompleta in specie seu in ratione substantialitatis duplex — 633. Substantia composita et substantia simplex — 634. Substantia corporea, materialis et immaterialis seu spiritualis — 635. Realitas substantiarum — 636. *Conclusio.* Realitas substantiarum ut certissima est admittenda — 637. Solvuntur difficultates Pag. 463

Caput XVII.

De supposito et persona

638. Suppositi definitio — 639. Explicatio definitionis — 640. Observatio — 641. Corollaria — 642. *Conclusio I.* Ratio personalitatis non est formaliter loquendo ipsa ratio singularitatis aut ratio individuationis — 643. *Conclusio II.* In rebus creatis persona realiter distinguitur ab ipsarum natura individua — 644. Corollaria — 645. *Conclusio I.* Natura respectu personae vere habet rationem formae — 646. *Conclusio II.* Identitas personae non constituitur per memoriam vitae praeteritae et per conscientiam propriam vitae praesentis — 647. Quomodo sé habent in persona natura, subsistentia et existentia — 648. Constitutivum formale personae . . . . . Pag. 475

Caput XVIII.

De accidentibus

649. Accidens praedicamentale, accidens praedicabile — 650. Definitio accidentis praedicamentalis — 651. Accidens metaphysicum — 652. Modus essendi accidentis proprius — 653. Quaestio — 654. *Conclusio.* Dantur accidentia realia physica quae a substantia in qua sunt realiter distinguuntur — 655. *Conclu-*

sio II. De essentia accidentis non est quod actu sit in connaturali subjecto ut subjectum est — 656. Solvuntur difficultates contra primam conclusionem — 657. Accidens absolutum, relativum, modale . Pag. 482

Caput XIX.

De qualitate

658. Notio qualitatis — 659. Qualitatis species — 660. Qualitatis proprietates — 661. *Conclusio.* Hujusmodi proprietates tamen non conveniunt qualitati ut qualitas est, sed ut est determinata ad hanc vel illam speciem qualitatis — 662. *Conclusio II.* Qualitas in sua essentia omnino simplex est — 663. Quomodo fiat intensio qualitatis — 664. Objectivitas qualitatis . . . . . Pag. 489

Caput XX.

De habitibus

665. Quid est habitus — 666. *Conclusio I.* 1.° Subjectis quae composita non sunt ex actu et potentia non possunt tribui habitus ; 2.° quae sunt ad unum determinata non sunt subjecta habitum ; 3.° ea quibus conveniunt habitus, sunt naturae, quae ad plura eaque contraria se habent — 667. *Conclusio II.* De ratione habitus est dicere aliquo modo ordinem ad operationem — 668. *Conclusio III.* Diversimode habitus sunt in anima nostra, in corpore, et in viribus sensitivis — 669. Divisiones habituum — 670. Divisiones habituum qui sunt in anima — 671. Quaestio — 672. *Conclusio.* Habitus scientiae et habitus fidei non possunt esse simul in eodem intellectu respectu ejusdem objecti — 673. Quaestio altera — 674. *Conclusio.* Ex actibus generatur habitus secundum suam perfectam rationem in facultatibus operativis. Pag. 493

Caput XXI.

De quantitate

675. Quid sit quantitas et quae ejus proprietates — 676. Observatio — 677. Objectivitas quantitatis — — 678. Divisio quantitatis — 679. Indivisibilia in quantitate — 680. *Conclusio I.* Indivisibilia quantitatis sunt actu in termino quantitatis continuae ; sed non sunt actu in partibus extra terminum ipsius, sed potentia tantum — 781. Corollarium — 682. *Conclusio II.* Quantitas continua est sine fine divisibilis mathematice loquendo ; at physice loquendo oportet devenire ad ultima quae naturaliter amplius dividi nequeunt — 683. Corollarium — 684. Quaestiones — 685. Sententiae circa secundum quaesitum — 686. *Conclusio I.* Essentiale constitutivum quantitatis est extensio partium in ipso toto, non vero extensio localis — 687. *Conclusio II.* Quantitas realiter distinguitur a substantia corporea — 688. Observatio — 689. Substantia corporea partibus integrantibus destituta secundum se — 690. *Conclusio III.* Repugnat magnitudo seu quantitas continua actu infinita. Pag. 498

Caput XXII.

De spatio et loco

691. Spatium — 692. Sententia Kantiana — 693. *Conclusio.* Spatium neque est substantia corporea, neque extensio a substantia corporea separata, aut separabilis : sed est ipsa extensio substantiae corporae omnino a substantia corporea et ab aliis ejus proprietatibus per intellectum abstracta — 694. Corollaria — 695. Extensio quae spatium constituit non est determinata extensio — 696. Extensio quae spatium con-

stituit importat extensionem potius in potentia quam in actu — 697. Definitio spatii realis. — Et spatium imaginarium — 698. Corollarium — 699. Locus — 700. Explicatur definitio — 701. Alia definitio loci — 702. Corollaria — 703. Locus omnino immobilis non datur — 704. Locus in hypothesi existentiae corporis centralis totius universi — 705. Divisio loci — 706. Proprietates loci — 707. Ubi seu ubicatio — 708. Esse in loco, et esse in aliqua re multiplex distinguitur . . . . . Pag. 508

Caput XXIII.

De Tempore

709. Significatio hujus nominis tempus — 710. Quid est duratio? — 711. Triplex duratio — 712. Tempus importat successionem — 713. *Conclusio I.* Quamvis tempus sit duratio rei corruptibilis, non tamen duratio cujuslibet rei corruptibilis dicitur tempus, communiter et proprie loquendo — 714. *Conclusio II.* Tempus optime dicitur esse duratio motus uniformis qui inter solem et terram perficitur — 715. Observatio — 716. *Conclusio III.* Tempus est quid continuum sine fine divisibile — 717. Corollaria — 718. Differentia temporis, aevi, aeternitatis — 719. Aeternitas absoluta et relativa seu hypothetica Pag. 516

Caput XXIV.

De Relatione

720. Notio relationis — 721. Corollaria — 722. Divisio relationis — 723. Relatio transcendentalis et praedicamentalis — 724. Corollaria — 725. Relatio mutua et non mutua, aequiparantiae, disquiparantiae — 726. Triplex fundamentum relationis — 727.

Conclusio I. Dantur in rebus relationes reales — 728. *Conclusio II.* Relatio realis realiter distinguitur a fundamento — 729. Objectiones — 730. Proprietates relationum . . . . . Pag. 523

CAPUT XXV.

De Causis

731. Ratio capitis — 732. Notio principii et causae — 733. Corollaria — 734. Successio et causalitas — 735. *Conclusio I.* Absolute loquendo non est necessarium ut semper principium praecedat principiatum prioritate naturae — 736. Corollarium — 737. Causa, conditio, occasio — 738. *Conclusio II.* Hoc principium : Non datur effectus sine causa habet valorem objectivum — 739. Obj I. — 740. Obj II. — 741. Causarum species — 742. Ratio et causa — 743. Ratio sufficiens et ratio insufficiens — 744. Corollarium — 745. Ratio intrinseca, et ratio extrinseca — 746. Ratio in ordine logico — 747. Principium rationis sufficientis . . . . . Pag. 530

CAPUT XXVI.

De causa efficiente

748. Quid sit causa efficiens — 749. Explicatur definitio — 750. Causa efficiens per se, causa efficiens per accidens — 751. Causa efficiens principalis et causa efficiens instrumentalis — 752. Causa principalis prima et secunda — 753. Causa efficiens proxima et remota — 754. Causa efficiens universalis et particularis — 755. Causa efficiens totalis et partialis — 756. Causa ut quae et causa ut qua — 757. Causa univoca et causa aequivoca — 758. Causa libera et causa necessaria — 759. Causa physica et causa moralis — 760. *Conclusio.* Ex quocumque effectu cognito 1.° potest cognosci causae existentia, 2.° imo potest aliqualiter etiam ipsa essentia — 761. Corollarium. . . . . Pag. 539

Caput XXVII.

De causalitate rerum contingentium

762. Philosophi negantes causalitatem rerum — 763. *Conclusio I.* Entia contingentia efficienter agunt — 764. Pro substantiis spiritualibus specialia argumenta — 765. Corollarium — 766. Solvuntur difficultates — 767. *Conclusio II.* Actio rerum creatarum non est ipsa substantia rei creatae, sed est accidens a substantia realiter distinctum 768. *Conclusio III.* Virtus agendi quae est in substantia creata realiter ab eadem substantia creata distinguitur — 769. Corollaria — 770. *Conclusio IV.* Causa efficiens non existens, actualiter operari non potest, 2.° si tamen extitit potest ejus actio, vel impulsus, quem exterius emisit, perseverare et aliquem effectum habere — 771. *Conclusio V.* Ut aliqua causa effectum aliquem efficere possit requiritur ut sit praesens saltem per suam virtutem — 772. *Conclusio VI.* Idem effectus potest produci a duabus causis partialibus. 2.° Non potest produci a duabus causis totalibus ad invicem non subordinatis. 3.° Non potest produci nisi ab ea causa a qua de facto producitur . . . Pag. 546

Caput XXVIII.

De causa formali, de causa exemplari et de causa materiali

773. Notio formae — 774. Corollarium — 775. Duplex forma, accidentalis et substantialis — 776. Corollaria — 777. Forma physica, forma mataphysica, forma logica — 778. Causa exemplaris — 779. Non quaelibet idea dici potest exemplar — 780. Corollarium 781. *Conclusio.* Ponendae sunt ideae ut exemplaria,

quae habent vere rationem causae — 782. Corollaria — 783. Quid materiae et subiecti nomine intelligatur — 784. Definitio causae materialis — 785. Materia secunda et materia prima . . . . . Pag. 553

Caput XXIX.

De causa finali

786. Notio finis — 787. Duplex acceptio seu significatio finis — 788. Finis habet rationem boni — 789. Finis in re seu in executione et finis in intentione — 790. Finis in intentione primo et per se consideratur in agentibus cognoscitivis, in aliis autem nonnisi per accidens et improprie — 791. Corollarium — 792. Finis operis et finis operantis — 793. Finis cujus et finis cui — 794. Corollarium — 795. Finis ultimus et finis intermedius — 796. Finis principalis seu primarius et secondarius — 797. Finis objectivus et finis formalis — 798. Finis naturalis et finis supernaturalis — 799. Quaestiones — 800. *Conclusio I.* Finis in intentione vere et proprie habet rationem causae — 801. *Conclusio II.* Finis in intentione est praestantissimus inter omnes causas — 802. *Conclusio III.* Esse apprehensum, vel esse in intentione non est fini ratio causandi, sed solum conditio — 803. Corollarium — 804. *Conclusio IV.* Causalitas finis se extendit ad omnem effectum — 805. *Conclusio V.* 1.° Omne agens agit propter aliquem finem. 2.° Omne agens agit propter aliquem ultimum finem — 806. *Conclusio VI.* Ex fine rebus naturaliter praestituto et indubie cognito earum natura determinari potest — 807. *Conclusio VII.* 1.° Respectu causae primae casus est impossibilis, 2.° potest tamen dari respectu causae secundae — 808. Corollarium — 809. Epilogus . . . . . Pag. 558

102 12029
L57
v.1 Compendium
philosophiae
scholasticae /
Lottini

102 12029
L57
v.1 Compendium
philosophiae
scholasticae /
Lottini

Graduate Theological Union Library
2400 Ridge Road
Berkley, CA 94709